

D. A. Heald
Orange

6000 –

#6948

5 HAND-COLORED MAPS
50 HAND-COLORED ENGRAVINGS

SUPERB FRONTISPIECE

FIRST EDITION
CONTEMPORARY HAND-COLORED HEIGHTENED WITH GOLD

2 MAPS ADDED FROM ANOTHER COPY



Til Hr Willem de Clercq fra Holm.



Amicus Amico.

CONTENTA HOC OPERE.

Præter RERVM ET VRBIS AMSTELODAMENSIVM HISTORIAM LIBRIS TRIBVS comprehensam, ACCEDVNT

HOLLANDIÆ *urbiumque inter Helium & Flevum, & præsertim* OPPIDI AMSTELODAMENSIS *fusior* DESCRIPTIO *autore* ANONYMO, *qui claruit ante annos centum.*

CORNELII HAEMRODII AMSTELODAMENSIS, BATAVIÆ totiusque Hollandiæ, & urbium eius, brevis DELINEATIO.

ANIMADVERSIONES & CASTIGATIONES AD CORN. HAEMRODIVM cum APPENDICVLA ad opus universum.

AMPLISSIMIS MAGNIFICISQVE VIRIS,

PRVDENTIA, VIRTVTE, DIGNITATE PRÆSTANTISSIMIS,

PRAETORI,

CONSVLIBVS, SCABINIS ET SENATORIBVS INCLYTÆ REIPVBLICÆ AMSTELODAMENSIS

S. D.

SI EA, *Viri Amplissimi, quæ fuit olim veterum, & Romanorum præcipue, in superandis non tantum atque imperio suo adsciscendis, sed ad sequentium quoq; memoriam transmittendis ac describendis regionibus ac populis diligentia, posterorum etiam fuisset in rerum ac regionum suarum vicissitudinibus annotandis, & cum anterioribus diligenti examine comparandis cura & studium, haberemus haud dubio & nota essent illa nostratium terrarum loca, lacus & flumina aliaque talia, quæ nunc per nebulam quasi, ex antiquorum monumentis eruta, intueri tantum, nec vero suo vultu, conceditur. Abolevit enim plurima longum ævũ & immutavit hinc Fluminum cursus, illinc Oceani æstus; & abstulit deniq; ut est Hollandiæ præsertim, de qua loqui me sentio, palustre & humile solum, terras sæpe totas, & vice earum amnes & maria reposuit. Agnoscunt quidem, ut de eo nunc solo dicam, in Austrino Sinu ingentes lacus Tacitus Pliniusque, sed Flevum circiter & Isalæ Boream, non Meri-*

 diem,

diem, versus procursum; cum eos Romanorum, Drusi nimirum & Germanici, Amasum & Visurgim petentium, classibus navigatos adijciat: At illos Lacus, vel mare potius, quod interius meridiem versus patet, nō notum tunc, imo natum postmodum Plinius idem, præter alia, indicio sit, cum ex septem illis, quas intra Fleuum & Helium agnoscit, gentibus, vix tres aut quatuor ad summum, ostendere hodie liceat. Annales tamen si consulimus Patrios, confusa & cæca hic omnia ac fabulosa sint, quæ referuntur, nisi per annorum intervalla enotentur aliqua, quæ ad veri cubilia errantes quasi deducant. Sic ævi vetustioris proximarumque gentium memorias si videamus, primo Staveram Frisiorum oppidum earum navium, quæ mare illud magnum ac Boreale olim navigarent, stationem fuisse colligere sit; & mox ad Campos, Transisalaniæ civitatem, eandem sortem ac felicitatem recidisse: & tandem, evanescentibus littoribus atque aperiente se in majus indies Austrini eiusdem maris sinu, ad interiora itum: Vbi nunc AMSTELODAMVM *vestrum patente gremio communicat se commercio Orbis. Quæ aliaque eiusmodi, licet sparsim ex Annalibus eluceant, vetustissimi tamen seculi, & quid antiqui illi tradiderint, ne vestigium quidem. Quapropter cum nostras in manus chorographi bini, ipso Amstelodamo oriundi, felici alea devenissent, quorū ista utrique propior cura fuerit; Et alter etiam, seculo abhinc toto, res & origines vestræ civitatis inquirere ac posteris prodere pleniori filo sategerit, occasionem mihi datam animadverti, hortantibus etiam familiaribus & magnis amicis, ut res urbis vestræ VV. AA. à primis veluti cunabulis, idque horis subcisivis, ad nostra usque tempora paulatim deducerem. Ait Marcus Tullius Varronis quondam, quos de rebus urbis suæ divinis humanisque conscripserat, libros, peregrinantes errantesque Romanos, tanquam hospites domum reduxisse, ut possent aliquando, qui & ubi essent, agnoscere. Ego similiter ambos illos, quos dixi, & ad calcem quoque Operis huius adijci feci authores, veluti Achates habui; & alterū præsertim cynosuræ vice, in rebus præcipuè à memoria nostra remotioribus, identidem respectanti, feliciter mihi, ut nostra fert opinio, universum hoc æquor transmißum est: Quamvis alia se nobis & haud exinde minor obiecerit difficultas in recēsendis ac recolligēdis illis actis, quæ paucis postmodū annis mutantibus rebus, novam universæ civitati faciem atque ornatum circundiderunt. Nam si totam urbis rationem accuratius introspiciamus, ad tria quodammodo temporū intervalla, ut initio secundi libri ostensium est, referri eam posse comperimur. Post enim Amsteliorum dynastiam comitum ævum ubi obtinuisset, variè sub eorū imperio*

perio

imperio ducentos propemodum annos luctati cives fuere: Et ad Burgundicos principes proximè delati adolescere demum bona fide maximumq́ incrementum accipere tum cives civitasque cæpit, succrescentibus indies cum peregrinis atque exteris negotiorum undiquaque commercijs: Ita ut integrum pæne seculum, intervenientibus quamvis subinde nubilis, ea felicitatis vel, ut potius dicam, serenitatis primordia absolverint: Et mox ævo hoc nostro, quod duorum solummodo & triginta annorum spatium cōplectitur, tantum operum domi forisque gestum est, ut si quis res & enatam interea magnitudinem urbis cum annis conferat ætatem ultra putet. Nam præterquam quod intra arctati adeò temporis spatium dilatata productaque haud semel urbis pomeria sint, ædificia ingentia ac præclara constituta, Ecclesia & politia emendata, instaurata Xenodochia, & nova statuta novique magistratus, veluti morum ac publicæ disciplinæ ædiles quidam ordinati, ipsaque in alium denique & potiorem usum cōversa monasteria; Etiam illud accessit, ut ignota antea negotiādi commercia vestris primum auspicijs cæpta, novorumque itinerum ad Chinas & Molluccas aperiendorum pericula atque expeditiones susceptæ fuerint; & postremum recta, & usitata per Atlanticum mare velificatione, ad ipsos Orientis Indos vestris à civibus enavigatum, & ea tandem cum incolis ac regibus earum regionum inchoata, ac novis successibus stabilita fædera sint, quæ nunc in maximum omnium non modò unitarum provinciarum usum cedunt; sed belli quoque per annos duos & quadraginta cum potentissimo Hispaniarum monarcha summis utrimque viribus gesti in subitas inducias convertendi aliaque capiendi consilia occasionem illi, præter cætera, præbuerint. Sed hæc aliaque ex ipso opere quod exhibemus suo quæque loco per annorum succedentium seriem, veluti in areolas digesta, luculentius intelligentur. In quo & hoc operam dedimus, quod & Varronem in simili, cuius superius meminimus, argumēto, rerum nimirum urbis suæ humanarum divinarumq́ historia, attendisse ac curæ habuisse Augustinus præ ceteris testatum reliquit, ut non res modò enarratas simpliciter ad posterorum memoriam transmitteremus, sed rerum etiam Origines & causas præcipue, tam divinarum quā humanarum, aliorum arbitrijs ac censuræ commenda emus. Vnde liberalis subinde occasio nobis nata ex utraque, cum prophana tum sacra, chronographia aliquid in medium amænum, nec vulgo protritum, ad rerum & circumstantiarum uberiorem intellectionem in tempore ac loco adijciendi. Quemadmodum & illa Naturæ secretiora vireta ingredi ac scrutari in quibusdam peculiaria nonnulla statuta & corporis malis

dicatæ ædes volentem, & eò sua sponte properantem quasi, atque hoc agentem animum adegerunt. Vt omittam quas ex intima antiquitate collationes non rarò interseruimus eorum præsertim statutorum atq; ædium, quæ vel recenter & jam nuper vestro decreto ordinatæ, & unde exempla sibi petant respublicæ aliæ; vel earum, quas iam olim institutas, sed opera & cura vestra in melius ac magnificentius restauratas, conspicimus. Quæ sanè talia sunt, ut sine eiusmodi sæpenumero comparationibus cæca omnia & manca deprehendantur, addita verò non lucem modò, sed autoritatem quoque ab annis & primis originibus, ipsis rebus circumponant. Ità tamen & hæc, & cetera exinde de Politiæ & Magistratuum ordine ac modo, disputavimus, & cum alijs etiam rerumpublicarum formis ac rationibus, adhibita obiter contentione aliqua, ventilavimus, ut ad rem, non præter rem allata ea omnia collataque existimemus. Nam de doctis & illustribus illis urbis vestræ civibus, quod repetitum pressius, & in quo immorati etiam aliquantulum sumus, ingenij nostri huc veluti aurigantis affectui tribuendum est, dum cum illis æternis mentibus, quarum corpora naturæ concessêrunt, versari quodammodo & loqui nobis dulci quadam mentis imagine videremur: quantumvis & ista etiam causa fuerit, ut vestram nimirum VV. A A. laudatissimam rempublicam non tantum pace, opibus ac legum præclaris institutis, sed literis floruisse quoque ac florere, palam omnibus fieret. Superest iam VV. A A. ut ad vos præcipue & propius orationem convertam. Dum enim hæc cuncta ductu vestro, vestrisque auspicijs cæpta, gesta factaque mente grata commemoramus, ipsum bonorum omnium autorem Deum celebrare eo ipso intelligimur, qui vos tales constituit, prudentiam tribuit ceterasque virtutes addidit, quibus tam felix reipublicæ status incrementum suum ac vigorem sumeret. Nam si verum est, ut esse verissimum statuendum est, quod etiam inter gentes olim extulisse quendam memini, Deum, cuiuscunque fortunam mutaturus sit, etiam consilia corrumpere: *Quantò iustius quod in contrarium est, de vobis & vestro statu existimabimus! Si enim ad illa tempora, quibus ad maximum hoc decus urbs vestra succrescit, libet respicere, nonne bellum undique terrâ non modò, sed & mari sæviebat? At vos nihilominus & cives vestri, veluti compositis rebus, securius, pæne quam in pace alij, negotia per maria & terras tractastis; excitastis ædificia & urbis denique colonias ultra pomeria vetera produxistis: Et dum in vicino hostis ab invictissimo duce ac Principe, fæderatarum provinciarum auspicijs,*

vel

vel laceßitur vel reprimitur, veſtrâ haud poſtremâ curâ rectiſque conſilijs ærarium publicum & bello nervi ſuppeditati ſunt. Nec id modò, ſed viam primi inſtitiſtis, qua in alium quoque Orbem arma tranſlata ſint, ut ibi ſcilicet obturarentur illæ ſcaturigines, ex quibus hydræ iſti & inſuperabili alias Bellonæ vires novæ novaq; capita ſuppullulabant. Sunt hæc quidem veſtra, VV. A A. ſed quadam quaſi induſtria ſic adgubernante ſummo illo numine, ut intelligeretur quàm facilè & levibus initijs eodem adſpirante, etiam ſumma concidant. Et nunc etiamſi conquieſcere aliquatenus repreſſa belli inducijs illa noſtratium armorum undiquaque adblandiens felicitas videatur, quis ſcit an non in maius bonum, ità dirigente univerſi oculo, ne ſcilicet eò magnitudinis res creſcerent, ut viribus ſuis ac mole laborarent? Quid enim furores ſæpius intra mœnia, provincias, regna peperit, quam nimia felicitas? Nam, ut ait de Romanis ſuis Romanus ſcriptor, Syria prima nos victa corrupit, mox Aſiatica Pergameni regis hæreditas. Illæ opes atque divitiæ afflixere ſeculi mores, merſamque vitijs ſuis, quaſi ſentina, rempublicam peſſundedêre. *Vt ergo noxia ſæpe tam longa bellorum felicitas, ità & ipſa induciarum & pacis hæc Otia, ne ſuo etiam malo nos irretiant, non ad interna diſſidia occaſio, nec ad luxum aut deſidiam torpor quidam, & animorum armorumque veterum Circæa oblivio; ſed pauſa tantum, & ſalubris quædam, cuiuſmodi illa olim P. Scipionis remißio, & ad recipiendum ſpiritum requies, habẽda: Scipionem enim cum in Sicilia de Africa invadenda cogitaret, Carthaginiſq; ruinam animo volveret, inter conſilia & molitiones tantæ rei, operam aliquandiu gymnaſio dediſſe, pallioque & crepidis uſum memorant; nec eò tamen ſegniores, ſed longè alacriores, Pœnis manus intuliſſe. Quod nimirum, ut ille ait,* vegetæ & ſtrenuę mentes, quò plus receſſus ſumunt, hoc vehementiori impetu ſidant. *Vt concludam igitur, videtis vel hinc etiam, VV. A A. quid me ad telam hanc, quam illo, de quo ſuperius dixi, facem præferente, contexere cœperam ad hoc uſq; ævum perducendam commoverit, niſi horum & operum talium admiratio. Et quia veſtra ſunt ea, urbiſque veſtræ, in qua ipſe à teneris educatus atque enutritus ſum, cui potius quam vobis, & in veſtram tutelam, eorundem hiſtoriam & memorias deferre debuerim? Habete hæc itaque ut publicum meæ, cum erga vos tum rempublicam veſtram, voluntatis qualecunque teſtimonium: Et habete ut rudimentum inſuper maioris adhuc operis, ſi illa aliquando, quæ nunc limitibus ſuis deſignata ad veteres urbis terminos, augeſcente*

indies

indies populorum & commerciorum frequentia, acceßionem fecerint. Quod ut faxit, Deum Opt. Max. rogo. A vobis autem VV. AA. etiam atque etiam peto, ut sueta vobis humanitate benignitateque hoc quicquid nostri est muneris atque otij, cuius etiam Cato rationem reddendam censuit, accipere non dedignemini; Eundem Deum ex animo venerans, ut, cuius numine in tantum vestra adolevit civitas, eodem nunc porro adminiculante, sic efflorescat atque indies sua illa pomeria adaugeat, ut perpetuum ac securum ei deinceps regimen, domus tuta, senatus fidelis, populus probus, & denique RELIGIO *ac* CONCORDIA, *qui ad hanc felicitatem tantam primi veluti fontes ac palladium quoddam fuere, longum in ævum ad posteros feliciter atque identidem propagatæ, stabiles atque inconcußa permaneant.* HARDOVICI, ipsis Kalend. Augusti cIↄ.Iↄc.xI.

VV. AA.

Addictiß.

IOH. ISACIUS

Pontanus.



RERVM ET VRBIS AMSTELODAMENSIVM HISTORIA.

LIBRI I.

CAPVT I.

Hollandiæ, quæ Batavia antiquitus, appellationis occasio.

HOLLANDIÆ celeberrimũ emporium AMSTELODAMVM descripturus, rectè atque ordine fecero, si prius *Hollandiæ* ipsius nomenclaturam, opinionum hactenus labyrinthis multiplicibus involutam, melioribus auspicijs ab ipsis veluti cunabulis ac primis natalibus edisseruero. Nam esse *Hollandiæ* appellationem nuperam, nec ante Comitum ævum auditione celebratam, neminem in Historiarum lectione, vel leviter versatum, potest fugere. Tunc enim Comitum, inquam, ævo, Francorum regum munificentia à reliquo Bataviæ corpore, quæ Gelriæ pars est, separatam, & veluti portiunculam aliquam magnæ *Austrasiæ* Theodorico primo liberaliter donatam hac lege constat, ut hostium ac piratarum præsertim incursionibus tutam undiquaque regionem præstaret. Vnde præter generalem illam, sub *Austrasiæ* tunc vocabulo, delitescentem nuncupationem, invenio Hermannum Contractum, qui annis ab hinc quingentis & sexaginta claruit, peculiari nomenclatura solius *Fladertingæ* nomine Hollandiam complexum; Diedericum enim quartum eius nominis Comitem *Fladertingæ Marchionem* appellat. Et iterum ipsa Fladertinga, itemque Rineburgium, eiusdem ævi scriptoribus Frisiæ urbes intellectæ, nulla Hollandiæ vel levissima mentione tunc additâ. Nam & Adamus Bremensis, Nordvicum, Frisiæ pagum; & ipsam Hollandiam, Frisiæ portionem exstitisse, indicat disertè rythmicum Chronicon. Hinc varij exorti ingeniorum lusus ac coniecturæ de Hollandiæ appellationis occasione genuinoq; etymo, alijs hoc; alijs illud; alijs vicissim aliud adserentibus. Quorum opiniones ad duo præsertim capita videor posse reducere. Priores nudam vocis notationem urgere reperio; Reliqui rem altius exordientes ab Historia narrationis fidem mutuantur. Qui vocis etymon spectant vel *Hoylandiam*; vel *Holtlandiam* ab *Hoy*, id est fæno: & *Holt*, id est, lignis, appellatam autumant. Illique hanc rationem adferunt, quod solum Hollandiæ *bubus* proprie armentisque pascendis accommodum sit, ob terræ cum depressiorem situm; tum fæni proventum uberrimum; quando altiora quæque arva sationi dedicentur. Qui vero ab *Holt* nominatum malunt, omnia olim arbustis inhorruisse deprædicant. Sed priores illi, quamquam à veritate haud aliena videantur adducere, quod ad fæni ubertatem attinet, quomodo tamẽ istam etymi flexionem approbare politioribus poterint? Sic etiam illa ex lignis arbustisque notatio, nonne durior meritò asperiorque videatur purgatis præsertim auribus? ut omittam dicere paucula in Hollandiæ ea parte, quæ Hollandia dicenda propriè, superesse loca, in quibus eiusmodi saltus ac nemora exstitisse antiquitus, certo possit asseri. Nam quæ hodieq; exstant prope Hagam atque alibi, in locis insulæ editioribus, versus arenarios præsertim *Oceano* obiectos colles, nemuscula, evertant potius, quam firment eiusmodi opinionem;

Austrasiæ descriptionem in Originibus Francicis, volẽte numine ponemus.

cum ea ita nemora & ſilvas appellare liceat, ut nanum, Atlanta. Magis arrideat eorum ſententia, qui à ſoli cavitate atque uligine etymon vocis advocant, cum omnibus conſtet tellurem regionis minimè eſſe ſolidam, ſed paluſtrem; & ad pedum pulſum vacillantem, nixuique facile cedentem. Vnde & proverbij locum obtinuit, *Holland bollandt.* Idque & vetuſtiſsimi autoris, qui Panegyrim Maximiano Herculeo, annos propemodum ante mille trecentos, dixit, egregio teſtimonio & illuſtrandum & roborandum cenſeo, qui ita de Batavia in univerſum tunc loquutus eſt: Quamquam illa regio divinis expeditionibus tuis Cæſar, vindicata, atque purgata, quam obliquis meatibus Vahalis interfluit, quamque divortio ſui Rhenus amplectitur, pene (ut cum verbi periculo loquar), *terra non eſt*, ita penitus aquis imbuta permaduit, ut non ſolum qua manifeſto paluſtris eſt, cedat ad nixum & hauriat preſſa veſtigium, ſed etiam ubi paulo videtur firmior, pedum pulſu tentata quatiatur, ut ſentire ſe procul mota pondus teſtetur, ita ut res eſt, ſubjacentibus innatat & ſuſpenſa late vacillat; ut merito quis dixerit, exercendum fuiſſe tali loco militem ad navale certamen. Et ante eum Tacitus lib. 4. Hiſtoriar. *Fluxu Autumni, & crebris pluvialibus imbribus ſuperfuſ⁹ Rhen⁹, paluſtrē humileq; Batavorū Inſulā in faciē ſtagni opplevit.*

Iam qui ab hiſtoria nominationis originem auſpicantur, firmiter ac ſemel ſtatutum volunt Hollandiam Gothicæ Danicæque gentis coloniam eſſe, ut & Zelandiam. Eumque in finem plurima ex Halicarnaſſæo proferunt de coloniarum in alias oras deducendarum ratione; Quin & eos addunt, qui colonijs conſtituendis deſtinantur, verſo ſolo, plerumque ſolere ſimilia veteribus ſedibus loca deligere, quibus nomina imponant, & patrijs vocabulis, quibus aſſuevere, fluvios, arces, opida, municipia, vicos ornare. Atque ita haud alia quoque cauſa nostros olim Normannos volunt Nannius Iuniuſque, eos nimirum Olandiæ ac Zelandiæ nobiles in Codano ſinu inſulas, conſtante in hunc uſque diem appellatione inclytas, cum ſocia manu deſeruiſſe, ventiſque vela facientes, claſſe Batavorum Zelandorumque agros tenuiſſe, eoſdemque inſularum Olandiæ ac Zelandiæ quas reliquerant, nominibus, utpote novas colonias, donaſſe. Quæ tamen opinio, quid & quantum veritatis habeat, hinc apparebit. Nam primò, ſi etymon videamus, & vocis utriuſque genium, longe erit aliud *Olandia*; aliud Hollandia. Olandia enim Danis dicitur ab *Oe*, quod inſulam illis ſignificat: ſicuti & noſtris olim majoribus *Eil* eadē dicta, ab *Ydel* & *Oede*, quibus loca deſerta notabantur. Non igitur reſpondebit *Olandia* Hollandiæ, etiamſi, quod conatur Iunius, adſpirationis notam adjiciamus. Non enim Olandia, ſed *Oelandia*; vel, ut ipſi hodieque Dani per *O* literam, tranſmiſſa virgula ſcribere & pronunciare ſolent *Olandia* nominatur. Deinde non ex iſta Oelandia exigua fere atque inculta Svedici ſinus inſula, ſed e viciniori Norvegia ac Cimbrica Cherſoneſo prodijſſe præcipue Harpias iſtos verius eſt. Vnde nec *Olandi*, verum *Normanni* vocitati ſunt. Cujus etiam nominis ſui luculentum veſtigium Galliæ maritimæ parti impreſſum perpetuum reliquerunt. Et ſi quis res illas atque expeditiones maritimas Borealium populorum accuratius inſpiciat, tres præcipue eorum ætates inveniet, ac tribus illis ætatibus, tria quoque diverſa eorundem nomina; ſed nuſquam Olandiam aut Olandos nominatos. Cum enim Eugiſio ac Horſa ducibus in Britanniam, quaſi auxiliares a Vortigerno adverſus Scotos ac Pictos, annum circiter 449. vocarentur, *Angilorum Saxonum* ac *Iutarum* nominb⁹ cenſi fuêre. Quorum *Iutæ* hodieque appellationem ſuam in Cimbrica Cherſoneſo retinent. Poſt id, annis pluſquam quinquaginta, *Danorum* vocabulo ijdem noti Gregorio Turonenſi, qui Chochiachum ait, Danorum Regem, cum non invalida popularium ſuorum claſſe Gallorum littora infeſtaſſe, anno 516. Ac denique ab illo tempore longum de ijſdem ſilentium apud autores eſt, per tria propemodum ſecula. Nam ubi tertium ac poſtremum eorum audita ſunt arma, ſub extremum nimirum Caroli Magni ævum, *Normanni* appellati ſunt; ſicuti & annis continuo ſequentibus ſub Lodovico videlicet, atque inde Carolo: Qua etiam tempeſtate *Danos* & *Danemarckam* in uſum appellationis denuo reſumptam reperio; ſed obiter tamen, & ita, ut Normannico ſemper nominī prærogativa fuerit. Vnde, ad annum 892, ita Sigebertus loquitur: *Normanni, adiunctis ſibi Danis, Franciam & Lotharingiam pervagantes &c.* Itemq; ad annum 884. Regino: *Eodem annò Normanni, qui in Kinhrim(*) e Danamarcka venerant, adſentiente Godefredo Rhenum navigio aſcendunt.* Quæ cum ita ſe habeant, qua obſecro ratione Hollādia accepiſſe nomen dicetur ab Olandia, Boreali aliqua regione, aut populo, cujus in temporum illorum hiſtorijs ne tralatitia quidem uſpiam, illis ætatibus mentio? Nec minus argumenti levitatem prodit temporis (quo invaſa potiſsimum ab ijſdem Normānis Hollandiæ littora) diligentior ad calculum revocata ratio. Iunius enim incidiſſe id vult

(*) *vulgo* eſt in Reg none; *Qui in Kinheim & Danamarcham venerant*; quod ſe mire torquet nobiliſſimus Douſa Annal. Hall. lib. 7. ſed ut nos poſuimus, res & manifeſta eſt, & conſonat verbis Sigebert, prius poſitis.

vult in annum ſalutis 837. quando ab illis Batavodurum ferro atque igne vaſtatum, Friſijſque tributum impoſitum eſt. At longe jam ante, id eſt, luſtris aliquot in antiquo quodam bonorum prædiorumque Eccleſiæ Trajectenſi donatorum tabellario, *Hollandiæ*, utpote pagi, vocabulum diſertè reperias. Quapropter etiam Wilhelmus Heda Præpoſitus olim Arnhemienſis, vir, ut illud ferebat ſeculum, haud vulgariter eruditus, (*a*) Tabulam, cujus jam memini, ſuis de rebus Trajectenſium commentarijs, qui adhuc manuſcripti tantum apud paucos ſervantur, interſeruit; nec iſtam quoque Hollandiæ originationem inter ceteras referre, in Operis ſtatim Præfatione, inſuper habuit. Quin & Marcellinus, qui S. Sviberti vitam, utpote peregrinationis ejuſdem Sviberti Comes, contexuit, aliquoties Hollandiæ meminit. Claruit autem Svibertus anno *696*. cum ne nomen quidem Normannorum auditum adhuc eſſet uſpiam. Sed Marcellini fortaſſe fidem elevare quis poſſit, at illam Tabularij, ecquis audeat? Quocirca fruſtra fuerint, quicunque Hollandiæ appellationem, vel ab Olandia, Codani ſinus Inſula; vel à Borealibus illis profectam; aut illarum demum incurſionum tempore natam cupiunt. Quod autem Nobiliſsimus (*b*) Douſa, quaſi de Iuniana ſententia (quam alias preſſè ſequitur) ſubdubitans non abnuere etiam videatur, ſiquis, non tantum Normannicis, ſed Vendicis quoque populis, quos Boruſſos hodieque ac Prutenos vocitamus, Hollandici nominis auſpicium debere contenderit; quod intra ejuſdem populi ditionem, haud procul Elbinga oppidum *Hollandiæ* vocabulo, integrâ aſpirationis notâ reperiatur; Ei reſpondendum id oppidi Hollandorum potius, quam Hollandiam illorum coloniam videri; quod & teſtari ipſorum incolarum ibidem relationes & mores ipſaque jura comperio. Nec abs re dixero tunc auſpicium Prutenicæ iſtius Hollandiæ ſumtum, cum Amſteliorum & Velſiorum familiæ, ob necem Florentio Comiti illatam, Hollandia extorres, ad novas ac diſsitas quærendas ſedes agerentur. Et firmet hanc ſanè ſententiam, quod Däniſci quoque, extra urbis pomæria, ſimili occaſione, Scotis primum, atque alijs exinde catervatim ibi ſedem figentibus, Scotlandia enata fuerit. Quin & in ipſâ Boruſsiâ, cum jam Alberto Brandenburgico, crucigerorum ultimo, Ducatus is omnis ceſsiſſet, exortum denique ob parem Brandenburgenſium aſsiduum affluxum oppidum eſt, Brandenburgi vocabulo.

(*a*) *Cõtinet hæc tabula bonorũ fundorumque præcipuorũ S. Martini Trajectenſi Eccleſiæ donatorũ accuratũ indicem*, Eaq; bona (*ut extat in calce ejuſdẽ tabulæ*) Chriſti fideles tradiderũt S. Martino ob ſui amorem: quæ omnia inconvulſa permanſerunt, uſque ad tempora bonæ memoriæ Othibaldi Epiſcopi &c *qui obijt an. Chr* DCCCC

(*b*) *Annal, lib. 6.*

Statuerim idcirco, ſalvo aliorum judicio, vicum illum *Holland* ex Heda jam modo recitatum, Hollandiæ appellationis occaſionem atque originem dediſſe antiquitus ipſumque pagum ex eventu, & ſoli, ut dixi, paluſtris indole ità nominatum, obliterata paulatim Batavici nominis, verſus inſulæ ac Rheni præſertim oſtia, nuncupatione. Nam *Broick*, *Venne*, *Hollandt*, *Goir*, unum idemque eſſe, & loca paluſtria ſignificaſſe noſtratibus olim, teſtis eſt locuples Gerhardus à Schueren, cancellarius quondam Ducis Clivenſis, in Dictionario Theutonico-Latino, quod, anno 1477 concinnatum, Theutoniſtam ipſemet appellat. Hodie autem quo loci inveniendum id vici, non habeam dicere. Conjectura interim aſſequi licet, Trajectum inter & Rhenum, qui Leidam ducit, exſtitiſſe. Nam & Diploma Gulielmi ſexti, in ſerie Comitum vigeſimi quarti, annos ante ducentos, & quod excurrit, Reynerſ-copijs ac Bylefeldijs indultum de rivis foſsiſque in Amſtelam ducendis, diſertè ijs in locis *der Hollander meent*, itemque *de Hollander Wech*, reperio. Verba ut habent vernacula, in gratiam popularium, ſubijciam:

Wy hebben de voornoemde goede luyden verkocht, ghegunt, ende overgheven &c. tot haer beſte oorboor, ende profijt, van uyt den Rhyn tot inden Amſtel, met een waterganck, die beginnen ſal inden Rhyn, tuſſchen Baeſterdam, ende Haenwijcker Kae, ende voorts den ouden Rhyn, langhs, tot aen den Bruyndijck toe, ende voorts door den Bruyndijck der *Hollander meent* langs, tot Kockengen toe, ende voort door Kockengen achter aen Spengen, by der ruyger zuytweyde, ende van daer voort die *Hollander Wech*, opſtreckende door Wilnis, ende voort van daer, door die waner in die oude Rhijn, ende alſoo voort op tot Cocebiers toe, inden Amſtel.

Quando verò Hollandiæ Comites eum primitus titulum, ut Hollandiæ Comites dicerentur, acceperint, invenio factum anno fere 1083; & omnium primum fuiſſe Theodoricum, V. qui ſe, non Hollandiæ, ſed Hollandenſium Comitem ſcripſerit, uti patet ex diplomate, quod ex Wilhelmo Heda ſuis Annalibus inſeruit Nordvici olim Dominus Douſa.

CAP. II.

Bataviæ veteris situs, idemque cum hodierno Hollandiæ collatus, Amstelandios olim Strabonis ævo Boreales Menapios fuisse. Vbi & alia nonnulla, de Hollandia generaliter addita.

OCCASIONEM Hollandici nominis satis indicasse existimo. Quo autem porrò constet, ecqua Hollandiæ parte Amstelodamum, de quo dicetur, collocatum propriè, repetendus ex Plinio, Tacito, alijsque Bataviæ antiquæ situs, idemque cum hodierno Hollandiæ contendendus. Plinius ita definit:

Lib. 4. cap. 15.

In Rheno ipso prope C. mil. pass. in longitudinem nobilissima Batavorum insula, & Caninefatum & aliæ Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatiorumque, sternuntur inter Helium ac Flevum, ita appellantur ostia, in quæ effusus Rhenus, ab Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit: medio inter hæc ore, modicum nomini suo custodiens alveum. Quibus ex verbis, elici manifesto potest, tria fuisse tum Rheni ostia: Boreale nimirum *Flevum*, hodieque prisci nominis vestigium inviolate retinens; Occidentale, *Helium*; cujus similiter haud obscuræ reliquiæ in arce Bommelensi *Helia*, itemque in *Hille*, & *Megers-hille*, & *Hillevoets-Sluys*, Zelandicis ad exitum Mosæ insulis, de quibus alibi copiosius:

T'huys te Heel.

Tertium, atq; inter ista medium, quod olim Batavoduri mœnia præterlapsum, Trajectum iverit; atq; inde Voerdam Leidamque secans, per Rhinoburgensem agrum, collesque arenarios medios dividens, in Oceanum sese exoneraverit. Quin & hoc, eodem Pliniano loco, notandum, quod ait à Septentrione se in *lacus* Rhenum effundere. Nam quod ibi *Rhenus* Plinio, nobis nunc *Isala* dicitur, Campos oppidum præterfluens: quod vero *lacus*, *Mare Austrinum* hodie atque *Ia* fluentum, vocitamus;

Zuyder-Zee.

quomodo & alibi, idque suo notamus loco diffusius; simulque eorum arguimus opinionem, qui Leccam *lacus* istos; & Flevum eum (qui *insula* Melæ, Tacito *castellum*) Velaviam credidere;

In Originibus nimirum Francicis.

cum insulæ istius Flevicæ situs eo in loco fuerit, quod vadum nunc est, tabulisque hydrographicis, sub *veteris Flevi* nomine, nuncupatum, hodieque *t'oude Vlie*. Lecca vero, qui rivulus olim, tenues è fonte suo Rheno aquas trahens, nunc quidem genitorem suum, aquarum copia, superat, obstructis, aut æstu Oceani recurrentibus, circa arenarum colles, ostij istius Rhenani medij faucibus: idque non antiquissimo ævo, sed ante quatuor demum secula contigisse, ex Annalium monumentis, doctiores colligunt.

Vide, præter Juniũ Lãb. Hortensiũ lib. 6. Rer. Ult.

Tacitus deinde eandem Bataviam describens, non tria, sed duo tantum Rheni ostia enumerasse contentus (extima videlicet illa, Occidentale & Boreale) medium reticet. At Strabo extimiorum alterum, Occidentale nimirum, Mosæ nunc nomine notius, & medium solummodo indicat, omisso Boreali, quod *Flevum* olim Plinius Tacitusque, & nos hodieque dicimus.

Lib. 4. Geograph.

Causam existimo, quod Drusi fossilis ille in Salam, sive Isalam, Rhenus, parum etiamnum celebratus Strabonis ævo fuerit, utpote qui Augusto adhuc imperante, Geographicos suos Commentarios literis mandaverit. Verum eodem præeunte Strabone notandum hoc insuper, quod ab utroque illo ostiorum Rheni, extimi nimirum Occidentalis, & medij, Menapios doceat colere: *Menapij*, inquit, *ex utroque ostiorum latere paludes incolunt, & silvas humiles densasq; materiæ ac spinosæ: iuxta hos SICAMBRI Germani.*

Lib. 4. cui adde locum Cæsaris ex 4. comm. Belli Gall.

Quæ sane chorographiæ ratio si locum habeat, nõ tantũ Brabãtos, Zelandosq; qui Schaldim intra & Mosam agunt, (Mosam, inquã Occidẽtale, ut dictum, Rheni ostium) sed Amsteladios quoq;, atq; illo tractu transrhenanos fuisse Menapios confecerit. Amstelandij enim nonne ab altero deinde Rhenani ostij latere (quod ex Plinio medium, Traiectũ Leidamque interfluens, solumque agnovisse pro extimo altero Strabonem, diximus) proxime, Boream versus, hodieque accolunt? Et sane ab hac quoque parte egisse olim eos populos confirmat insuper Menapiorum adhuc superstes quodammodo hisce in locis vocabulum. Nam & Hollandorum *Meent*, vernaculo idiomate hoc tractu nominatum, ut modo posui, in Comitis Wilhelmi diplomate: Et *Arcke-meenen*, latifundia fœcundissima juxta Neoclesiam Velaviæ, hodieque omnibus sunt notissima. Vnde præcipue quoque eosdem Menapios (quod nimirum cis ultraque Bataviam tantum impleverint spacij) æstimare licet, magnamque exstitisse ac validam gentem; necnon veritati consonum scripsisse Cæsarem, qui septem eos armatorum millia auxilio socijs misisse ait ad evertendum Romanorum Imperium. Bellovacos enim LX. millia conscripsisse me-



Fol. 4.
26
MARE GERMANICUM
OCCIDENS
53
52
VLIELANDT
EYERLANDT
TEXEL
De Weert
Inschot
Dove balch
Worcum
Hindelopen
T Breesandt
De weert
De drooge Weert
WIERINGEN
Staveren
Harlingen
De Meer
Medenblick
Enchuysen
Schagen
Hoorn
Alcmaer
Egmont op Zee
Wyck op Zee
Bever wyck
Edam
Purmer
Monnekendam
Marcken
Tya
Haerlem
Santvoort
Amsterdam
Muyden
Naerden
Weesp
Haerlemmer meer
Leyder meer
Noortwyck op Zee
Hic olim fuit ostium Rheni itemque Arx Britannica
Catwyck op Zee
Leyden
Hage
Delft
Gravesande
Goude
Woerden
Vtrecht
Oudewater
Schoonhoven
Vianen
Rotterdam
Leerdam
Culenborg
Gorcum
Asperen
Worcum
Dordrecht
Biesbosch
S Geertruydenberg
Willemstat
Goeree
Bommenee
Brouwers haven
Briel
Voorn
Heusden
Wyck te duer
Amersfoort
Ysselsteyn
ZU
Z

HOLLANDIAE CHOROGRAPHIA









memorat eo loci,ubi robur ac studiũ Belgarum defendendæ libertatis recitat. Svessiones vero & Nervios C. Millia;Atrebates & Ambianos X. millia; Morinos XXV. millia;Solos autem Menapios septem,ut dixi millia. Quæ tamen de Cæsaris tantum Strabonisq; temporibus intelligẽda cupiam. Post enim,mutatis Menapiorũ sedibus,peculiares suis quique locis populi ut Caninefates,Frisij,Marsatijque, de quibus Tacitus & Plinius, paulatim hic innotuere. Sed ad propiora veniamus. Hollandiæ igitur nomen atque appellationem ubi assumsit, labentibus annis, Batavia, contractissimi minimique peculij reddita. Tunc enim Trajectum & Neomagum; tunc Batavodurum totusque superior ille Bataviæ districtus,nunc Gelrici juris, suo à corpore divulsus est. Quin & Rhythmicum Hollandiæ Chronicon,annos ante trecentos concinnatum, bipartitam præcipue Hollandiam tunc statuit, *Borealem* nimirum & Australem. *Borealem* haud ultra Harlemum producit: eique Delphos, Leidam,Sciedamum aliaque cis Mosam oppida includit. Imo & ipsum Harlemum non Hollandis proprie, sed Kinnemarijs (qui Plinio ac Tacito Caninefates) adscribere videtur, cum inquit, *Haerlem in Kenemaerlandt*. *Australiori parti*,quã aquis absorptam maxima sui parte refert anno 1287, attribuit præsertim Geertrudenbergenses, Dordracenos,ceterosque trans Mosam sitos. Amstelodami quoque nominatim semel,Agri vero Amsteliani sæpenumero meminit: sed ut territorij adhuc Dominorum ab Amstell: Quod exinde,post cædem videlicet Florentij, Comitibus Hollandiæ cessisse suo referetur loco. Mudensem etiam Arcem ejusdem Florentij Comitis fuisse ait,sed ut pretio eius emtam; eiusque opera atque impensis luculentius exædificatam. Nam ait,*Sy voeren te Muden metten Grave, te huse dat hy met Zijne have hadde ghekocht ende doen maken*. Et post pauca, propugnaculum atque arcem, non simplex fuisse ædificium, plenius indicat. Atque hæc Hollandiæ facies ante, ut dixi,trecentos, & quod excurrit, annos. Post,adspirante victoria,subactisque occiduis Frisijs(quos hodieque Westfrisios, frequentius tamen Northollandos dicimus)adusque Flevi,in Oceanum Borealem, exitum, omnia Hollandici juris ac nominis reddita. In Insula tamen Batavica, cujusmodi à Strabone determinatam supra diximus,illud tantum quod à Culenburgo inferius, Oceanum usque jacet,Hollandiæ accensum; cui è Goylandia cis Rheni medium alveum accessere Vesopum, Nardenum & Muda : ijsque finitimi versus Rheni medium alveum Amstelandij;quos Menapiorum fuisse portionem,ex Strabone jam modo ostensum est. A medio autem Rheno ad Mosæ ostium,additis simul Dordracenis reliquisq; trans Mosam positis,Hollandi nunc Australes intelliguntur,una cum Caninefatum seu Kenemariorum ditione: Post eos Vestfrisij,quos dixi,Hollandi modo Boreales sunt. Plinius simpliciter Frisios eos dixit: Tacitus ad discrimen eorum,qui *Maiores* ex adverso sunt, *Minores Frisios* appellat: Quibus adsident Waterlandi(plinio eidem Frisiabones) & qui Insulas colunt Tessaliam,Wieringam,Flielandiam, in quibus Marsatiorum Sturiorumque, qui eadem in descriptione Pliniana nominati, non obscura vestigia. Nam præterquam quod *Marsen* Vicus in ditione Trajectensi, hodieque Marsacorum populorum hisce in oris memoriam renovet, superest insuper, inter Tessaliam nunc dictam, & continentem minorum Frisiorum,vastæ voraginis canalis,quam hodieq; *Marsdiep* vocitant;Sic & Tusiorum(ita enim M S. quendam codicem habere,pro *Sturijs*,fide oculata testatus est Iunius) nomen quodammodo retinet haustum Oceano territorium,nunc æstuarium tantum,haud procul Huysduno;quod in hodiernum usque diem,servata quasi veteris populi nomenclatione,*Tusenlandt*,sive ditio Tusiorum,nuncupatur. Nisi quis *Sturios* (cum ita plerique referant codices)retinere malit,eosdemq; ad *Struenses* potius referre. Aut si *Vrionum*,non *Sturiorum*,(uti legisse etiam nonnullos olim invenio) genuina sit Plinij lectio, eorum adhuc superstitem nomenclaturam in Insula Austrini sinus *Vrcha* residere non videatur absimile vero. *Struen Insula Vieringæ proxima.*

Non omittenda porro,hoc loco,gentis in universum industria ac solertia. Nam adversus Oceani & Cauri furores murmurantisque maris fremitus, juxta Pettemum, molem immanem exstruxere ardui montis instar, quem à canino,& Scyllæam rabiem imitante latratu, vocaverunt *T'honsbosch*,quasi silvam caninam dicas. Pali sunt valide consibulati & fistucis alte depacti,quorum spatia intermedia grandibus saxis acervantur stipanturque: Hæc moles ad tria passuum millia secundum mare porrigitur. Anniversariæ fabrorum atque opificum operæ assidue illam communiunt,delectis ex Optimatum numero viris industrijs, pro Magistratu illic quodammodo agentibus. Hi trabes convehi, saxa & marmorum pondera comportari, ubi res & usus postulaverit, sedulo imperant. Et quia universum Hollandiæ solum declive ac palustre est,passimq; aquis transmeantibus

udum,inventæ sunt molæ aquariæ,quarum alæ vento circumactæ tympanis quibusdam undas in altum evehunt,atque in euripos incilesque fossas ejectant,ex quibus postea, sublatis cataractis, quotiescunque Oceani reciprocantis æstus refluit, in Maris sinum aut amnem exuberans aquarum copia effunditur. Quâ incolarum cura industriaque Hollãdicus ager eam bonitatem adeptus est, ut cum quovis solo certare posśit. Pascuorum ea gratia atque ubertas est, ut boum bucularumque infinita alat armenta. Hinc è caseis & butyro, quæ exportantur ad exteros,in singulos annos ultra ducenties sextertium cogi putatur; quæ summa ad decies centena caroleorum millia extenditur,præter ea, quæ in quotidianum alimentum,quo præcipuæ tenuioris fortunæ homines utuntur,cõcedunt. Nec tenuioris tantum fortunæ hominum;aut,ut Plinius vult, barbararum gentium iste cibus est,sed Optimatum quoque,imo & Regum ac Principum mensas id edulij genus nequaquam hodie aspernari in confesso sit. Est enim Gravesandicus & Tessalicus caseus, ut de Leidensi ac Edamensi taceam, Parmensi ac Placentino nihilo inferior. Nec minor hinc ubique lactis est copia; adeo ut Iohannes Benningus,Consiliarius olim Curiæ Hollandicæ,certa observatione minimeque fallente calculo Guicciardino probaverit, tantũ Assendelphi, & aliquot proximis in vicis, unius anni spatio, lactis colligi, quantum è Germania superiori Rhenensis vini Dordracum quotannis devehatur. Segetes etiam habet,licet rarisśimas,præstantisśimas tamen: In collibus arenarijs cuniculorum magnã frequentiam,inque Hagiensi nemusculo Capreolorum Damarumque greges; & pasśim avium capturam quæstuosam,imprimis Anatum, Anserum,& autumnalibus mensibus, Scolopacum, quas Plinius rusticulas, Martialis rusticas perdices vocat, nostri *Sneppas*. Nemesianus, ut posui, Scolopaces dixit. Est & Halecum, quos Haringos nominamus, etiam in Austrino sinu præter alia genera piscium captura quæstuosisśima. Ob lignorum vero inopiam, cespitem fosśitium ex intimis terræ visceribus, ipsisque adeo ex aquis eductum ac sole ventoque exsiccatum ad focos adhibent,ut vel inde pateat nihil esse inficetius,quam à lignorum arborumque copia venari Hollandię etymon,de quo superius indicatum est. Atque hic minime præter rem fuerit elegantisśimum Iosephi Scaligeri de miraculis terræ Hollandicæ Epigramma adjicere:

Ignorata tuæ referam miracula terræ
Dousa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium hic lassat textrina Minervæ:
Lanigeros tamen hinc scimus abesse greges:
Non capiunt operas fabriles oppida vestra:
Nulla fabris tamen hæc ligna ministrat humus.
Horrea triticeæ rumpunt hic frugis acervi:
Pascuus hic tamen est,non Cerealis ager.
Hic numerosa meri stipantur dolia cellis:
Quæ vineta colat nulla putator habet.
Hic nulla,aut certe seges est rarissima lini.
Linifici tamen est copia major ubi?
Hic medijs habitamus aquis. Quis credere possit?
Et tamen hic nullæ, Dousa, bibuntur aquæ.

Et quantum ad gentis denique militaria opera,haud prætereundum,coronidis quasi vice, elogium Taciti,qui Batavos dixit, *pro gloria* præcipue pugnasse. Ita enim de Gallis,Batavis, & Germanis, quasi inter se singulos contendens, loquitur libro quarto Historiarum: *Tutor, Classicus, Civilis suis quisq; locis pugnam ciebant. Gallos pro libertate, BATAVOS PRO GLORIA, Germanos ad prædam instigantes*, eamque generosi spiritus indolem nec in posteris,aut hodieque,consenuisse aut decoxisse penitus, vel istæc etiam rerum atque urbis Amstelodamensium,quam aggredimur narratio,in tempore, ac sparsim,palam faciet.

Frisiabones quasi Frisia vones dicti, ut Ingevones, Chaivones de quibus alysque in Originibus Frãcis luculentius.

Verum ut eò,unde defluxit, oratio redeat; Plinius itaque,cum intra complexum Flevi ac Helij non solos agnoverit Batavos,sed sex præterea nunc enumeratos populos,Caninefates videlicet, Frisios, Cauchos, Frisiabones,Sturios & Marsatios; ita quoque Hollandia hodieq; dicetur proprie,Australior illa portio: cui opposita Borealior,continebit præter Aquilonares Kinnemarios,Westvrisiam cum insulis adjacentibus; necnon Vaterlandiam,Goiolandiam & Amstelandiam Amstelodamensis oppidi territorium. Ejusque oppidi ortus,natales ac progressus,ut rite deinceps, & ab ipso quasi fonte repetatur, de hac ipsa Amstelandia dicendi sumendum intium.

CAP. III

CAP. III.

Amstelandiæ Situs & Soli ratio. Vbi & de Venetis obiter & Venetiæ solo non absimili: deque Amsteliorum dynastia & bellis: & quando denique Hollandiæ Comitatui annexa Amstelandia & Amstelodamum, historicé & chronologicé additum.


MSTELANDIAE ager, olim, ut ostendimus, Menapiorum Borealium portio, ab Occidente, Meridiem versus, Australiorem Hollandiam; a Meridie fere, ditionem Trajectensem; ab Oriente ac Borea, Goylandiam conterminam habet. Amstelodamum in extrema propemodum parte ejusdem, ad Amstelæ in Yæm exitum, Aquilonem versus, ipsi fluento Yæ assidet. Solum universum præcipue hic palustre ac uliginosum est: unde & cespitem, qui focis adhibetur, passim conficiunt Incolæ, appellantque ejusmodi tellurem lingua vernacula, *Venen*; & vicum in ea præcipuum, *Amstelveen*. Nec est aliud pene hodieque in Italia Venetiæ Solum, ut vel inde appellatas etiam ipsas Venetias, a regione, inquam, ac Soli uliginosi conditione, non ab Henetis fabulosis, haud abs re suspicer; præsertim cum Florus *Venetiam* Italiæ tractum molissimum dicat; cujus verba diserta sunt lib. 3. cap. 3. *Sed in Venetia, quo fere tractu Italia mollissima est, ipsa soli cælique clementia elanguit.* Nec id mirabitur magnopere, (*Venetiæ* videlicet vocem a nostrati fluxisse) qui cogitaverit Venetorum Italiæ, Gallos olim Venetos, attestante Strabone, autores exstitisse; ipsamque illam Italiæ partem, Cisalpinam fuisse Galliam Gallicumque idioma (quod Germanico Belgicoque fuisse confine alibi demonstrabimus) usurpasse primitus. Amstelandiæ Situs, & Soli ratio. Lib. 4, Geog.

Amstelandiam porro territorium quondam fuisse dynastarum Amstelæ & Isselstenij, quæ amplissimæ fuere ac potentissimæ familiæ Trajectensibus præcipue obnoxiæ, inde patet, quod anno 1204 (quo etiam prima Amsteliorum occurrit in Historijs mentio) Gisbertus Amstelæ Dominus, referente Rythmico Chronico, non defugerit, faventibus trajectinis, adversus Guilielmum Hollandum, tunc Frisiæ Principem, Lodovico Lonio, Hollandiæ Comitatum ambienti, suppetias accurrere. Nam mortui, sine masculo hærede, Theodorici, ejus nominis septimi, Comitis Hollandiæ undecimi, filiam unicam, Adam nomine, Lonius iste conjugem habebat, Hollandiamque idcirco quasi dotalem armis occupare, excluso Guilielmo Adæ patruo, maximo conatu nitebatur. Vnde factū, ut Amsteliani Reguli Lonium e Kinnemaria profugum, omnibus modis, quo ad Episcopum Trajectensem salvus evaderet, juvare non destiterint. Caninefates e contra (Kinnemarios vulgo dici supra notatum est) injuriam non inultam ferentes, instructa confestim tumultuaria classe, ad *Amstelæ aggerem* (ita habet Chronicon) appullere: objicibusque ejus perruptis universum Amstelandiæ agrum aquis inundaverunt: ipsi deinde minoribus lembis circumquaque pervagantes castellaque ac vicos plurimos, quacunque dabatur, depopulati, ipsius denique *Amstelæ munimentum*, injecto igne, funditus deleve-re. Interfuisse quoque eundem hunc Gisbertum bello, quod inter Episcopum Trajectēsem Ottonem, ac Rodolphum arcis Covardianæ Præfectum, Episcopi ejusdem clientem, exortum est, anno 1227, memoriæ traditum lego. Nam isti expeditioni feliciter conficiendæ aliorum quoque Præsulum Principumque vicinorum opem rogarat Otto, interque eos præter Episcoporum Coloniensis & Monasteriensis auxiliares copias, præcipue Gelriæ Comes Gerhardus, cum non contemnenda manu, Episcopo præsenti, præsens adfuit. Gisbertus Amstelius an suum, an Episcopi, aut Hollandi potius auxiliarem tūc duxerit militem, non additum. Sed mox ubi manus conferere cæptum, imprudenter paludem ingressos gravique armorum pondere onustos Rodolphus cum suis, leviori armatura expeditus locorumque gnarus, impeditos ac frustra se explicare conantes interemit. Quorum in numero cum plurimis Nobilium ipse Episcopus fuit. Cujus etiam demortui capiti petulanter a milite illusum: pellis vertici raso detracto, corpus in paludis profundum demersum, cœnoque obrutum est. Gelriæ Comes una cum Balduino Benthemio, necnon Gisbertus Amstelius, errore viarum aliò delati, prope Covardiam gravissime

Amsteliorum dynastæ. 1204. Bella eorundem & res gestæ. Amstelæ vesten. 1227.

gravissimè vulnerati in manus ac potestatem Rodolphi Vivi venerunt. Quod autem Amsteliorum hæc familia ac ditio Trajectensibus, ut plurimum, dicto auditus fuerit, nō abs re accidisse existimo. Nam ut modo patuit, disjuncto per Amstelæ amnem ab Hollandia, Trajectensi Diœcesi contermino tractu sita est; tum & feudum ejusdem Trajectēsis Ecclesiæ exstitisse autores habeo; nec id tantum, sed & Gosvinum Amstelium Episcopatum ibidem functum; quo etiam ultro post annuam Præsulatus administrationem se abdicaverit. Quod tamen Amsteliani Dynastæ ægerrimè tulere, & maximè ubi Henri-
1260. cum Vianensem, cui iniquiores erant, successorem Gosvino datum intelligerent. Quapropter apertis in novum Episcopū armis ivêre, associato in auxilium sibi Ottone Gelriæ Comite. Et denique varia utrinque damna ac deprędationes perpessi prælio rem commisêre. In quo inferiores Amsteliani, cum ad pacis accipiendas conditiones adigerentur, interponentibus se Romanorum Rege Guilielmo, necnon Archiepiscopo Coloniensi Conrado, parere necessum habuère. Qaumvis Gisbertus Amstelius, Gisberti superioris, quantum conjicio, filius, simultates exinde cum Trajectinis perpetuò foverit.
1273. Nam Kinnemarij injurijs nobilitatis provocati, cum anno 1273 ingentes domi turbas darent; atque inde adscitis vicinis Frisijs, infesto agmine in agrum Amstelienſem se effunderent, ejusmodi stratagemate eorum avertit impetum Gisbertus: mitigatis primùm leni atque amico alloquio efferatiorum animis, deinde fœdere cum ijsdem inito, Ducem se ad reliqua contra nobilitatem persequenda professus est. Eoque facto & suis rebus consuluit, & inimicis, quod diù in votis ei fuerat, magnam tempestatem intulit. Nam in Vltrajectinensium Diœcesim ducto hoc exercitu, cui suos quoque addidit, omnium, quibuscum inimicitias alebat (ut erant præsertim Gisbertus Apcaudus, Guilhelm⁹ Risenburgius, Hubertus Vianensis) res possessionesque depopulatus est. Inter quæ, occasione capta, improvisus quoque Trajectum nocturno itinere petijt; attonitisque Oppidanis, & quid sibi vellet exercitus adventus percontantibus, respondit; Kinnemarios *Libertatis assertores* postulare, ut nobilitatem quæ istuc confugerat, aut domicilia fixerat, plebi gravem ex urbe ejicerent, facultates eorum pauperibus distribuerent: si omitterēt, vim in civitatem versam iri. Oppidani repentino periculo commoti, & jam ante non satis propitij nonnullis nobilium familijs, concitato tumultu, proceribus ejectis, atque omni Magistratu abrogato, viros ex se XL. ediderunt, qui & civitatem regerent, & jus civibus redderent. Episcopus, qui Gosvino Amstelio successerat, contumeliæ impatiēs, cum Ottone Geldro, confectis copijs, ubi ad reducendos in urbem exules tenderet, objicientibus se majore numero Kinnemarijs, eorumque socijs, pedem referre coactus est. Quo successu elatus Amstelius inimicorum confestim possessiones atque arces invasit evertitque; Tum hortante eodem, quod messis instaret, Kinnemarij domum suam quisque repetivêre. Addit Hollandiæ rythmicum Chronicon in gratiam Episcopi Ioannis Nassovij recuperatum exinde ope Florentij Castellum Trajectense *Vredelandt*, captumq; ipsum Gisbertum Amstelium; Harmannum verò Voerdensem pœnæ formidine solum vertisse. Sed adulto postmodum eodem Florentio, Hollandiæ Comite XVI. Guilielmi à Frisijs interfecti filio, pacati placatique Kinnemarij, Amstelius cæterique in gratiam recepti: idque cum præsertim in finem, quò expeditiori omnium suorum studio exercitum conficeret rebus adversus Frisios gerendis parem: Eoque confecto, & victoria etiam postmodum potitus, ipse exinde vitijs paulatim victus est. Inprimis in libidines profusus non solum conjugi concubinas inducere, sed & aliorum etiam thoros adulterijs polluere, nec plebeias modò, verùm Nobiles quoque Virgines ac Matronas, volentes nolentesque, ad stuprum pellicere ludo habuit. Ferunt Gerhardo Velsio è primaria nobilitate Hollandica crebrò tùm aulam frequentanti, concubinam quandam suam obtrudere uxorem voluisse: respondisse Velsium, meretricem Principis ducere, non convenire natalibus suis, nec animo honesto: ac Velsium postea Hermanni Voordenij filiā, magnis propinquitatibus nixam, uxorem cepisse, eamque absente atque ceteras in oras ablegato Velsio, à Principe priorum memore esse stupratam. Quæ sanè injuria atrocissime accepta à Velsio marito, à socero Voerdenio, ab avunculo Gisberto Amstelio. Velsium insuper veteres injuriæ, interfectus ab eodem frater, tum carcer & vincula novo hoc refricata facinore, vehementius omnia in vindictam incitabant. Itaque coeuntes inter se tres potentissimæ id loci familiæ, in caput Principis inita conspiratione, & cum Florentio Icukij domino, cui vatinianum in eundem Principem odium erat, ac per eum porrò cum Brabantiæ Duce re communicata, per insidias inopinantem intercipere, &

in Brabantiam

in Brabantiam abducere statuerunt. Tum alijs quoque, quibus fidebant maximè, præsertim quoscunque possessionibus in gratiam Ioh. Vltrajectini antistitis idem Florentius ejecerat, consilio adjunctis, observatisque Principis itineribus, cum is fortè cum aulicis suis Vltrajecto in Hollandiam rediret, non procul urbe insidijs exceptum, diffugientibus Comitibus, de nocte in Arcem Mudensem, ad ostium Vectæ in ora Austrini Sinus sitam, pertraxêre. Inde post paucos dies, cum aliò traducere occultè conarentur, illigatum Equo, vicini Nardenses, consilio per indicem cognito, idoneis ipsi locis abditi, studio Principis sui ex improviso in eos impetum dederunt. Quo facto videns Velsius vivum se avehere ac eripere persequentibus vix posse, audaci facinore, educto gladio hærentem ex Equo medium trasnverberat seque fuga proripit. Fugerant & ceteri conjurati. Velsius tamen cum aliquot sociorum captus à populo, in Arce Croneburgica, ad quam se receperat, custodiæ traditus est: Voerdenus & Amstelius pœnæ metù è patria excessêre. Qui cum Velsio capti, capite multati sunt. Ipse Velsius ad exemplum crudelissimæ necis, quâ Attilium Regulum confectum à Pœnis memoriæ tradiderunt Tubero & Plinius, ligneo nimirum dolio, in quo clavi acuti introrsum adacti erant, conclusus volutatusque lentæ mortis ludibrio interijt. Voerdenus & Amstelius qui aufugerant, omnibus exuti facultatibus, infamia & exilio perpetuo damnati sunt. Iohannes deinde Hānoniæ Hollandiæque Comes Guidoni fratri suo utraque Dominia Voerdæ & Amstelæ usuaria largitus est, quæ ab ejus morte (propterea quod Præsul factus Trajectinus, sine legitima stirpe decesserat) repetijt atque occupavit Vilhelmus cognomento Pius, tanquā hæredia ante Pontificiæ dignitatis honorem ei concessa, nulloq; jure ab Hollandiæ corpore avellenda. Tradunt nonnulli Gisbertum Amstelium, extincto Ioanne Principe, repetitum res suas venisse, & Amstelæ Damum occupato Castello, quod Dammeraco imminebat, communire propugnaculis, portis, turribus pontibusque cœpisse: eaque re & 1299.
ipsum invidiæ incendio flagrasse, & res Oppidanorum in ultimum penè discrimen præcipitasse. Nam exasperati popularium animi, & quasi ad restinguendum commune incēdium concitati, adjuvantibus Caninefatum studia Frisijs finitimisque, facilè dejecerunt flamisque concremarunt munimenta adversus vim & impetum majore ludicra; quando hæc, quantumvis Cyclopica, Vulcano & Marti obsistere nequeant. Quapropter & ipse repulsus & Castellum, quod dixi, solo adæquatum deletumque ita funditus, ut restauratum exinde nunquam fuerit. Quo autem id loci propriè steterit, nihil referre certi habeo, nisi quod aliorum relationibus, quasi per manus traditis, augurari licet situm fuisse à parte Occidua Dammaraci, ut innui, intra Pontem Veterem & Papalem nunc dictum. Nam & plures ante annos, dum nova eo loci excitarentur ædificia, deprehensa fuisse subterranea quædam rudera, molem haud exiguam stetisse olim indicantia, ætate provectiores referunt.

CAP. IV.

Pomeria Vrbis indultu Comitum variè aucta: & tandem lateritio muro cincta. ubi de nomine quoq; & etymo; aliaque in urbis commendationem breviter posita.



AD VRBEM nunc ipsam veniamus; nam origo ferè & initium ejus ex jam dictis se aperuit. Si enim Amstelius Arcem ibi, aut Burgum, ab exilio redux occupaverit; oppidumque turriculis alijsque munimentis ampliaverit aliquid eodem loci & alicujus etiam nominis jam ante id temporis exstitisse manifestū sit. Et sanè exstitisse, præter id docet, diploma Florentij, quod anno ante excessū suū vigesimo quinto, Amstelodamensib⁹, Amsteliorum adhuc dynastiæ subditis, concessisse ipsum constat. Idque Latinè cujusmodi in urbis archivis servatur, seculi sui nitorem referens, integrum subjeci:

Florentius Comes Hollandiæ & Zelandię & Dominus Frisiæ universis præsentes literas inspecturis salutem: Noverit universitas vestra, quod nos homines manentes apud Amstelredamme in restitutionem dānorum, quæ nos, & homines nostri, ipsis fecimus abhinc deinceps ab omni exactione nostri telonii cum bonis suis proprijs quæ ducunt seu deducunt, per totam terram nostram duximus eximendos: In cujus rei testimonium præsens scriptum sigillo nostro fecimus communiri. Datum apud Leyden, Dominica die ante Simonis & Iudæ Apostolorum. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto.

1275.
1291. Quod ipsum Diploma, anno post decimo sexto, iterato chirographo, ab eodem renovatum est. Rithmicum deinde Chronicon, statim post cædem Florentij, ubi obsessam ab Episcopo Trajectensi Wilhelmo, paricidarum tum partes fovente, Mudensem arcem refert, Amstelodami quoque, quod & ante tetigi, nominatim meminit. Nam eò Hannoniæ Comitem Iohannem cum exercitu convenisse memorat, quò Theodoricum ab Haerlem, qui Arcem adversus Episcopum strenuè defendebat, obsidione liberaret.
1296. Idque ad annum refertur millesimum ducentesimum nonagesimum sextum. Post dein-
1342. de anno millesimo trecentesimo quadragesimo secundo Wilhelmus ejus nominis quartus Hollandiæ Comes, concessis urbi varijs privilegijs, jus quoque municipij, quatenus videlicet prorogaretur, ità cum definivit, ut ab Orientali plaga, extra Oppidum, prædium Iohannis Wittij municipalis haberetur limes; à Borea vero, ad magni usque Monasterij agrum; ab Occidente, ad exitum usque viculi seu diverticuli existentis in Isbrandici Agri finibus vergentisque ad Meridiem ac Nessam versus. Eaque ita se haberent, prout fossa tum circumcingebātur. Portus denique jurisdictionem finiret amnis Yæ meditullium, ac deinceps uersus Ortum ejusdem Yæ, secundum aggerem quinquaginta decempedis protenderetur. Ex quibus facile colligitur, (quamvis loca, quæ nominantur, obsoleta nunc sint atque antiquata) quàm tunc urbis fuerint contracta Pomeria. Nam & agger ille universus, nunc Platea amplissima, *Zedyck* appellatus, extra tunc Oppidum fuerit: nec quidquam ferè, nisi Damum circa ac Dammeracum (portuum Diploma appellat) inhabitatum videtur. Verùm ipsum Diploma, cum vernaculo idiomate in Archivis exstet, urbisque prima cunabula graphicè adumbret, libet hìc formularibus ac ævi istius solemnibus verbis prolixius, & quatenus hanc rem propriè spectat, apponere.

Inden eersten zoe sullen die Palen van hare vryheyt wesen op die Oostzyde vander poorten aen Ians Witten Hoffstede; op die Noortzyde aen het groote Gods huys landt; opte Westzyde aenden uteren egge vander lane, die legget in Ysbrandts landt vander Zuydt wynde op de Zuydt-zyde inder Nesse tegens der lane over; Alsoo alst metter grafft begrepen is, ende in die Haven ten halven stroom tot int Ye, ende voort streckende int Ye, langs den Dyck Oostwaerts vijftich roeden buyten den wint moelen, die Heere Willem van Oosschoorne van onser wegen maecken dede.

Post deinde Wilhelmum, Albertus Bavarus, Comes Hollandiæ XXIII. iterum proferri fecit urbis terminos, & multò majorem agri modum adjecit, decempedarum nimirum centum: eumque mox secutus filius Gulielmus têrritorij jus ultra Tyam, in agrum usque, quem Volevicum vocamus, extendi voluit. Cujus quoque rei Diplomata exstāt, chirographo Comitum signata; quorum illud anno 1380; hoc 1490 notatum. Nec tamen muro tunc cingi urbs cœpta; quod anno demum centesimo ferè post contigit, imperante post Carolum Burgundiæ Ducem, Maria filia, Maximiliano nupta. Tum enim undique bellis omnia strepere cœpere, murique statim inchoati anno 1482, Portæ verò Regularium & Antoniana annis sequentibus exstructæ. Quod & inscriptio hodieque ad portam Antonianam posita testatur; quæ annum 1488 præfert. Hi muri lateritij fuêre, nec vulgari aut simplici, sed continuo & egregio opere, inferiusque secto utplurimū, candenti lapide fabrefacti; qui hodie, præter solas Anthonij & Regularium portas aliasque insuper turres aliquot, solo adæquati, (*) productis urbis Pomerijs valloque terreo ac fossâ latissimâ adjectâ. Cujusmodi jam novum vigorem ac splendorem undique referens civitas omnibus intuentibus conspicua apparet: Adeo ut in una urbe plures nunc urbes, imò orbis sit: Et, quod de Tholosa olim Ausonius, de ea verius dicatur.

(*) Anno 1585, *de quo mox.*

Hæc

Hæc modo quadruplures ex se quum effuderit urbes
Non tamen exhaustæ sentit dispendia plebis.

Nam ut verbis ferè hoc Iunij dicam, revera forum hîc, & institoria officina Mercurij illius Lucrionis; qui virga sua, quam manibus gerit, mercatorum animos moderatur ac regit, dum his ad præsentis emolumenti atque exspectati fœnoris auram ab orco vitam revocat; illos per jacturam ac mala nomina, eumque nominibus dispendia ad tartara demittit. Vnde fit, ut nunquã hîc hospitalitatis illa janua (quam φιλοξενίης στέγος ἀκλήιστον dicit Callimachus) observata reperiatur. Sed perpetuò frequentetur ac pateat Hispanis, Italis, Britannis, Scotis, Gallis, Germanis, Sarmatis, Cimbris, Svecis, Norwegis, Danis, Livonijs, Polonis, Borussis, Moschis, &, si qui alij Boreali sub axe latent. Hæc ergo erit illa Venus Anadyomene, quam salsis è fluctibus os exerentem comasque explicantem designare voluisse videtur Appelles. Hæc, inquam, jure erit illa, quam *cellam penuariam* (quod de Sicilia suo ævo Cato dicebat) atque adeò *HORREVM* suum agnoscat & vocet Belgica. Quam rem acrostichide signavit olim quem dixi Had. Iunius, adjunctis laudibus tali emporio dignis, eamque hoc loco non alienum duxi totam adscribere.

A ureus, ut perhibent, quondam ab IOVE perpluit imber,
M agnificis turgentem opibus Rhodon; HORREA ROMÆ
S icaniam esse Ceres victuro munere cessit.
T ùrsu & huc oculos facilis DEVS ipse benignos,
E t me mactam opibus jussit florereque rebus
L ætis; at circundor aquis pigraque palude
O bsita; roboreoque solo stant culmina nixa
D epactis altè trabibus, surgentia Coelo:
A lternansque statis vicibus Maris æstus aperti
M œnia subcurgit, qua parte exotica puppes
V elifera invectant onera, exportantque frequenti
M ercatu, Hesperias quà se demittit in undas,
B arbaraque Eous pandit quà littora Titan
E xpedio, quos nostra tamen non area verrit,
L egifera cumulos Cereris, genitalia dona.
G argara proventu tanto non farris abundant.
I nferior fuerit, vel MOMO judice, mecum
C ontendat locuplete penu si Trinacris ora,
Æ qualesque ferax non Africa stipat acervos.
H orreum & agnoscit me non malè Belgica felix;
O mnigenas ut opes, sic vitæ alimenta ministro.
R ectè ut quis saturæ similem me dixerit alvo,
R obore defectos succum quæ didit in artus.
E ximiæ hinc adeò Cæsar me ferre coronam
V irtutis decus, ac munus spectabile jussit.
M ateriam at linquo scribendi vatibus amplam.

Qui postremus versiculus vaticinij quasi vicem obtinet, cum ob sæpe iteratam exinde urbis ampliationem, tum Indicas atque exoticas, annis proximis feliciter ab Amstelodamensib⁹ primùm tentatas navigationes; quæ & hodiernum usque in diem, magno cum successu magnoque civium emolumento, frequentantur, ut jure loquentem nunc *AMSTELAM* sic insuper introducere liceat:

Indus & Euphrates & quà patet extima CHINA,
Quaque etiam priscis non cognitus Orbis in Orbe,
Huc mea vela fero, inferoque per Æquora classem,
Nunc Euphrate ipso nunc AMSTELA *clarior Indo.*

Sed de hisce, ubi eò perventum fuerit, mox commodius. Nunc etymon urbis addendum; quod ab Amne Amstelâ repeti debere, tàm indubitatum est, quàm quod maximè. Nam emissarium, quod Amstelam inter & Dammeracum collocatum est, quo & exonerari aquarum internæ stagnationes, atque excludi vicissim externæ solent, *Dam*

hodieque

hodieque, non Amstelodamenses modò, sed & omnes in universum Hollandi nuncupat. Vnde & tot Oppidorum similiter terminantium, ut *Sciedamum, Roterodamum, Edamum* aliorumque passim apud illos nomina. Quin & *Dami* vocabulum (ut vel hac præcipuè antiquitate gloriari Amstelodamenses Hollandosque liceat) Cornelio quoque Tacito, annos ante 1450; ea ferè, quâ nunc frequentatur notione, usurpatum memoratumque reperio. Nam *Daum* sive *Taum* æstuarium Britannis significasse, disertè retulit in vitâ Agricolæ. Britanniam autem Belgarum colonijs præcipuè olim cultam fuisse Cæsar cō-memorat; & nos idioma etiam usurpasse antiquitus (sicuti & Gallos) Belgis Germanisque quàm proximè affine, demonstrabimus alibi. Amsterodamum ergò sive Amstelodamum verius, nihil erit aliud quam *Amstelæ* Amnis aquæductus & emissarium, atque æstuarium; sive cataractā aut claustrum potius, coercendis dispensandisque aquis, prout illæ vel accedere videbuntur, vel recedere, destinatum. Quam etiam notationem aspexit olim Nicolaus Cannius, cum ejusmodi carmine, non omninò incompto, urbi suæ natali (nam Amstelodamensem fuisse post dicemus) litaret:

Hæc illa est B A T A V Æ non ultima gloria gentis,
Amnis cui nomen cui cataracta dedit.
Dicta prius D A M V M raris habitata colonis,
Cum contenta casis rustica vita fuit.
Hinc A M S T E L D A M V M jam facta celebrior, atque
Fortunæ crevit tempore nomen item;
Urbs benè nota propè atque procul distantibus oris,
Dotibus innumeris suspicienda bonis.
Dives agri, dives pretiosæ vestis, & Auri,
Ut pleno cornu copia larga beet.
Quod Tagus & Hermus vehit & Pactolus in unum,
Verè hoc congestum dixeris esse loco.

CAP. V.

Oppidi & agri proximè adjacentis situs: necnon fluminum tam in ipsam urbem quàm præterlabentium adumbratio. Vbi & de Tya, quæ Ya verius, deque magnitudine, urbisque plateis ac solo, ædesque exstruendi ratione, itemq; cataractis obiter.



SITVS porrò urbis sic habet: Fluvius de quo dixi, Amstela, Oppidum à Meridiè ingrediens rectoque cursu adusque Dami cataractam procurrens ibidemque per eandem in Damaracum emissus, Aquilonem versus, Tyæ miscetur; mediamque sic urbem secat. Vnde etiam Occidua Oppidi pars *Novum Lat*⁹; quod ad Ortum est, *Vetus* appellatur. A parte quoq; cataractæ Dammensis Meridionali, Amstela appellationem retinet, vulgò *t'Rokin*; à Boreali, quà in Tyam abit, *Dammaraci* nomen accipit. Et statim ultra Tyæ fluvium, eundem Aquilonem versus, Vaterlandi, Plinio Frisiabones, collocantur. A parte verò urbis Occidua, Harlemenses & Kinnemarij sunt, olim Caninefates, Priscis appellati: ab Ortiva plaga Vesopum & Muda, Goylandique occurrunt: à Meridiè Amstelvenij & Trajectēses.


Ager hiberno præsertim tempore, à tribus ab urbe miliaribus totus & undique stagnantibus aquis superfunditur; quamquam Goylandiam versus, non ita effusum & palustre solum est, sed in altum attolli, unico statim ab urbe miliari, Mudam ultra, collesque crebrescere incipiunt.

Tya porrò ab Occasu in Ortum, magno ac spatioso alveo (qui olim exiguus fuit, nō-dum

AMSTELODÁMU



M EMPORIUM



dum exesis Austrini sinus littoribus) Aquilonare urbis latus prætervectus insignem navibus stationem præbet. Vbi & totum id latus duplici palorum ordine munitum valli vicem obtinet, Tyamque leniter præterlabentum in Mare Austrinum dimittit. Tyam verò appello, usitatam potius quàm genuinam vocis indolem exprimens. Nam verum & vetus illi nomen Yæ fuit. Quomodo servant hodieque Principum diplomata, quæ semper *Yam*, non *Tyam*, efferunt. Inter alia Wilhelmi quarti, quod superius posuimus, privilegium luculenter hoc ipsum indicet; sicuti & aliud à Guilielmo exinde sexto Alberti Boij filio, ijsdem Amstelodamensibus indultum: in quo bis *Ya* vocabulum occurrit, verbis, ut sequitur, conceptissimis: *Item dat haer vryhede meere zall wesen bover haer oude vryhede, die zij nu hebben int Ye, tot ander volewyck toe, int Ye.* Hoc signatum anno 1409. Et extat ejusdem aliud anno 1413. Rynerscopijs, Byleveldijs Achthovijsque concessum de aquagijs rivisque in Amstelam deducendis, ubi ista legere est: *Voort hebben wy den selven goeden luyden gegunt te wateren in den Amstelen, ende voort inden Ye.* Et juvat hanc sanè sententiam haud leviter, quod haleces isti, qui stato anni tempore circa Enchusam ac Medenblicum, in hoc ipso Austrini Maris sinu, capiuntur, *Ybuckinus* appellari constet. Nam *Ya* fluentum longo syrmate ex lacubus illis Frisiabonum sive Waterlandiæ interioribus (ut Midelye & Purmerye) ad isthæc se exteriora proruens, non Amstelodamum modò, sed Edamum quoque præterfluens, Enchusam usque procurrit. Olim in Isalam exonerasse sese, atque inde exortum esse, accessu Yæ, nomen Ysalæ (quam ævo Strabonis Salam appellatam alibi docemus) haud abs re dixero. Nam Isala quondam, cum nondū usque adeò diffusum ac dilatatum esset Austrinum hoc Mare, minimè, uti nunc, apud Campos Oppidum in apertum illum sinum, quem Mare Austrinum dicimus, continuò se diffuderit, nomenque ac ripam mutaverit; sed alveo aliquandiu per medios agros solido vadens, Vidroque hinc, illinc Yâ (de quo loquimur) receptis, ubi Cuneram Staveramque prætervectus esset, plures in partes scissus Flevi denique nomen assumsit. Certè plurimum, intra Staveram Enchusamque, necnon Hardevicum inter & Ysalæ hodiernū circa Campos exitum, ubi vastum jam Pelagus patet, terræ antiquitus fuisse, nemo qui littoris illius totiusque tractus infidum solum vadosaque loca consideret, jure negaverit. Quando verò & quâ potissimum aquarum irruptione factum id sit, aliud referre nō habeo, quam â Drusianâ in Ysalam fossâ occasionem sumtam. Nam, auctâ hoc modo Isala, fines Transisalanæ ac Cisrhenanæ Frisiæ adesi undique atque absumpti; hinc fossili illo Rheno, ilinc Oceano, in Mare tandem, quod Tacitus suo adhuc ævo Pliniusque lacus tantum dixêre, conversi sunt. Sed de hoc cum alibi proprio & suo loco latius accuratiusque disseramus, hîc obiter, quantum rei illustrandæ satis sit, vel indicasse suffecerit.

Ceterum Oppidi circuitum, quatenus muro olim, de quo dixi, lateritio cingeretur, comperio haud ultra 4920 passus habuisse. Atque is ipse ambitus, quantus fuerit, vel inde colligere sit, quod hodieque Antwerpiæ circuitus, una cum Castelli munitionibus, haud amplior multò deprehendatur. Passus enim numerant 5635, modò rectè subductus sit calculus. At Amstelodamo quantum exinde, annis proximis, spatij accesserit, suo mox loco dicetur. Solum autem interioris urbis, cujusmodi esse exterius, & agri adjacentis jam diximus, paludosum similiter ac subjacentibus quasi innatans totum est, cedensque vestigijs, levissimo etiam pondere pressum. Quapropter non basilicæ modò ac publica ædificia, sed Civium etiam ædes promiscuè (quod & Iunius in Acrostichide suâ superi[9] attigit (non nisi Palis fundit[9] solo impactis aut exstrui aut subsistere ullaten[9] possunt. Idque in hunc ferè perficitur modum: Humum primò, eo loci, quo jaciendum fundamentum est, sex vel octo pedum profunditate in longum effodiunt: eique binas inferunt trabes, fundamenti seu muri exstruendi longitudine, interque se, pro muri ejusdem erigendi crassitie, æqualiter disjunctas: quas exinde, lignis transversis pluribus ità connectunt, ut veluti foramina quædam atque interstitia sint, quibus postmodum sublicas seu teretes quosdam Palos quadraginta vel quinquaginta, vel etiam sexaginta pedibus, pro ædificij superimponendi minore aut majore mole, longos immittunt, firmissimèque per fistucas solo infigunt, tot Palos Palis jungendo, quot locus seu spatium cujusque foraminis seu interstitij admittat. Atque ità demum ædificij fundamentum ex lapide cocto aut quadrato immotè superadjiciunt. Ejusmodi autem sublicium solum quanti impendij sit, hinc æstimare licet, quod plerumque ejusmodi Pali, singuli vix infra thalerum væneant. Eorumque ubi trecenti, aut quingenti, aut etiam milleni subinde pro ædificij modo requirantur, cujusmodi summa excrescat, adjecto simul, præter operariorum mercedem, fundi pretio, quivis facile intelligat. Certè quibus experimento

Vide Emanuel de Meteren in Comment. Rer. Belg.

 res

Platea. res constat, fundi ac fundamentorum sæpenumero impensas reliquam structuram æquare, vel etiam excedere memorant.

Plateæ præcipuæ, à Latere antiquo *Olerum* & *Nessa* sunt; itemque *Zeedyck*: & illa Portæ Antonianæ *Nova* nuper appellata: A latere adverso *Vitellina* est & *Agger Novus*. Reliquæ non Plateæ, sed aut *Fora*, aut *Vici* transversim procurrentes, aut *Burchvalli* dicti, qui aquis intercurrentibus divisi, diversas Insulas constituunt. Nam *Amstela* (præter medium alveum, quem in Dammaracum per Dammense emissarium immitti diximus) per *Grimmenessium* insuper & *Boarium* Aquæductus, in quatuor haud exiguos Amnes sive alveos sese diffundit; qui similiter à Meridie in Aquilonem per duos iterum ingentes Aquæductus sive emissaria, *Haerlemense* nimirum & *Colckianum*, Tyæ commiscentur. Horum Amnium duo *Latus Antiquum*; Et duo, *Novum* permeantes quodlibet denuò latus bifariam dividunt; & ligneis passim lapideisque Pontibus vicissim jungunt. Nuper, promotis, ut indicatum est, Oppidi Pomerijs, & alvei novi, novique aquæductus & *Burgvalli* prioribus additi, magnisque impensis atque opere elaborato Pontes sublicij quamplurimi medijs ex undis educti, aliaque magnifica opera constituta sunt: de quibus omnibus oportunius posteà.

Emissaria seu Aquæductus.

Lib. 11.

CAP. VI.

Veteris seu Antiqui Lateris ædificia, præsertim sacra.



De Oppido, & primis ej[9] initijs primâque facie, in universum satis ista. Nunc etiã interiora paulò propius, & sacra presertim ædificia lustranda. Dixim[9] bifariam urbem divisam in *Latus Novum*, & *Vetus*. Quorum in *Veteri* Parochialis Ecclesia, *Antiqua* nunc dicta; Olim, cum primùm dedicaretur D. Iohannis Baptistæ, necnon Episcopi Nicolai tutelæ ac honori sacra fuit. Condi cœpta annos ante ducentos, multisque post annis extrema demum operi manus imposita. Nam, anno 1500. multis adhuc ædiculis amplior reddita, cum nec turris magni tum operis fuerit: Quæ anno tandem 1566. à fundamentis excitata, visendo nunc affabrèque elaborato fastigio, cælo attollitur. In eâ, præter grandiores campanas ac Horologia, quæ exteriùs visentibus circumquaque patent, nolæ complures apto sonorum temperamento ità factæ, ut concentu harmonico horis singulis amœnè præcinant, easdemque in semisses dividant, magna cum voluptate audientium. Altaria habuisse olim volunt 33: indutum quoque Sacerdotalem multi precij; necnon Hierothecam argenteam marcarum 70. cui & alteram annis sequentibus adjecerant longè majoris & artificij & pretij: vulgo *Ciborium Corporis Christi*, dixerunt. Meminit etiam Anonymus, penes me manuscriptus (qui annos ante centum Amstelodamensia nonnulla, & præsertim hæc Ecclesiastica, obiter perstrinxit) *Mundi perfecti*, altitudinis pedum 52. Idque vocabuli, ut plura Papismi alia, è Gentilismo tractum hæsisse videtur. Nam in Cereris sacris, occultiora quæ habebantur, *Mundum* appellabant, quem inspicere prophano piaculum putabant. Vnde Apuleius; *Majus piaculum decernis speculum Philosopho, quàm prophano Cereris Mundum videre*. Hunc autem *Mundum* stetisse in *Choro*, altitudinem Columnæ excedentem, intelligo: in eoque Hierothecam, seu Ciborium, ut vocabant, recondi solitum. Verum ejusmodi omnia, superstitiosa Monasticorum multitudine procul amandata, absolutaque Hierarchiæ illius periodo, pessundata nunc atq eliminata cum cæteris evanuerũt. Eorumque loco Verbi Divini Ministri aliquot Ecclesiæ suffragijs, volente ac probante Senatu, lecti, qui populum Dei Verbum docent. De quibus suo loco posteà.

Templum Vetus.

D. Olai Sacellum. Præter hanc ædem Sacellum insuper est ad exitum plateæ *Olerum*, Boream versus, *Olao* sacrum; *cum Capella ad instar Hierosolymitani Templi cum sepulchro Domini annexa*, ut habent verba Anonymi.

D. Petri. Antiquissimam & Oppidi olim primariam ædem fuisse volunt, quod in vico *Nessæ* est. D. Petri ædiculam sive Capellam, vulgo vocabant. Nunc Macellum est. Nec absimile vero, homines Piscatores, ut erant tunc tempora, D. Petro Piscatori, loci, quem incolebant, honoris ac tutelæ prærogativam detulisse.

Cænobia virorum. *Cænobia* superioris Parochiæ plurima fuerunt. Primum sibi locum vindicasse videntur *Fratres Minores*, ubi nunc Verbi Divini Ministrorum duorum, aliorumque civium habitatio

bitatio Secundũ fratres 3. Regulæ S. Francisci, *Pauliniani*; Tertiũ Fratricelli in Vico Nesſæ: Quorum Paulinianorum aliquot, quos *Tertianos* nominabant, redundante fortaſſe numeroſiore populo, Hornam ſeceſsiſſe, anno 1457. impetratoque agri certo modo, novum ibi exſtruxiſſe cum æde cœnobium Hornani nuper editi Annales annotant. *A Theodoro Nelio edit. ã. 1604*

Fæminarum quoque *cætus*, ſive *Monaſteria Virginum* exſtitiſſe reperio tredecim: *Monalium*, ſcilicet Ordinis Auguſtini quinque: Quorum duo, *Antiquarum* nimirum & *Novarum* Monialium erant, ubi nunc Xenodochia: Reliqua tria, *Mariæ Magdalenæ*, *Agnetis & Catharinæ* fuere. *Sororum* deinde *tertiæ Regulæ* S. Franciſci, ſex numerata; quorum primum *Vrſulæ*, ſive Virginum undecim millium dictum: nunc *Netoria Domus, t'Pinhuys*, de qua mox. II *Cæcilia*, III *Barbaræ*, IV *Claræ*, V *Mariæ*, VI *Margaretæ*. Quorum Ceciliæ, *Aula* nunc *Principis* eſt. Reliqua ex adverſo juxta Radicarium forum ex ordine ſita, privatorum habitationibus ſerviunt. Porrò *omnis generis converſarum* ſeu pœnitentiarum, unum exſtitit, Auguſtiniani quoque Ordinis (*Bethaniæ* dictum; nunc Schola publica. Hoc cæteris, licet novum, opulentia olim præſtitiſſe refert Anonymus, quem dixi. Qui & hoc addit, corruptas ac proſtitutas mulieres ſuo ævo, id eſt, anno circiter 1500 nõ amplius, aut ſaltem difficulter in id admiſſas. Notat in Chronico Regum Francorum Tilius ejuſmodi Collegium Lutetiæ demum inſtitutum anno 1494. Vltimum *Soricellarum* fuit (quæ Nigræ Sorores aliàs dictæ) curã ægris ac peſte præſertim laborantib⁹ impedentium. Collocatum hoc fuit juxta Pontem alterum, qui è Templo Veteri ad Plateam *Zeedyckenſem* ducit. Partem ejuſdem occupat in Zeedyckenſi Platea Domus, quæ publici commeatus Vectigali cogendo accipiendoque deſtinatur, *t'Convoy Huys*. *Coenobia Virginum.*

Hujus quoque lateris fuit inſigne illud Xenodochium, quod *Hoſpitale* vulgò vocatum. Idque ex duobus Hoſpitalibus D. Petri, & Elizabethæ *Novi Lateris* juxta Curiam, in *Vetus* iſtud tranſlatum eſt. Et annis ſuperioribus iterum alio loco conſtitutum, ut poſtea memorabimus. *Xenodochium.*

Extra Portam olim Antonianam, nunc intra urbis Pomeria, eſt Conventus Leproſorum. De quo mox etiam.

CAPV III.

Novi Lateris Aedes Sacræ ac ſexus utriuſque Cœnobia.



OVI *Lateris* Parœcia Parochialis fundata eſt anno 1408. vel, ut alij 1414; pulchritudine operis inter primarias Europæ Baſilicas non immeritò cenſenda. Vltimam manum accepit anno ferè, poſtquam exædificari cœpta, centeſimo. Huic quoque altaria non minus triginta quatuor attributa; inſtrumenta atque ornamenta ſacrificantium & ſpecie & pretio ſtupenda. Tutelares habuit *Mariam Virginem* & *Catharinam*. Hodiè *Novum Templum* appellatur. Fundatorem præcipuum exſtitiſſe Guilielmum Eggart inſcriptio, quæ hodieque ibidem prope Bibliothecæ aditum exſtat, clarè loquitur. Qui Eggardus mercator Amſtelodamenſis, Gandavo, ut Anonymus habet, Flandriæ Oppido oriundus, primi nominis ac loci apud Guilielmum ſextum Hollandię Comitem vigeſimum quartum (utpote Theſaurarius ejuſdem ac Quæſtor) Amſtelodamenſibus varia privilegia atque immunitates, ab eodem Comite indultas præcipuè impetraverit. Vrbs ſanè nec gratiorem illo, nec utiliorem ſibi Civem id temporis experta fuit. Cumque oneroſa ac gravis ei Nobilitas eſſet, quod homo nullis natalibus tantã apud Principem potentia atque autoritate præſtaret, idque nec Principem fugeret, dixiſſe aliquando accumbentibus ſecum nonnullis aulicorum Princeps fertur, ſe amicum ſuum Guilielmum Eggartum ipſis cõmendatum habere, eâ curâ, ut ſi quid ei humanitùs accideret, etiã ſibi imputandum nõ ignoraret. Cauſa affectus atque amoris hujus ità refertur; Comitem nimirum Guilielmum, cum aliquando peregrinus Dantiſci ageret, pecunijſque egeret, omnibus modis adjutum ab Eggarto; illiuſque beneficij memorem Comitemque mox inauguratum, ſibi non tantum adſciviſſe Eggartum, ſed Dominum quoque Purmerendiæ pronunciaſſe. Quibus tamen ego in medio relictis, utpotè nullo Annalium certo teſtimonio roboratis, nec addo, nec demo fidem. Defuncto poſtmodum Comite, Eggardus ætate jam *Templum Novum.*

provectus

provectus vix semestre superfuit. Nam ope ac patrocinio Comitis destitutus, dum undique ab inimicis peteretur, pusillanimitate quadam ità affectus est, ut nullibi se tutum putaret. Quapropter animi ægritudine, morbo contracto, vitam tandem finijt in Arce Purmerendæ, quam ipse exstrui fecerat. Corpus Amstelodamum delatum in hac ipsa æde, magnis exequijs, honorificè sepultum est, anno 1417. Iulij 15.

De heiligerstee. Alterum ab hoc, in Vitellinâ Plateâ, Templum, hagiotopus seu sacer locus dicitur. Multò id superiore minus est, affabrè nihilominus atque apta mensuratione ità factum, ut plurima undique lúce collustratum præcipuè locum commendet. Sacellum olim fuerat, occasione ejusmodi conditum; Quod, anno 1345, cum altis adhuc Papismi tenebris hominum mentes occuparentur, hostia, quam eò loci æger sumsisset, atque inde foco assidens vomitione inter cætera in ignem rejecisset, postero exinde die illæsa inter cineres reperta fuerit. Cui & hoc accessisse aiunt miraculo, quod, Sacellum idem (Chapellam tum vocabant) cum, anno post 1452, exorto fortè fortuna incendio penitus deflagrasset, eadem ista hostiola, exulto licet velamine serico, quo intecta Hierotheca erat, denuò illæsa atque inviolata remanserit. Hinc increbuisse nundinationes sacrificulis, exstructumque in eum postea, quem videmus, modum, nihil mirum apud credulam præsertim, ac fascino superstitionis inbubinatam plebeculam, quæ huc assiduè ex dissitis etiam locis, confluens, non vota tantum & preces, sed aurum præcipuè & opes deferebat. Maximilianum quoque Romanorum Regem Belgicæque universæ Principem, anno 1582, dum Hagæ Comitis graviter decumberet, facto voto sacrum hunc locum visendi, sanitati subitò restitutum narrat Anonymus, atque inde soluto voto dona ingentia grato obtulisse animo.

D. Jacobi Fanum. Est & aliud insuper Fanum D. Iacobi in *Aggere Novo* versus Haerlemensem Portam situm; at superiori, quod ad elegantiam ac structuram attinet, longè inferius.

Coenobia. *Coenobia* porrò in eadem hac Parochia præcipuè quatuor fuêre: Primum Monialium erat Ordinis Augustini, *D. Gerthrudis*; ubi nunc Ministrorum habitatio: Alterum tertiæ Regulæ S. Francisci, *Luciæ* sacrum, nunc Orphanotrophium est: Tertium *Begunarum*; Quartum Monialium *Clarissarum*; Ergasterium hodiè.

D. Georg. Capella. *Capella* etiam *D. Georgij* in hoc latere collocatur, in vetus postmodum translata. Olim fuisse Domum Leprosorum, suo autem ævo Gerototrophium, in quo senio confecti alerentur, indicat Anonymus.

Extra Oppidum ea parte, qua Haerlemum itur, *Chartusiensium* quoque Monasterium fuit. Quod ab Alberto Boio Hollandiæ Comite exædificatum refert idem Anonymus. Nunc rudera tantummodo & Cœmiterium superant. Ejusdem ævi & Regularium est, extra Portam Regularium. Hoc cum annum circiter 1506 exustum esset, novum exædificarunt ijdem Regulares in loco, qui *Heilo* hodieque nuncupatur, extra Alcmariam prope Caninefates.

Verum hæc omnia aliquot ab hinc annis alios melioresque in usus versa, aut Xenodochia nunc, uti innuimus, aut Nosochomia, aut Gerontotrophia, aut denique Orphanotrophia necnon & Ergasteria sunt; de quibus, alijsque urbis publicis ædificijs, ut, Curia, Libra Saggitariorum Collegijs ac Hortis, cæterisque similibus quæ noviter etiam accessere, suo mox ordine & loco dicetur commodius.

CAP. VIII.

Res & acta Amstelodamensium, itemque privilegia atque immunitates secundum seriem ac ordinem Hollandiæ Comitum annorumque digesta.



HACTENUS Oppidum, cujusmodi cinctum adhuc mœnibus stetit, satis, ut existimo, perlustravimus: Addendum jam insuper, quomodo, lōga annorum serie, ad istud decus per læta atque aspera plurimaque belli discrimina, Comitum primò, atque inde Burgundiæ Principum auspicijs, paulatim assurrexerit.

1. SUB

I. SUB FLORENTIO. V. ET GUILIELMO IV. Comitibus.

Et primò quidem à *Florentio V.* vectigalium immunitates liberaliter obtinuisse Cives, etiam tum cum adhuc Amsteliorum Dynastarum essent; ex Diplomate supra posito patuit. A cæde verò ejusdem Florentij, cum in potestatem jam venissent Hollandiæ Comitum, eædemque immunitates, iteratis Diplomatibus, & maximè Wilhelmi IV. Comitis, anni 1342 roboratæ fuerunt; Et præter illa, Prætori insuper Consulibusque ius esse idem Wilhelmus voluit in numerum ac censum Civium admittere quoscunque admittendos ipsi probarent, Scholas quoque literarias instituendi potestatem fecit. 1271. 1342.

II. SUB MARGARETA.

Guilielmum secuta soror *Margareta* Hannoniæ, Hollandiæ ac Zelandiæ Comitissa, Lodovici Imperatoris Augusti conjux. Ea publico instrumento sancijt ratumque haberi iussit, ne unquam Amstelodamēse Oppidum, ullatenus ab Hollandiæ Comitatu avelleretur. Hoc Diploma Hagæ Comitis factum signatumque est anno 1346. Cui & alterum eodem tempore additum, quo omnia privilegia ac jura, à prædecessoribus suis urbi indulta, firma rataque habuit. Huic Margaretæ filius fuit Guilielmus natu maximus, cui ipsa, vivente adhuc marito Imperatore, principatum Hollandiæ Zelandiæque præter Hannoniam tradiderat. Verum ab obitu Imperatoris, ipsimet gubernandis Provincijs præesse cupienti cessit quidem filius, sed instinctu quorumdam, invita matre, resumsit Imperium. Qua re offensa mater, filio quoq; invito, imperium tenere allaboravit. Hinc factionum infausta illa vocabula, quos *Hoexios & Cabeljavios* nominant, exorta primum fuere. Quibus sanè factionibus, cum se etiam Amstelodamenses involvissent; eæque miserum in modum tum, multisque etiam post annis, exercitos Oppidanos habuerint, uti ex sequentibus etiam liquebit, obiter hîc earum initium indicasse, haud abs re fuerit. 1346.

Matri *Margaretæ* qui studebant, è quibus Brederodius & Bronckhorstius, seu Duces fuere, *Hoexios* se appellari; qui Guilielmum præferebant, *Cabeljavy*, à Pisce sic nuncupato, dici voluerunt; in quibus Egmondanus & Arculeius præcipuè eminebant. Vnde varij inter partes exorti conflictus, in quibus dubia fortuna, sæpenumero certatum est. Tādem, superata matre, fugataque ad Anglos, ubi soror Philippa res gerebat, ita demum ij motus compositi, ut mater *Margareta* Hannoniam; Guilielmus filius Hollandos Zelandosque teneret. Atque ita pestis ista pro tempore tunc sopita fuit. Memoria autem præcipue dignum, uno eodemq; illo temporum tractu, cum isthæc rabies Hollandorum mentes occupasset, similes quoque furores proximis provincijs incubuisse. Nam & Frisia uniuersa in partes abijt, cum hi *Vetcooperi*, illi *Schiringij*, barbaris ac pudendis nominibus appellari gauderent: Nec plebes modò, sed & Nobiles familiæ Monachorumque Collegia, tum & Oppida tota, ac Provinciæ in partibus esse voluerunt. Quin & Gelri eadem propemodum tempestate, fratrum Reinaldi & Eduardi contentione (quos ex Eduardi tertij Regis Angliæ sorore Reinoldus secundus Gelriæ Dux, qui patrem in carcere mori coegerat, cum filia Iohanna genuerat) in factiones similiter secesserant. *Brunckhorstij & Hoekeri* nuncupati sunt. Eaque feralia nomina & fratres inter se impijs armis commisere, & Gelriam multo tempore varijs calamitatibus involutam tenuere. Sed in gradum jam redeamus. *Hoexiorū & Cabeljaviorum factionum initium & origo.*

III. GUILIELMUS V. Hollandiæ Comes.

Guilielmus V. matri mox succedens amstelodamensibus anno 1353 Diploma superius, de non abalienando ab Hollandiæ Comitatu Oppido, aliaque talia sancta rataque habenda decrevit: addiditque, si quis fortè Civium capitali delicto reus teneretur, eum tamen dimidia tantum bonorum parte multandnm, reliquam conjugi, aut liberis, aut legitimo hæredi cedendam. Promisit similiter, Amstelodamenses, quicunque cædem, carcerem, ædium ac munitionum deprædationes, vastationes, similesque injurias, durantibus inter se & matrem armis, sibi suisque belli jure intulissent, indemnes omnes ac sartos tectos se habiturum; adjecitque se fidem, sponsiones ac satisdationes eorundem pro se factas in se universas recepturum. 1353.

IV. Prærogativæ aliæ ab ALBERTO Amstelodamensibus indultæ, eorundemque res sub eodem gestæ.

Guilielmo, post obitum matris, mente abalienato ac carceri ad extremum vitæ diem emancipato, successit in hollandiæ Imperio ejusdem frater ALBERTUS Boius, qui annis

viginti

viginti octo magna cum moderationis laude Provincijs præfuit. Privilegia atque immunitates Amstelodamo plurimas indulsit, præter ea, quæ ad Vrbis productionem atque ampliationem spectabant, de quibus jam ante etiam indicatum est. Inter cætera Apocham invenio, quâ satisfactum sibi ab Amstelodamensibus testatur, qui ob vicinos Kuedelstertios certam mulctam scutatorum Brugensium centum incurrerant. Exstant quoque instrumentales literæ, quibus Theodorus Wassenarius Burchgravius tum Leidensis, & Eques, inter se & Amstelodamenses, ita conventum refert, ut Civitas Civesque Amstelodamensium, ab omnibus telonijs, suis in territorijs immunes haberentur, exceptis ijs, quæ solemnibus anni mercatibus Vlaerdingæ, Voorschotæ, & Falckenburgi dependi ab omnibus solent. Has easdem Burggravij literas novo Diplomate auctas ratasque
1360. Albertus reddidit anno 1360, cum adhuc Curatoris nomine Provincijs præesset. Quo etiam anno ampliandi atque extendendi urbem jus ac potestatem Magistratui fecit ad
1368. decempedas centum: de quo actum supra luculentius. In octavum post id annum incidit, modo rectè calculum subduxit, sæpiusculè nobis laudatus Anonymus, quod Svecorum Gothorumque Rex, Albertus etiam nomine varias Amstelodamensibus immunitates concesserit, præsertim ijs, qui eas ad oras commerciorum gratia navigijs appellerent. Hic ille Albertus est, quem exinde Margareta Danorum Regina ingenti prælio & superavit, & vivum cepit. At nostri Boij in eosdem porrò Amstelodamenses inclinatio etiam inde patet, quod anno circiter 1377, Carthusiense Monasterium ejusdem impen-
1377. sis è fundamentis noviter excitatum est, ut & ante retulimus. Habetur & ejusmodi instrumentum, quod ex vernaculo redditum penè integrum subjiciemus:

Nos Albertus Dei gratia Comes Palatinus, Dux Bavariæ, Curator ac conservator Provinciarum Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ ac Westphrisiæ, omnibus hasce inspicientibus significatum volumus innotuisse nobis subditos nostros Amstelandiæ, Asichdomi degentes, cæterosque qui una cum ijsdem aquas per emissaria in middeldamo civitatis nostræ Amstelodamensis sita, exonerant, controverti cum ijsdem nostris Civibus, urbem jam dictam incolentibus circa middeldamum, de transferendis ac loco movendis ijsdem emissarijs. Quo ergo omnis tollatur cōtrovertendi ansa, omnibusque, quæ inde exoriri possint incommodis in tempore occurratur, volumus ac consentimus subditos nostros jam inhabitantes, aut postmodum Middeldamo inhabitaturos, itemque eos qui in Amstelandia nostra Asichdomi agunt, reliquosque cum eisdem aquas eodem exonerantes, ita convenisse, ut quandocunque ex consensu Heimradiorum nostrorum nova collocanda venient emissaria, tuncque si fortè in Middeldamo ædificij alicujus agger aperiendus, in quo collatum id fuerit, ultra decem libras bonæ monetæ non debiturum. Quicquid etiam ijdem Heimradij ad usum eorumdem emissariorum necessarium fatebuntur, extra illorum impensas exequendum habendumque. Atque ita incolis præfatis, ubicunque necessitas ac ratio postulabit, & aperientur ac recludentur hæc emissaria &c. Datum Hagæ.

Decretum insuper ratumque habere voluit, ne quis in Pagis Amstelodamo vicinis, de sententia lata provocaret, nisi Amstelodami, ibique, quodcunque statutum à Scabinis esset, firmum immoteque tenendum.

Præfectum ijsdem vicis, Balivum vulgò vocant, juramētum Scabinis Amstelodamensibus præstare peculiari quoque Diplomate anno 1382 jussit.
1382. Exstat ejusdem Alberti prolixum instrumentum, non Amstelodamensibus tantum, sed & reliquis Hollandiæ Emporijs atque Oppidis, itemque Goricomijs, qui tum Arculensi parebant, indultum, quo liberos atque immunes omnes pronunciat à Dordracensium stapula.

Est & aliud, sed obscurius multo, solis Amstelodamensibus ab eodem concessum privilegium, præfecturas nimirum constituendi jus in Schanensi territorio, quod tunc indulgente Danorum aliquo Rege possedisse videntur Amstelodamenses. Hoc notatum anno 1391, & ita ex vernaculo redditum formulariter habet.
1391. *Nos Albertus Dei gratia, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæque Dominus, omnibus notum reddimus nos dilectis ac fidelibus nostris Scabinis ac Senatoribus urbis nostræ Amstelodamensis donasse, istoque Chirographo, quod ad nos & posteros nostros donare ac concedere, ut quotannis, idque in perpetuum Præfectum constituant, terrasque quas in Schania possident; aut postmodum a Rege Daniæ obtinentes possessuri sint, secundum Leges ac Iura sua componant ac dirigant &c.* *Signatum ut supra.*

Vide tamē quæ in Appendice adjecta.

Schania vel *Scandenavia* uti Plinio & Solino dicitur, est Daniæ regni pars Sueciæ ac Norvagiæ regnis cōtermina. De re autē ipsa quæ dicēda hoc loco videātur, parū adhuc certa habeo.

habeo.

De eligendis autem urbi Consulibus ejusmodi decretum reliquit; ut Scabini ac Senatores singulis annis Festo Purificationis, idque plurium suffragijs, tres Senatores, sive Consules, eligerent, qui vicissim eorundem unum, qui anno superiori Consulatu fuisset perfunctus, sibi adsciscerent.

Hæc aliaque privilegia non frustra tribuisse Amstelodamensibus vel inde liquet, quod ipsemet Comes Albertus in Diplomatibus sæpenumero repetit ista se præstare CIVITATI AC CIVIBVS DE SE AC REPVBLICA OPTIME MERITIS. Idque evidentius foret, modo Temporum istorum res accuratius a Majoribus fuissent memoriæ ac literis traditæ. Pauca ex illis tenebris ad nos pervenire potuerunt, quorum illud unum est, quod Hollādiæ Annales notant, Amstelodamenses Alberto in Frisios moventi auxiliaribus navigijs insignem in sinu Lavicæ navasse operam. Dum enim ipse cum Frisijs circa Staveram, prope Odulphi cœnobium, manum conferere Propositum habet, Amstelodamenses cū reliquis sociorum prætorijs navibus oræ Lavicanæ imminere, imperat, Præfecto ipsis dato Petro Beets Equite. Atque ita, ubi aciem explicuisset pugnamque difficilem ac diu ancipitē commisisset, victor tandem evasit. Deditaque illi non solum Stavera, sed omnis usque in Lavicam Regio. Verum digresso è Frisijs Alberto, novi motus exorti. Quocirca, anno 1399. præmissis, qui Staveræ præsidio essent contra primos impetus, Opidūque firmius munirent, de ultione cogitabat. Ipse majores interea copias cogere, classem denuò Amstelodami instruere omniaque parare, non ad Staveram solum retinendā, sed ad Frisiam quoque universam subigendam. Nec defuisset conatui eventus, nisi inducijs alijsque pactis (quo facilius exinde jugum excuterent) à bello Albertum divertissent Frisij. 1399.

Hæc foris & in alieno solo; at anno postmodum 1402, magnis domi motibus concussa Hollandia, dum Arculeius Alberto in reddendis expensi acceptique rationibus cōtumax, suis ditionibus pulsus amota manu in patriam reverteretur, magnas secum partes, magnaque auxilia trahens. Eique extemplo obviam venit Wilhelmus Bavarus Comes Osterbantiæ, secum ducens, præter Caninefates & Rhinolandios, Amstelodamenses quoque ac Frisiabones cum Goiolandijs; ijsque Præfectum dederat Henricum Wassenarium. Nec ante finis fuit, quam obsesso maximis copijs Goricomio Oppido, quod Arculeius occupaverat, interponente se medium Iohanne Bavaro Alberti filio, Leodiēsium Episcopo, vix exoratis dissidentium animis, cum jam annus flueret 1403, compositioni res permissa; & Arculeius ad genua se Alberti submittens, gratiæ ipsius restitutus est. 1402. 1403.

V. *Amstelodamensium sub Guilielmo sexto Res & Privilegia.*

Successorem exinde Albertus habuit Guilielmum filium, ejus nominis sextum, Hollādiæ Comitem XXIV: qui confirmatis superioribus à Patre & Proavis urbi indultis privilegijs, alia insuper adjecit, & maximè tria; quorum primo, præter congraria alia ac donativa, liberos atque immunes pronunciat universos urbis Incolas ab omnibus telonijs ac vectigalibus, quæ in solemnibus anni mercatibus toto suo districtu pēdi solerent. Idque tribuere se addit, EORVNDEM MERITO. Signatum hoc anno 1409. 1404 1409.

In altero præcipuè agit de urbis ulteriori productione, de Piscatura, de Prætoris Officio; alijsque nonnullis urbis muneribus, quæ esse vult arbitrij solius urbani Magistratus.

Tertio constitutum vult, ut Senatores quotannis ex Civibus talium rerum peritis ac gnaris, deligant novos pannificij Præfectos, qui Lanificij diligentem curam gerant. Ecclesiasticis denique ac Monasticis interdicto cavet ne paciscantur, aut hæreditate adeāt, sibique emptione comparent bona, sive mobilia, sive immobilia, intra urbis ac municipij jurisdictionem sita, exceptis Parochialibus Ecclesijs, ac Xenodochijs, quæ sunt intra urbis Pomeria. Hoc Signatum anno 1411. 1411.

Primo statim Principatus sui anno, qui fuit 1404, Vrbis Prætorem Iohannē Notaert, & alium, Amulium nomine, Primarium etiam è factione Cabeljavorum civem, captivū duci ac plecti capite jussit: idemque de Theodorico ab Heemskerke, anno sequente, homine similiter factioso, ejusdem sententia pronunciatum, attestante Anonymo: Qui eodem penè tempore exædificari cœptam ait Novi Lateris, novam appellatam Basilicam, opus sanè elaboratissimum, fundatore præcipuè Guilielmo Eggardo Comitis Thesaurario, uti supra suo relatum loco prolixius.

VI. Eorundem sub Iacoba facta militaria.

Fato functus Guilielmus filiam unicam Iacobam, annorum quatuordecim, eandemque & orbam & viduam, hæredem reliquit. Nam pactam sibi ac sponsam dum cupidè operitur Gallorum Delphinus, ipse Delphinus inopinè obijt. Iacoba autem Principatu amplissimo Hollandiæ, Zelandiæ ac Hannoniæ inito varijs statim ac multiplicibus exagitata procellis, miseram ac solicitam vitam duxit. Primam mali labem (*) Patruus intulit, qui sub Curatoris nomine suam rem agens, Hollandiæ administratione suscepta, cum Trajectensibus litem quamprimum instituit: Quæ & eò usque tracta, donec ad arma utrinque itum. A parte Trajectensium, præter Episcopum, totus erat Transisalanus tractus, & aliquot ex Hollandorum Nobilitate, præsertim qui à partibus erant Cabeljaviorum. A Bavaro stabant Hollandi pænè omnes Minoresque Frisij. Vnde & Hollandorum Opidis, & maximè Amstelodamensibus, privilegia atque immunitates varias indulsit. Sed & difficultates plurimas atque incommoda ex eodem hoc bello eædem urbes perpessæ, & Amstelodamensium præcipuè, utpote Trajectensibus conterminа: adeò ut sæpenumero sub oculos urbis varijs excursionibus progressi Trajectenses, civibusque aliquot viris potiti Trajectum captivos perduxerint.

(*) *Episcopus Leodiensis Ioãnes Bavarus Alberti minor filius.*

Defuncto Bavaro patruo, aliæ lites inter eandem Iacobam & Ducem Brabantiæ Iohannem, cui nupserat, exortæ fuerunt. Iacoba enim, relicto Brabante marito, novoque ex Anglia sibi associato, post varia discrimina variosque casus in Hollandiam fugitiva advenit, tractis in partes suas Schoonhovia, Gauda & Aquis veteribus, una cum Trajectensibus. Hollandi verò reliqui, Curatorem sibi sumpserant Philippum Burgundiæ Principem: Qui anno 1425, dum profugam Iacobam persequitur, Dordraci, Roterodami,

1425. Leidæ alijsque in Opidis, & Amstelodami denique, magnificè dapsiliterque exceptus fuit. Atque inde intestinum denuò bellum exortum; varioque Marte ad Alphésem Vicum anno eodem, praliatum. Iacobæ tamen miles tum superior Amstelodamensium, Haerlemensium aliorumque vexillis potitus magnos spiritus sumsit. Sed tertio post mense iterum cum ijsdem ad Brauwerhavium congressus IACOBÆ exercitus, fusus fugatusque fuit.

Hoc motu rerum exciti etiam Caninefates, qui, dum partibus se Iacobæ applicant, prædabundi totam pervagati Minorem Frisiam Medenblicum, Enchusam, aliasque Vrbes vi ceperunt. Hornam denique aggredi tentantes, ope & auxiliaribus copijs Domini de Liledamo à Burgundo submissis, necnon aliquot Amstelodamensium volonum subsidijs fortiter repulsi fuêre.

1427. Anno denique 1427, navali militia felicius rem successuram existimans Iacoba, non contemnendam classem instrui fecerat, Præfecto constituto Wilhelmo Bredenrodio. Hac classe Texeliam intrans Vieringam Insulam in potestatem suam redegerat, Enchusam quoque sui juris fecerat, spem certam fovens ità pedentim omnem Hollandiam ad vota redituram. Sed, re percepta, Amstelodamenses, præter cæteros, obviam classem misere, qua universus ille conatus in ventos abijt. Capti navalium militum præcipui, supplicioque Enchusæ affecti, excepto Bredenrodio, cui ob familiæ honorem parcitum.

Refert ad eundem hunc annum Mejerus obsidionem Amersfortensium, qui una cum Trajectensibus Iacobæ partes adversus Philippum fovebant: Aitque soluta obsidione, Philippum stupendæ molis navigium Amstelodami exædificasse, idque media hieme in Emma fluvio Amerfordiam permeante, adversus Trajectenses collocari jussisse: A quibus sæpenumero, sed frustra impetitum obsessumque fuerit. Hoc navigium Valli instar fuisse, & *Cattum* appellatum idem adjicit.

Cap. VIII.

Status Vrbis sub Burgundicis Principibus: & primo sub Philippo.



1436. DEFVNCTA sine liberis Iacobâ, Philipp⁹ Burgundiæ Dux, Iacobæ nepos, Provinciarum legitimus hæres ac Dominus, unanimi omnium assensu Princeps declaratur. Vix biennium rebus præfuerat, cum navale in-

1438. ter HOLLANDOS & Vrbes Vandalicas exortum est bellum. Causa belli hæc erat: Vandalici, vel ut vulgo vocantur, Osterlandi, Hamburgenses

gentes nimirum, Lubecenses cæterique ejusdem tractus, Hollandorum nonnullas naves insolenter deprædati omnemque rerum restitutionem, etiam compellati, recusantes, cum Venetis, Hispanis, Prutenisque, qui tum in Oceano illo Boreali frequentes erant, mutuum fœdus ineunt, eoque firmiter statuunt, Hollandos se omnes, junctis viribus, è Mari exturbaturos. Vnde & Hollandorum naves, non modò in aperto Oceano, invadere omniaque agere, sed etiam eos, qui bona fide in Portus suos appellerent detinere, ac manus in bona eorundem ac mercimonia injicere cœperunt. Dux Burgundus de omnibus certior factus, Osterlandis causæ cognoscendæ diem dicit. Accessêre ex Vrbium Vandalicarum Legatis *Henricus Rapesilver* Dantiscanus; necnon *Henricus Vooraet*, Lubecensis, uterque Eques. Hollandi etiam suos misêre, quos inter præcipuè Everardum Iacobæum ablegaverant Amstelodamenses, tum Consulem. Isque scripto, consignatum secum attulit, quicquid, durante eorundem cum Venetis, Hispanis cæterisque fœdere, Hollandis illatum damni fuisset: eamque summam L. Florenorum M. superasse ostendit. Quorum cum restitutionem flagitaret, nec promittere ullatenus vellent Vādalici, apertum illis bellum indictum fuit. Atque ita, Burgundo auspice, Amstelodami confestim aliquot prætorijs navibus properatis, quibus & suas addidêre Zelandi Hollandique reliqui, ad arma & manus ventum est. Primâ statim expeditione viginti hostium naves cepêre, Hispaniæ littus infestum ubivis redditum: quicquid ex Portubus solvebat in prædam venit. Venetis etiam (qui tunc Boreale hoc Mare, ut & ante innui, crebrius frequentabant) pax nusquam fuit, eorumque instructissimam exoticis mercimonijs onerariam deprædati, flāmis, quod erat navigij reliquum, exustulandum reliquêre: Breviter exiguo temporis spatio illata sibi damna facillimè repararunt, passimque terroris tantum adversarijs intulêre, ut pæne soli eâ Oceani parte regnarint: Cujus etiam nomine ex navigiorum summis in malo corbibus scopas extulêre, quasi ij essent, qui mare prædonum ac nebulonum fæce turbatum purgarent. Referunt Hollandiæ Annales, hanc cladem prædixisse Vandalicis *Henricum Rapersilverum*, dixisseque (ubi de causa cognosceretur nec attendere melioribus consilijs vellent) *Dormire ac quiescere Leonem; caverent verò ne irritatum suo malo excitarent.*

Denique anno 1441, cum jam ferè integrum triennium variè velitatum esset, de pace iterum agi cœptum; idque Haffniæ. Convenerant eò utriusque partis Legati, pactæque inter Vrbes Vandalicas & Hollandos annorum duodecim induciæ: Inter Danum verò, Prutenos eosdemque Hollandos solida ac duratura pax inita. Addit Anonymus, qui ante annos propemodum centum, Amstelodamensia nonnulla brevi syntagmate contexuit, eo in bello solos Amstelodamenses classem expedivisse viginti navium, cum Hollandi Zelandique reliqui haud majorem simul confecerint; tantumque tum Amstelodamici nominis terrorem remotissimas etiam invasisse Provincias, ut plurimi non Oppidum, sed Provinciam ejus nominis existimarent; & tamen dimidia sui parte exstitisse tum minus, quàm cum muro exinde lateritio, anno 1482, cingeretur. *1441.*

Eodem hoc Principe, annis continuò subsequentibus, plurimum ubique factiones recrudescere apud Hollandos cœperant. Amstelodami, ut de eo nunc solo dicam, Hoeckfianæ factionis aliquot sæpe expulsi, iterumque admissi fuerant. Et tandem, anno 1445, denuò extorres facti, omnem movere lapidem, ut suis redderentur sedibus. Idque ex voto cum ipsis successisset, factionis primicerio assumpto Domino de Brederoede, magno exinde multati fuerunt. Princeps enim, cum in animum semel ac seriò induxisset tumultibus istis modum Ponere, Amstelodamum ingressus est anno eodem, die Elizabethæ dicato, exulesque reduci ac pristinum in locum restitui fecit. Magistratum quoque, ac novos Consules creavit utriusque factionis binos, utpote *Jacobum Braesmānum, Bartholomæum Does, Paulum Albertum, & Grebberum Didericum.* Quibus Scabinos septem addidit; eosque Magistratu perfungi jussit adusque proximum lustrationis diem, quo ex more majorum dilectus in urbe fieri Senatorij totius ordinis solet. Atque eum in modum, pax tum partibus utrimque stabilita. Diem verò Elizabethæ, diu exinde solemnibus convivijs festum ac lætum habere cives consueverant. Quod tamen hodie, mutantibus ut fieri solet rebus, antiquatum, in desvetuditem atque oblivionem penitus abijt. Hæc acta Prætore *Nicolao Grebbero: Coss. Vellerto Vechtersonio, Nicolao Chollio, Ruyschio Petri, Gerhardo Petro Majore.* Quorum in locum suffecti, quos jam diximus: ijsdemque & Prætor de novo additus *M. Jacobus Ruyschius.* *1445.*

Quam insuper præclaris multisque privilegijs atque immunitatibus urbem ornarit idem Philippus, sigillatim referre prolixius foret. Vnum tamen omittendum haud duco, quo,

1452. quo, anno 1452, Amstelodamensibus vectigal illud, sive portorium nauticum, vulgò *Paelgelt* nuncupatum, auctius accipiendum indulserit, eisque proprium ac perpetuum addixerit; eâ tamen lege, ut eadem, quâ antea diligentiâ, tonnas istas, dolij instar è mari eminentes, circa exitum atque ingressum ostiorum Austrini sinus constitui, ibidemque speculas seu pharos, qui de nocte navigantibus ignes eminus ostenderent, erigi ac refici quotannis curarent, omniaque agerent, quò fallacia cuncta vada atque insidiosi accessus majoribus navigijs, quæ Husduni, Texeliæ vel Vlielandiæ Schellingiæque ostijs ac portubus inferre se nituntur, liquidò patescere ac conspici undiquaque & libere possint.

Sunt & alia, ut innui, ejusdem pluria privilegia, ut inter cætera vel illud, quo iterum diligens Pannorum inspectio ac cura mandatur Lanificiorum Præfectis; eorumque annua electio Magistratui committitur. Vnde colligere est Lanarum Pannorumque parandorum artificium tum præcipuè Amstelodami viguisse.

Severè quoque indicto inhibuit ne Monasticis aut Ecclesiasticis possessiones, prædia, aliaque latifundia venderentur; neve hæreditate adire ejusmodi bona ullatenus ijdem permitterentur: Quod & Wilhelmum sextum jam ante quodammodo decrevisse supra notatum est.

II *Amstelodamenses Carolo ad Novesium auxiliares veniunt: aliaque eorumdem sub eodem gesta.*

Philippo ad gubernacula Carolus succesit. Qui post varia bella variosque eventus,
1474. anno 1474 Novesium obsidere cœpit: Quod cum liberare in animum induxisset Imperator Fredericus, ingens in Germania Superiori exercitus conscriptus est: Idque animadvertens Carolus, sibi quoque consulendum ratus undiquaque militem cogi imperavit. Nec segniter dicto audientes accessere præter Zelandos aliosque, Hollandi quoque ex præcipuis Opidis. Quos inter & Amstelodamenses haud leve momentum tulêre: nam & turmam integram misere, cui Præfectum fecerant Virum Primarium, ac Senatorij tum ordinis *Henricum Ackermannum*. Præferebant Amstelodamenses cæterique Hollandiæ Opidani vexilla, itemque vestem, itâ signatam coloratamque, ut, cujusnam Opidi esset quisque, ex insigni ac habitu facilè innotesceret. Novesiani habitum eum intuentes cum risu exceperunt, exclamantes instare brumam, quod corniculæ advolitarent versicoloriæ. Verum Carolus post pauculos aliquot dies, ut experimentum sui ederent, ubi imperasset, contigit fortè fortuna ut urbi appropinquantes ad prælium Novesianos provocarint: Qui præsenti se animo cum è portis effudissent, rati aliâ quapiam, sibique notâ viâ, ad urbem reverti posse, Hollandos quidem aggresi sunt, sed magno suo incommodo: Nam nec eâ quâ venerant, viâ, regredi, nec aliâ, quam interceperant Amstelodamenses cæterique, pervenire ad urbem, nisi summis difficultatibus, potuêre. Quocirca maximam partem occidione occisi sunt.

1475. Soluta postmodum certis conditionibus obsidione Novesij, finem quoque habuerunt Induciæ inter *Carolum* & Gallum ante biennium pactæ: Bellumque haud tralatitium, idque terrâ non tantum, sed & mari, acriter resumptum. Gallus prædatorias aliquot naves in Hollandos Zelandosque confestim emisit: quæ & plurimum intulere damni ex Hollandia pasim solventibus. Quapropter & Amstelodamenses, qui tum, vere imminente, navigationem in Hispanias moliebantur, idque, quò tutius fieret, imperante etiam *Carolo*, quatuor instruxêre adversus Prædonum impetum naves præsidiarias: Onerarias autem, quæ numero quinquaginta fuêre, bellicis quoque machinis, majoribus minoribusque, necnon viris armatis muniendas fecêre. Cuique navigio, pro modo magnitudinis, Sclopeti, Lanceæ, Hominesque certo numero asignati sunt. Atque ita solventes intactos illæsosque Gallus ire permisit. In reditu verò palantes, ac sibi dum quisque studet, mercatumque ac forum præoccupare approperat, seperatos aggressus est, plurimosque prædæ habuit.

III Sub *Maria* & *Maximiliano*

Carolo exinde circa Nanceium occupato, cessare Gallus videbatur. Sed, eodem mox ibidem extincto, recruduit adversus *Mariam* (quæ sola tum patri hæres relicta) Gallicum bellum. Iamque in mari pæne solus regnare cæperat Gallus, exclusis præsertim Hollandis Zelandisque, cum ecce triginta quinque munitisimas naves, Hollandi obviam misere. Eæque tantum terroris incussere Gallo, ut terga sæpenumero dare coactus sit. Et factum

ctum, anno 1477, mense Augusto, ut aliquot Hollandorum naves (decem fuisse, & in his Amstelodamensium præcipuas, earumque ductu rem actam Annales notant) obviam habuerint magnæ molis mercibusque exoticis onustam Genuensium Corbitam. (Caracam vulgò vocant) compellant nostri, imperantque ut velum submittat. Ille contemtim respondens, eorumque parvitatem despectui habens, cujus ergò exquirit: illi Mariæ Burgundorum Principis nomine, aiunt; At ille, post varias altercationes negans se agnoscere, aut ei Principi honorem debere existimans, confestim ab ijsdem nostratibus impetitus, intraque horæ spatium superatus est. Amstelodamenses socijque maximâ prædâ potiti proximam Zelandiam petivêre; portumque læti atque ovantes ingressi sunt. Mox eidem recenti hac victoria incensi denuò mare repetunt, pluresque ex hostico naves nacti, circa Diepam aliquandiu in anchoris stantes expectarunt, si forte ad navale certamen elicere Gallos potuissent. Verum, cum illi ne provocati quidem prodierint exscensionem in terram fecêre, multisque aucti manubijs, magna cum gloria domum regressi, postquam totam eam æstatem mare circumquaque tutum, prædonibusque vacuum præstitissent. 1377.

Sub hiemem deinde magna Oppidanorum Hollãdiæ manus, una cum vicinis aliquot, ad obsidionem Schaganæ Arcis se effudit. Cum enim Albertus Schagæ Dominus, de illata pluribus injuria ad satisdationem iudicio publico adactus esset, nec magnopere latam sententiam morari videretur, proximis urbibus demandatum est Iudicis iussa exequi: Eumque in censum Amstelodamenses tum etiam venerant. Verum Albertus, vim majorem metuens, sese atque Arcem dedidit.

Eodem propemodum tempore defecerat à Domo Burgundicâ Gelria. Eaq; res plurimum incommodi Austrini Sinus Hollandicis urbibus intulit. Nam Hardevicenses, qui Austrini istius maris littori proximè imminent, occasione hac usi, aut irritati aliorum injurijs, vicinos invadere ac deprædari promptum paratumque habebant. Amstelodamẽsium quoque nautici aliquot, qui partes Burgundi cum Hollandia reliqua sectabantur, prædabundi vicissim Gelros lacessere levibus navigijs cœperant. Sed iterum iterumque lacessiti Hardevicenses rem ad Senatum Amstelodamensem detulêre. Verum rude ac nauticum genus homines parum id pensi habentes, collectis aliquot extremæ audaciæ commilitonibus, Hardevicum destinatò pergunt, navemque animadvertunt Gelricam, mercibus probè saburratam, eamque Enchusæ demum, post longam insectationem, assequuti, sub portum in anchoris stantem invadunt tamen ac capiunt; secumque Amstelodamum deduxissent, nisi Enchusani, Edamensium aliquot adjuti celocibus prædam invertissent. Existimabant enim Enchusani nequaquam sibi atque Oppido debitum honorem ac reverentiam habitam, quod navigio intra quodammodo portum constituto, rapaces nihilominus ac violentas intulissent manus. 1479.

Insignis etiam hic annus fuit novis Hoexiorum & Cabeljaviorum motibus. Cum enim longum jam tempus fatalis utriusque factionis conquievisset rabies, hoc demum temporis tractu extremum quasi halitum, non sine ingenti concussione, edidit. Sed bene & feliciter accidit, quod non intra, sed extra urbem exspiraverit. Nam licet tumultuum incentores, unà cum alijs aliquot Oppidis, etiam Amstelodamenses subministraverant, extra tamen eorundem pomeria furor ille debacchatus, universas quodammodo vires in acropolim Hollandiæ *Hagam* effudit. Occasio tumultus Nobiles nonnulli fuerant, inter quos Hadrianus à Cruningen, itemque nothus Brederodij Henricus, qui Haerlemi dum animi ac voluptatis causa, biduum aut triduum genialiter hospitantur, inopinatò ab Hoexiorum, ut appellabant, factionis hominibus non hospitio modò, sed urbe ejecti sunt. Idque cum impunitum prætermitteret Volfardus Verius, qui tum Comitis nomine Hollandiam curabat, occasiones undiquaque captarunt hominem in universum de statu ac Præfectura dejicere. Quapropter non modò satellites ejus atque aulicos, ubicunque dabatur, impetere ac lacessere, jure sive injuria, studebant; sed ipsam denique Arcem ac Hagæ Palatium, quod tunc, pro more, Præfectus inhabitabat, ejusmodi occasione aggressi sunt. Ministri aliquot, Præfecto absente, ex venatu fortè fortuna redierant: Eos dum in area palatij invadere hostiliter tentant, ipsi se intra Palatium recepêre, indeque sclopetis adversarios impetentes, vim, maximis conatibus avertunt. Sed magno confestim Nobilium Plebeiorumque concursu facto, associatisque ex Amstelodamensibus, præter cæteros, quotquot factioni *Cabeliaviorum* nomen dederant sclopetis vicissim non tantum, minoribus sed & grandioribus belli machinis Palatium invadunt plurimosque necant, magnisque vulneribus multant. Accessit tandem & Petrus

Longicol-

Longicollus,qui, post varia prælia, rem ità composuit, ut sese Ministri Aulicique omnes dederent, alijsque locum linquentes, quocunque liberet, tutò concederent. Atque ità impetu in Aulam facto, disturbant, dejiciunt ac diripiunt omnia : stabulo Equos educunt, seras & claustra cubiculis ac cistis destingunt, potissimamque Præfecti supellectilem ac pecunias,aliaque pretiosa, monilia nimirum, ac murenulas ex Auro ac Margaritis affabrè elaboratas,convasant, atque auferunt. Præfectus Hollandiæ Verius re intellecta circiter VII armatorum hominum millib.ex Hollandiæ Australiori parte, necnon Trajectensi Diœcesi,ad sui defensionem,ac rerum recuperationem, raptim conscriptis, Hagam approperat.Sed impetum ejus declinantes Cabeljavij Leidam alij,alij alio secessere. Verius collectis,quas hostilis furor reliquas fecerat, sarcinulis, Hagâ denuò exijt. Idque ubi percepêre Cabeljavij, confestim eòdem omnes revolant. Ipse interea Verius Roterodami dies aliquot substitit, omnia quidem Hollandiæ ad nutum possidens, exceptis Amstelodamo,Haerlemo ac Leida Oppidis : ideòque se imparem partibus compescendis cernens, Roterodamensem Præfecturam,una cum Dordracensi ac Goudensi, commisit alij. Ipsemet pacis ac quietis,quam belli studiosior, se cum universa familia Veriam contulit;Quod erat in Zelandiæ Comitatu ipsiusmetOppidum. Amstelodamenses interim,junctis Leidensium ac Harlemensium suffragijs,seriò apud Principem Maximilianum,qui tum conjugem duxerat Mariam,agunt de novo creando Hollandiæ universæ Præfecto, renitentibus licet ac reclamantibus cæteris Hollandiæ Proceribus atque Oppidis. Vicerunt tamen Amstelodamenses,deditq; Hollandis Hagæ Comitis,an-
1480. no 1480, Præfectum Iustum Laleinium,Equitem, Montignij Dominum, hominem exterum; cum tamen ante, urgentibus ipsis Hollandiæ Oppidis,cautum esset, ne quis peregrinus aut externus Hollandiæ Præfecturâ donaretur. Sed tempori tum serviens Princeps,meliorumque acquiescens judicijs,nequaquam etiam ipsemet, è re exstimabat indigenam præfici, dum adhuc omnia factionibus exardescerent. Quocirca peregrinus & medius, nec ulli addictus partium, Laleinius electus est. Vix Præfecturam auspicatus fuerat,cum ecce,anno sequente,ex insidijs Leidam occupant Hoexianæ factionis homines, Quo intellecto, confestim per Legatos certiorem de re tota reddunt Maximilia-
1481. num Amstelodamenses : qui demisso tempore Laleinio,tunc fortè fortuna in aula agente, redigendos in ordinem factiosos imperavit. Verùm Laleinio,multis licet velitationibus, longaque urbis obsidione, parum promovente, tandem ipse Maximilianus in Hollandiam profectus ac Leidam tendens Oppidanos præcipuos delicti veniam obnixè expetentes obviam habuit, proque innata sibi clementiæ indole datis in costodiam turbatorum primoribus,multâque Florenorum quinquaginta M. affectis, rem universam in integrum restituit. Atque ità paulatim exinde desævijt,sopitaque in universum factionum illarum rabies.

Episcopus Trajecten-sis David, Philippi filius natura-lis.

Hinc *Trajectense* secutum est *Bellum*, quod Amstelodamenses ob vicinitatem præcipuè cõmovit multumq; sollicitos habuit. Quapropter eodem temporis tractu lateritio muro cingi urbs cœpta; de quo ante quoque,sed obiter diximus. Belli initium Episcopus fecerat,sed in societatem quoque Maximilianus totaque Hollandia tracta, Eiscopo suppetias advenêre. Trajectenses semel iterumque fortunæ aleam experti, rebusque suis consulendum rati,tandem sibi Tutorem, & veluti Vindicem, adsciscunt Engelbertum Cliviæ Ducis germanum. Hollandi paulò ante,ditionem Trajectensium ingressi,plurimosque Vicos depopulati,ipsâque Emmenessâ vi ac manu armata potiti fuerant : eâque victoria elatus miles,Oppidanos ad prælium sæpenumero exinde lacessit. Nec defuêre Trajectenses,captâque occasione improvisos invadere, atque Emmenessam recuperare speraverant. Sed Hollandus, hostium diligenti ratione habitâ, præmissisque velitibus aliquot, ipse in insidijs collocatus, congressos mox ac manus jam conferentes à tergo invadit,maximaque clade afficit;Diffugêre palantes Trajectini,commodumque accidit, ob anni hiemem, ut omnia glacie rigerent, promptiorque idcirco fugientibus versus urbem receptus pateret. Occisa tamen Trajectensium Civium ultra millena capita : urbisque Consul *Bernardus ab Everdingen*, itemque *Stephanus a Zulen*, plurésque alij viri honorati,internecioni dati sunt. Captivi circiter centeni fuêre, omnesque Amstelodamum deportati. Vexillum etiam ab hoste captum Amstelodamensibus honoris ergò, Præfectus detulit; quod Veteri in Templo in modum trophæi suspensum dicatumque.

Cloveniers Doele.

Dum autem rerum hoc statu adeòque exacerbatis utrimque animis,lateritio illo, de quo dixi, muro Amstelodamum cingitur, occasione eà indubiè factum, ut Turri, quæ hodieque integra atque inviolata Sagittariorum Colubrinorum horto, per porticum, aduectitur,

adnectitur, incisum fuerit, *Swycht Vtrecht*. Hæc inscriptio omnibus hodieque in externo pariete exposita patet, licet additum nuper turri novitium ædificium nonnullum inspicientibus impedimentum objiciat. Bellum denique ipsum quomodo tractum, & quibus tandem conditionibus finitum sit, cum Annalium monumentis annotatum habeatur, hîc repetere prolixius supervacaneum fuerit. Id tamen, quod ad urbis res attinet, non adjicere nequeo, varios nimirum de componendo eo conventus habitos, consiliaque utrimque agitata in Regularium Cœnobio, quod extra Opidi mœnia, portam Regularem, quondam stetit. Sed frustra ea omnia fuisse eventus docuit. Captus enim postmodum ipse Episcopus, & à Maximiliano, post aliquanti temporis captivitatem, liberatus, rem demum compositioni permisit, anno 1483. *1483.*

1484.

Flandri sub eundem ferè temporis tractum, post Mariæ obitum, alieniori quodammodo à Maximiliano videbantur animo, cum ob quæstorum, quos illis in Germaniam *1486.* abiens reliquerat, avaritiam; tum etiam, quod eisdem novas exactiones jam redux imponeret, ac grandem pecuniam imperaret. Maximilianus, ut plebem sua præsentia ad officium revocaret, Brugas venit anno 1486. Sed cum invitus, & præter opinionem aliquot ibi menses detineretur, parentem Imperatorem Fredericum ægerrimè id habuit, qui extemplo bellum intendit impijs (itâ ut existimabat) Civibus. Appellat Pontificem, Antistitem Coloniensem, ad omnes denique Germaniæ Principes pro filij liberatione mittit: Sed auxilia nullus misit, donec intellectum ipsum in armis esse Imperatorem. Tunc frequentes accessêre. Inter cæteros quoque evocatus est Albertus Dux Saxoniæ: eique & filium & nepotem commendat; Gubernationem etiam totius Belgij & magnitudinem curamque belli committit. Idque, ut cum autoritate ageretur, convocatâ Machliniam Nobilitate Belgicâ, & urbium Optimatibus, Saxonem cis Præfectum ac Moderatorem constituit; & parere tanquam sibi aut filio præsenti mandat atque imperat. Albertus licet plenum difficultatis & periculi negotium sibi subeundum cerneret, Imperatori nihilominus morem gessit. Belgæ quoque, etiamsi ferrent graviter externum sibi Principem dari: tamen dissimulabant ægritudinem, sperantes se inventuros facilè rationem, quâ jugum à se abjicerent. Albertus inde in agrum Brugensem populabundus progreditur. Nec immunis ab eo igne Hollandia fuit. Nam aliquot exinde Hollandi se Flandris associavêre, præsertim ijs, qui in mare prædatum excurrerãt. Inter eos Frãciscus Brederodius felici alea *Roterodamum* in sui potestatem redegerat. Montforti quo- *1489.* que fratres Arcem *Woerdam* ceperant: è qua vicinis, atque Amstelodamensibus præsertim, plurima damna illata sunt. Quapropter undique ex urbibus miles coactus ad recuperandum ante omnia *Roterodamum*. Amstelodamenses, inter cæteros, suos quoque ex Civibus auxiliares misêre. Et tandem, recuperatis omnibus, novum Haerlemi incẽdium exortum. In causa fuêre præsertim ijdem, qui à Rege Maximiliano alieniores redditi Flandris adhærescebant. Hi rei suæ exequendæ negotium Caninefatibus mandant, sævo atque agresti populo: Qui nihil recusans prædæ causa, in vexillis ad irridendos fortassis Imperatoris Leones & Aquilas; aut, quod verius puto, inopiam atque impotentiam suam ad tributa pendenda indicans, PANES & CASEOS depinxerat. Harlemenses in pace secura nihil ejusmodi expectantes, urbem subitò amittunt: nam Caninefates, seu, ut vulgò appellantur, Kenemarij, in vicino nemore latitantes, per dolum ingressi urbẽ, omnia pro libidine egerunt. Prætor Vrbanus & aliquot è Decurionibus gladio percussi in Foro: bona lautiorum Civium crudeliter direpta: Et nisi vicini Amstelodamenses alijque obviam ivissent, urbs universa fuisset pessundata. Accessit quoque auxilio Albertus, qui equitatui suo obviam eosdem habuit Leidam tendentes: Cumque se opponere non pertimescerent, plerosque interfecit, reliqui dissipati ac fugati sunt. Vexilla Panibus Caseisque insignita, tria capta. Hollandi cognita Alberti præsentia, & jam ante coacti quodammodo cum Harlemensibus sese conjungere, fœdus repudiant, novaque consilia capiunt. Harlemij ipsi obviam Alberto prodiere, se urbemque tradentes ejus fidei. Ille urbem ingressus tormenta omniaque belli instrumenta ipsis ademit, castrum etiam instruxit intra urbis mœnia, Saxeburgum nomine, aliaque ad urbis ac Senatus dignitatem pertinentia præsens imperat. Vicinis reliquis, inque ijs Amstelodamensibus, qui legatos ad eum miserant, pollicetur benevolentiam, si modesti; contra verò, si quid adversus Regem aut suos Magistratus temerè molirentur, minatur graviter.

Quanta autem, vigentibus istis dissidijs, & maximè in Roterodamensi ac Voerdensi obsidionibus, Amstelodamensium erga Principem ac Patriam exstiterint tunc merita,

Insignium Amstelodamensium Imperiali Corona exornatorum occasio. ipsemet Princeps publicè testatus est eo in Diplomate, quo *Imperiali Corona* insignia Civitatis exornanda benignè sanxit. Diploma ipsum verbotenus ex vernaculo Latinè redditum cum ab omnibus legi mereatur, subjiciendum hic censui.

Cæsaris Maximiliani Diploma.

MAXIMILIANVS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, omnibus hasce inspecturis salutem. Ob fidem, promptitudinem, necnon merita ac beneficia multiplicia, quæ cum erga nos, tum erga Proavos filij nostri Philippi Regis, diversis occasionibus, tam Cives, quam Civitas Amstelodamensis præstitere; quæque durantibus illis, quibus nunc fato quodã involvimur, armis, dum nimirum municipium nostrum Roterodamense, itemque Arcem atque Vrbem Voerdensem ad pacis atque obedientiæ conditiones revocare studemus, sedulo etiamnum maximisque impendijs præstant; Decreto isto sancitum cupimus dictam Amstelodamẽsium civitatem, cum præsertim terra marique longe lateque mercaturam exerceat, nec ijs decoretur, quæ ejusmodi Civitatem deceant, insignibus, decreto, inquam, sancimus, nostraque autoritate ac gratia concedimus, indulgemus atque jubemus, ut deinceps Amstelodamum nostrum, in perpetuum rei ac favoris nostri memoriam, *Imperiali Corona* insignia sua adornet ac muniat. Atque id cum nunc atque in omnem posteritatem firmum ratumque haberi cupiamus, hasce literas proprij nominis CHIROGRAPHO subsignavimus. Datæ in urbe nostra Schiedamensi decimo Fe-
1490. bruarij anno millesimo quadragentesimo nonagesimo.

Vetera autem illa candentium trium crucium in ipsis insignibus programmata haud dubio impensa civium studia erga rem sacram indicant; cum prima fidei exordia, quæ in vicino pullularunt, Amstelodamum præcipuè, non dedisse tantum, sed & fovisse dicendum. Sanguine enim ista constitisse, candore verò ac animorum puritate dilatata fuisse, colores ipsi, præter alios, rubeus inquam candidusque loquantur.

III. Sub PHILIPPO II. & MARGARETA.

1497. Anno 1497, Maximiliani & Mariæ filius Philippus, regio planè ac tali Principe digno apparatu, Amstelodami inauguratus est. Sed brevis ac velocis ævi Princeps hoc uno tãtummodo felix fuit, quod præter cæteros liberos, filium hæredem reliquisset, Imperij, mox tanti capacem futurum, Carolum. Qui dum adolescit, Philippi interea Germana, Caroli amita, Margareta Ordinum consensu Provincias administrandas suscepit.

Geldricum Bellum. Philippo autem superstite etiamnum Gelrici belli initium factum fuerat. Idque subinde compositum, subinde, ruptis inducijs, vicissim recruduit. Anno præsertim 1507,
1507: t'Roede Blockhuys. post Philippi statim obitum Amstelodamensium propugnaculum, quod tum, juxta Harlemensem Portam, palis compositum erat, invaserant Gelri, captis simul Muda Vesopoque proximis Opidulis. Verùm de Propugnaculo fortiter à Civibus repelluntur ipso Festo D. Iohannis; Vesopo quoque & Muda, medium interponente se Comite Carpensi, certis conditionibus excedere coacti sunt.

1512. Postea, Provincias curante jam Margareta, anno 1512, iterum Gelri in Amstelodamenses impetum fecêre. Magnus eorum tum numerus fuit. Nam ultra mille ac centeni æstimati fuerunt. Sed cum Vrbem ipsam, benè tunc undique munitam, invadere aut opprimere ex improviso neutiquam daretur, ignes injecêre navibus in anchoris, extra palorum septa, stantibus, idque magno tam Opidanorum, quam eorum, qui peregrè ex Gallijs, Anglia, Opidisque Vandalicis atque aliundè navibus accesserant, incommodo.

1514. Biennio post, anno nimirum 1514, induciæ denuò cum Geldro pactæ. Quæ anno ex-
1516. exinde 1516 in bellum iterum irrupêre. Nam cum Princeps Carolus, mox Imperator ejus nominis quintus, annorum tunc vixdum XVI, eodem tractu temporis in Hollandiam cum Imperio accessisset, Saxo quicquid in Frisia sibi juris vindicabat, in Carolum transtulit

transtulit. Atque ita Hollandi & Frisico & Geldrico simul impliciti bello. Erant enim Fœderati Frisiorum tum Gelri. Hinc urbium Hollandicarum, maximèque Amstelodamensis Oppidi, Pagorumque circunjacentium census, seu, ut vulgò vocant, taxatio in immensum exaucta fuit. Nec prætermissi Ecclesiastici ac Monastici tum Ordinis homines, adeò ut haud sine motu, præsertim ubi ad sacrum eum gregem iretur, peractus cẽsus fuerit.

Induciæ quoque anni sequentis, sed breves admodum pactæ, utpotè quæ VIII Kal. April. initium sumerent, desituræ pridie Nonas Mai. At Gelriæ Duci Carolo nec illo, licet brevissimo temporis spatio, esse quieto libuit. Nam inducijs nondum finitis, bellum nihilominus meditans per Iohannem Selbachium & Iohannem Golstenium clam militem scripserat, & exeunte Aprili, coire jusserat. Fuisse feruntur ad septies aut octies mille, variant enim Scriptores. Deinde non longè Daventria præsens affatus illos, & in nomen suum juratos Erclenio ducendos dedit: Atque inde per Tuentiam Drentiamque in Frisiam ire jussit, ac Doccomum versus movere. Quod obsessum postea ceperunt; eique Præfectus impositus cum suis Golstenius. Reliqui sub Imperio Selbachij per Longowaldios ac Fredewaldios in Drentiam, inde in Stellenwerfios ac Cuneranos ducti. Illic præstò jam erat Petrus Longus prædonum Dux cum manipularibus quadragentis, & navibus omnis generis CL. Ibi cum biduum quieti datum esset, die VIII Cal. Quintil. anchoris sublatis, omnique exercitu, navibus imposito, in Hollandiam Borealem vela ventis data, felicique cursu, multo adhuc die in littora ejus classe delata, & Enchusam exterritam prætervecta, in Medenblicum malè munitum proræ conversæ. Hic exposito milite, & impetu subito ac inopino in Opidum facto, nequicquam repugnante cohorte, quæ in præsidio erat, obrutum illicò Opidum ac vi captum, præsidij maxima pars & civium multi ferro perempti, reliqui fuga in Arcem elapsi. Nec pepercit primo furore ensis sexui aut ætati imbelli, in omnes promiscuè evagatus. Tum, omnibus pro libidine perpetratis, Petrus Longus cum præda divite classi imposita, & prædonum manu in Frisiam redijt. At reliqui populabundi per pulcherrimum felicissimumque agrum, Hornæ Opido ad sinistram relicto, obvijs omnibus evastatis ac direptis, captivis multis abductis, Alcmariam omni genere rerum ex proxima regione comportatarum refertam, quanquam munitionibus pænè nullis firmatam primo incursu ac labore captam totam, quã ta erat, in prædam verterunt. Præda ea locuples & fide major fuit, calamitasque ingens inopinis Civibus ac vicinis circumquaque irrogata, nulla re nulloque milite ad excipiendam hostilem vim parato. Quis enim istic expectasset hostem tam validum? Cujus adventus ante pænè visus, quam auditus Hollandis fuit: Turbinis enim in morem Medenblico prostrato, & cineribus propemodum relicto, postridiè statim Alcmariam invasit, obruitque. Interea Senatus & proceres Hollandiæ licentiæ ac violentiæ huic obviam ituri omnem Nobilitatem Principi clientelæ jure devinctam, tum quartum quemque Civium & Rusticorum universæ regionis cum armis Harlemum evocant, & Florentio Egmondano tum Hollandiam Regis nomine curanti presto esse ac parere jubent. Exercitus interea Gelricus jam septimum diem Alcmariæ sedens, cum præda omni ac captivis inde movens, incenso ex itinere Bevervico Opidulo, cum Sparodamum contenderet, immissi in eum Hollandorum Equites Peditesque haud parvam perturbationem præda onustis, angustiaque itineris & transitus, quem agger solus præbebat, laborantibus crearunt, multasque ex agmine prædas & captivos dimittere coegerunt. Hinc Gelri celerare iter, ac porrò progredi seriò intenti, vallum, sive propugnaculum erat, obvium habuere in aggere, quà est is augustissimus, impediendo eorum itineri ab Amstelodamensibus opere tumultuario excitatum. Verùm & illud uno alteroque insultu festinanter expugnatum est. Præsidiarij tuendo vallo impositi, sexaginta trucidati sunt. Inde Amstelodamum agrosque Amstelandiæ prætergressi, in Vltrajectinos devenêre, castraque Abcoudiæ, in primis eorum finibus, posuere.

1517. *By t'huys van herte.*

Verum supervenientibus mox maximis Equitum Peditumque Caroli Regis copijs, quibus Dux summus præerat Henricus Nassovius, consilio manuque insignis, cui se cum suis associarat Florentius Egmondanus, pœnas dedere. Ipse Carolus Gelriæ Dux ab eodem mox Nassovio, totoque exercitu Regio, Arenaci, una cum robore copiarum, inclusus ad incitas planè redactus fuisset, nisi Galliæ Rex Franciscus Valesius de ipso utpote fœderato & amico sollicitus per Legatos apud Carolum Regem impetrasset, ut armis abstineretur; locus & tempus componendæ controversiæ & paci constituẽdæ diceretur. Id Arenaci nunciatum, obsidionem finivit. Locus actioni placuit Vltrajecti, ob Episco-

pum novum Philippum Burgũdum Nothum Davidis fratrem, virum præclarum & pacis perquam studiosum. A Gallo Legati venêre *Robertus Bonnesius* & *Franciscus Rongius*: à Carolo Rege, præter cæteros, *Henricus Nassovius*. Gelriæ Princeps Cancellarium suum *Guilielmum Langium* & Aulæ Magistrum *Henricum Gentium* unà cum Iänitarum Arnhemiensium Præside *Quinonio* præcipuè miserat. Ab his ità tandem pronunciatum, ut Gelrus Carolo Regi ejusque hæredibus Frisiam cederet omnemque exercitum totâ regione educeret. Carolus vicissim Gelro centum millia coronatorum persolveret, xxv millia statim, reliqua quinquennio proximo, pensionibus paribus. Fidejussionis loco constituerentur Civitates quatuor; Quas inter *Amstelodamum* primum locum tenuit. Reliquæ fuerunt, *Dordracum*, *Gorcomium* & *Silva Ducis*. Sed & illæ induciæ seu pacis cõditiones variè postmodum à Duce Carolo aut spretæ aut illusæ fuerunt.

Amstelodamum fidejussionis loco Gelriæ Duci datũ.

IV. sub CAROLO *quinto Imperatore.*

Carolus exinde Romanorum Imperator renunciatus, cum jam totum se administrãdæ Reipublicæ dedisset, annis 1524 itemque 1531 Edicta edidit, aut renovavit potius, quibus severè cautum voluit ne Ecclesiasticæ aut Monasticæ vitæ homines paciscerentur aut hæreditate adirent sibique, vel donatione vel emtione, nisi certis conditionibus, res sive mobiles sive immobiles acquirerent. Simileque Decretum superius à Guilielmo Sexto Hollandiæ Comite solis Amstelodamensibus urbisque Clero promulgatum notavimus. Philippum etiam Burgundiæ Principem modum hac parte Ecclesiasticis posuisse, anno 1452, relatum quoque jam ante meminimus. Sed Caroli Imperatoris, quæ dixi, in hunc finem publicata Edicta, bina ex archivis urbis prodierunt: Quorum posterius, in quo etiam Edicti, à Philippo Burgundo promulgati mentio, è vernaculo Latinè, quantum obiter potuit, redditum, pænè totum hîc subjecimus.

1524.
1531.

EXEMPLAR
EDICTI CAESAREI
in Religiosos ac Monasticos.

CAROLVS *Dei gratia Romanorum Imperator semper* Augustus, Rex Germaniæ, Castiliæ & c. Archidux Austriæ, Dux Burgũdiæ, Brabantiæ & c. Comes Flandriæ, Hollandiæ Zelandiæ & c. Asiæ atque Africæ Dominator: Omnibus hasce lecturis salutem. Postquam intellexerimus piæ memoriæ Philippum Burgundum, (cui Deus propitius esto) proavuũ nostrum animadverso spiritualium seu Ecclesiasticorum passim per Hollandiã, Zelandiam ac Frisiam nimio ac propemodum (a) famelico in venandis atque acquirendis, seu emptione successionis, seu aliter, hæredijs, reditibus, similibusque secularium possessionibus, studio; simulque considerato, quod omnia pæne dictarum Provinciarum bona successu temporum ad eosdem spirituales hoc pacto devolverentur, quod certum regionum præscriptarum interitum portenderet) petentibus Hollandię Zelandiæque Ordinibus, ut ei maturè consuleretur, statuisse totaque Hollandia, Zelandia ac Frisia Edicto severissime tunc mandasse, ne quispiam, cujuscunque ordinis Religiosus intra Hollandiæ, Zelandiæ ac Frisiæ fines, ulla ratione hæreditate adiret bona Parentum, consanguineorum aut alias amicorum: Nec etiam in posterum emptione sibi compararet, aut testamento conquireret hæredia, aut possessiones intra vel extra urbium pomeria sitas, donec ijdem spirituales cum ipso in certas conditiones hac super re cõvenissent.

(a) Hongericheyt est in vernaculo.

Cumque similiter nos minime fugiat amitam nostram charissimam (cui Deus quoque propitius sit) dum viveret, Provinciarum nostro nomine Gubernatricem, percepisse identidem anno 1523 multo enormiores tunc apud Zelandos præsertim

præsertim, *Cleri* abusus, majoremque Monasticorum immodestiam, quam antea exstitisse, quum sine ullo respectu possessiones secularium, omnibus modis, aut emptione, aut testamento aut hæreditate vendicare sibi studerent: adeo ut periculum esset, ne universum Zelandiæ territorium ijs tandem sortito obvenire, inque usum eorundem cedere, hoc pacto possit, magno, non indigenarum modo, sed & nostro nostræq; dignitatis atque obsequij nobis debiti periculo ac præjudicio; ideoque & nostro tum nomine Statuta atque Edicta Philippi Burgundi super hoc toto negotio & confirmasse eandem amitam nostram scimus; & nostro insuper jussu serio statuisse ac mandasse, ne deinceps quispiam, cujuscunque conditionis foret, qui se vel liberos suos aliosve utriusque sexus, Monasterijs dicare decreverat, ijsdem Monasterijs ulla hæredia aut hæreditarios reditus addicere ac donare præsumeret, sed tantum certa summa, seu reditus ad vitam, Monasterium ingredienti assignaretur, sub pœna ac confiscatione hæreditatum bonorumque omnium; ne itidem ex Clero aut grege Monastico quisquam ulla prædia aut reditus hæreditarios aliaque bona acceptaret, emeret aut acquireret ratione vel donationis, vel Testamenti aut aliter. Qui contra faceret eandẽ in multam incurreret.

Et postremo cum nobis item innotuerit Monasticos ac Spirituales Hollandię ac Frisiæ, qui ejusdem fere sunt cum Zelandis naturæ atque indolis, quotidie & magis magisque hæredia ac possessiones hæreditarias similesque reditus a parentibus, consanguineis alijsque secularibus, ratione succesionis, adipisci sibique in proprietatem usurariam, aut aliter, vindicare &c. Atque hæc omnia ad subversionem dictarum Provinciarum nostræque dignitatis ac majestatis diminutionem, ut & ante innuimus, spectent, voluimus in tempore tanto malo occurrere: Quapropter approbamus confirmamusque Statuta Decretaque Proavi nostri Philippi Burgundi, simulque & amitæ nostræ, nostro tunc nomine hanc in rem consignata publicataque: Iterumque edicimus atque inhibemus, ne quispiam, cujuscunque conditionis fuerit, qui se, aut suos aliosve, vitæ Monasticæ emanciparit, ne inquam Monasterio, cui emancipatus fuerit, ulla hæredia aut reditus ullo modo aut leget aut donet, sub pœna ac confiscatione eorundem bonorum; tantum dependetur certus ad vitam reditus, sive summa, Monasticam vitam auspicanti: Et porro ne quispiam, cujuscunque regulæ atque ordinis, tam apud Hollandos quam Zelandos Frisiosque, latifundia aut hæreditates seu reditus emat aut sibi acquirat: Nec eadem aut donatione aut testamento, aut successione parentum, consanguineorum aliorumque, quocunque modo aut genere, ad ullos ejusmodi Conventus spiritualium personarum devenire aut devolvi sinat, sive conditione restitutionis sive alio quocunque pacto id tentaverit. Ita nec mobilia ulla bona per modum succesionis ijsdem Monasterijs obvenire ullatenus permittimus, sub pœna, ut dictum, nulla habita prætensionum, prærogativarum, consuetudinum aut indultorum, beneficiorum ac immunitatum ratione, quas vel a Proavis nostris, vel a nobis ipsis (*a*) importunitate quapiam ijdem Monastici obtinuerint: Eaque omnia, si quæ modo sint, nos in bonum ac publicum Provinciarum Hollandiæ, Zelandiæ ac Frisiæ incolarumque emolumentum; necnon & nostri status ac dgnitatis respectu, eadem, inquam, omnia revocamus, retractamus ac rescindimus, abolemus ac rescindimus per præsentes.

(a) by inportuniteyt est in vernaculo.

Mandamus idcirco, serioque jubemus nostris dilectis ac fidelibus, Curiæ præsidi, Consiliarijs, Thesaurarijs, apud Hollandos, Zelandos ac Frisios: Itemque Quæstoribus a parte Schaldis Occidua Ortivaque apud Zelandos, omnibusque Balivis, Prætoribus alijsque publico munere fungentibus, ad quos proprie istud

ſpectet, ut Edictum hoc noſtrum Edictorumque priorum approbationem ac cōfirmationem, ne quis forte inſcitiam prętexat, publice ac debitis locis proclamare curent, ac contra delinquentes juxta præſcriptum multent, puniant pœnæq; ſubjiciant. Datum Bruxellæ XVI Octob. anno 1531.

1531.

De nupera inter Venetos & Pontificem controverſia.

Et ſanè, quæ exorta nuper inter Pontificem Romanum & Venetos controverſia, nō aliā cauſam habuit. Vetuerant, renovato anni 1437 Edicto, Veneti, ne Eccleſiaſtici exædificarent Monaſteria, neve ijſdem, abſque conſenſu & permiſſu Senatus, conferrentur fundi, poſsiones, aliaque bona hæreditaria. Quæ omnia irrita haberi Papa voluit, Eccleſiæque ac Sedi Romanæ id juris omnino reſervandum, ſub pœna excommunicationis, ſeriò imperans. Sed fruſtra fulminante Pontifice, Ieſuitæ, quorum res potiſsimum agebatur, Venetijs excedere, unà cum Capucinis & Toletinis, coacti ſunt. Rationes tam Venetorum hodiè, quam olim Amſtelodamenſium, totiuſque Belgij, ejuſmodi inhibitionum, præcipuè ſicuti ex Caroleo etiam Edicto pro parte patuit, hæ fuēre: Quod animadverterent, neglectis talibus Edictis, Civium Nobiliumque ſtatum imminui; & ecōtra Eccleſiaſticorum ac Spiritualium in tantum augeri facultates; ut metuendum deniq; eſſet, ubi omnia ad Eccleſiaſticos ac Monaſticos, utpote publicis omnibus oneribus exemptos, devolverentur, ne in arctum hoc modo redactis Civium Nobiliumque numero ac cenſu, jure ſuo ac privilegijs fraudaretur Reſpublica; cum ſoli ſupereſſent, cum runicolis, Monaſtici, qui omnium, ut dictum, rerum immunes, nihil in publicum conferunt. Et ſentiunt hodieque, idque magno ſuo incommodo, Belgæ omnes quicunque adhuc jugo Pontificio ſubditi parent, quam hæc Patriæ ſalutaria privilegia, ob Papæ ac Ieſuitarum præpoſteram reverentiam, neglectui apud ipſos atque oblivioni ſiniſtre nunc nimis tradita. Nam *(a)* certorum indicijs conſtat, Branbantiam, quæ XXXV centies mille jugeribus in longum latumque patet; conſtat, inquam, ex ijs hodie vicies octies cētena millia poſsidere Eccleſiaſticos ſeu Religioſos; Nobilitatem & Laicos tantum ſepties centena millia retinere. Nec aliter in Hannonijs res habet. Hannonia enim octies centies mille jugerum magnitudinem complectitur, quorum quindecies centies millia poſſident Monaſtici atque Eccleſiaſtici; Reliqui verò ter tantummodo centies millia. Atque idem æſtimandum de cæteris, pro ratione provinciæ cujuſque & modulo.

(a) Inter alios, vide Cōmētarios Rer. Belg. Emanuel. à Meteren.

Non omittendum porrò annum circiter milleſimum quingenteſimum vigeſimum tertium, cum relictis Daniæ ac Norvegiæ potentiſsimis Regnis, in Zelandiam unà cum cōjuge, Regina Elizabetha, Caroli Imperatoris germana, appuliſset CHRISTIERNUS DANIÆ REX, Amſtelodamum etiam paulò poſt adveniſſe, ibique fortè fortuna offendiſſe Epiſcopum Drunthemenſem, Walkendorpium nomine, qui ex ultima pæne Norvegia ejuſdem Chriſtierni, quem offenderat, iram ac vindictam declinans, eodem jam ante cōfugerat. Rex, eo, ut dixi, percepto, extemplo comprehendi hominem imperavit. Sed intercedente atque autoritatem ſuam interponente tum Urbis Magiſtratu, nec comprehendere Epiſcopum, nec in illum quidquam atrocius ſtatuere Rex valuit; etiamſi facti ſui rationem redditurum ſe apud Cæſaream Majeſtatem ac Pontificem Romanum, omniaque in ſe recepturum identidem pollicetur.

1532.

Quid præterea extorri huic Regi poſtmodum acciderit, & quomodo anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo magna navium claſſe, quarum haud paucæ Amſtelodamenſium fuēre, Norvegiam intraverit, ibidemque captus, & in carcere poſtmodum ad vitæ finem detentus ſit, Danorum noſtriſque Annalibus plenius annotatum. Illud interim ſilentio hîc minime prætereundum, quod occaſione auxiliariæ iſtius claſsis (quā eidem Chriſtierno, volente ità Cæſare, Amſtelodamenſes præcipuè, ut dixi, cæterique Hollandi ſuppeditaverant) Dani, Vandalicæque præſertim urbes, acerrimè in Hollandos ſævire cœperint eorūque bona prædæ habere; adeo ut nec tranſitum per Daniæ Propontidem, Zontam vocamus, ullatenus permittere eiſdem voluerit. Amſtelodamenſes è contra, quorum præcipuè res erat, qui & ſæpiſsimè bonorum jacturam maximaq; hinc damna incurrebant, apud Cæſarem viciſsim obtinent, ut Antuerpiæ, Middelburgi aliiſque in locis, Hamburgenſium, Lubecenſium cæterorumque illius tractus bona ac mercimonia arreſto ſimiliter detinerentur. Idque ubi, Cæſare volente, factum, de compoſitione agi primum Hamburgi cœptum, delegatis eam ad rem ab Amſtelodamenſibus Heimanno Iacobæo Urbis Conſule, necnon ex Senatoribus Cornelio Benningo. Quib' Imperator Curiæ Hagenſis Conſiliarium adjunxerat Iuſtum Amezonium de Burch. Sed

cum

cum ibi, ob absentiam Legatorum Regis Daniæ Frederici I, ad compositionem deduci res plenè nequijt, dilata in proximum conventum, qui Haffniæ indictus: ibique feliciter omnia utrimque proposita compositaque fuerunt. Quomodo & id & prius relatum luculentius eo præsertim in Chronico, quod de vita & rebus Christierni hujus, itemque Frederici primi, Daniæ Regum, patrio inter cætera idiomate paucis ab hinc annis Haffniæ edidit Vir Amplissimus & Nobilissimus Arnoldus Wittfeldius Regni Daniæ Cancellarius, ævi sui & gentis illustre decus.

V. Occasio Anabaptisticæ insaniæ: quæ Amstelodamensibus pæne extrema minabatur: Cæsaris in eosdem Anabaptistas promulgatio.

Nunc illa narranda veniunt, quæ Vrbi propemodum exitio fuere. Nam circa hæc fere tempora initium in Germania superiori ceperat Anabaptistic⁹ fatalis ille ac phanaticus furor. Erroris ac tumultus præcipua occasio, memorante Lamberto Hortensio,*(a)* hæc fuit: Ediderat paulo ante Lutherus Libellum de Libertate Christiana; isque Germanica Lingua jactari omnium manibus mox cœptus, magis desideratus atque expetitus, quàm rectè intellectus hominum vulgo, seditionis materiam memorabilem præbuit. Thomas enim Muntzerus Saxo, homo (uti eventus docuit) illiteratus, sed in hoc Lutheri Opusculo egregie exercitatus, & scripti Interpres parum candidus, primum cœpit apud suos occultè de miserabili Germaniæ servitute queri, oneribus & vectigalibus plebem premi, penes Principes opes, penes se verò perpetuos esse sudores. Aliquandiu ita mussando tandem rem eò traxit, ut aliquam popularium suorum vim ac multitudinem ad vindicandam libertatem ad arma concitarit. Et brevi ex agris tanta hominum colluvies, tanta ex urbibus passim bonorum malorumque sentina affluxit, ut paucis diebus ad triginta armatorum millia contracta metum vastitatis Germaniæ fecerint. Horum consentiens clamor erat, & indignatio, servitute plusquam vilia mancipia miseram rusticorum plebem oneratam, in Argenti Fodinas & Lapidicinas se quotidie demergi. velle se vectigalibus, telonijs & oneribus id genus levari: & tantùm nonnullum agnoscere Principem. Inter Christianos nulli quidquam debere esse proprium, sed omnia communia. Et inter ista seditionis capita celebriora, Muntzeri erat novus, & tantum adultis ac credentibus conferendus Baptismus in libera Ecclesia; quem ille toto tunc Orbe reclamante tueri voluit. At postquam Principum virtute, Rusticorum copijs delectis, tumultus oppressus est, eo prælio captus Muntzerus Duci Saxoniæ capite pœnas luit. E reliquijs acceptæ cladis exoritur statim, præter Doctorem *Balthasarem Hubmoerum* cognomine, (cujus Hollandiæ Chronicon mentionem facit) Melchior Hoffmann⁹ natione Suevus, artificio pellio, Muntzero nimirum ingenio & eruditione par. Qui cum circa Rhenum docere paradoxa sua aggressus esset, ab Argentinensibus & arreptus, & in vincula conjectus est. Florebat enim ea Germaniæ pars per id temporis & doctis hominibus & egregijs artibus, quorum industria atque opera partim refutati, partim Magistratuum jussu fugati in inferam se Germaniam recepêre; maximè verò in ea loca, in quibus homines minus callidos, & novarum rerum avidos esse noverant. Alliciebat etiam huc adultus tum atque inscitiæ plenus Papatus. Itaque pars in Westphaliam, pars in Frisiam, plurimi in Hollandiam, & his finitimas gentes emigrarunt. Apud Amstelodamenses Ioannes Matthias, Harlemensis Pistor, novus sæculi sui Apostolus, postea Monasteriensium, ut dicetur, Propheta, cum octo alijs Hoffmanni Discipulis impulsor præcipuè & author Amstelodami fuit introducendi clanculum Baptismi sui. Nec ei negotium istud, cum ibi, tum alibi cessit infeliciter. Adeo ut brevi res eò redacta sit, ut novo horum dogmate implerentur simplicium animi. Mox erroribus longè latèque propagatis, *Opus, Restitutionis* titulo, invulgarunt. In eo hæc erant; *Christi Regnum ante ultimum diem rerum humanarum civile in terra futurum: Hic soli sancti & justi, Regibus ferro & vi sublatis, dominarentur. Idque jam Regnum à se ac suis esse inchoatum. Magistratum omnem delendum; eique omnibus opibus obsistendum. Licet Christi Apostolis nullum gladij jus, nullaque Regni Civilis administratio, nulla item Imperij stabiliendi potestas permissa sit, posteris tamen eorum sectatoribus, & ijs qui post illos docendi munus in Ecclesia suscepturi essent, civile Imperium & jus gladij traditum: potestatem factam impium Magistratum ferro absumendi. In sua Ecclesia nullum impium inveniri; omnes sanctos esse; Neminem servatum iri; qui universas suas facultates in medium non conferret. Lege Naturæ, cum qua Lex Divina non pugnet, fas jusque esse multas habere conjuges.* Hæc ferè præcipua, cætera referre hoc loco supervacuum.

1525.
(a) libro de Tumultu Anabaptistico.
Thomas Muntzer.
Balthasar Hubmoer.
Melchior Hoffmãnus
Iohannes Matthias Amstelodami prima Anabaptismi fũdamẽta jacit.
Opus Restitutionis.

Secuta

Secuta jam tum est severa passim animadversio: sed nusquam sævior, quam Amstelodami. Cum enim hîc negotiatorum ac nationum peregrinarum frequentia magna sit, brevi temporis spatio pæne totam commercio mutuo corruperunt. Missus tum ex aula Epistates, seu, ut habent Curiæ verba, Procurator Generalis, qui in Anabaptismi suspectos inquireret, repertique novem, qui è lectulis de noctu excitati Hagamque abducti sunt. De quibus cum apud Imperatorem Carolum Bruxellæ quæreretur, quid ijs factum vellet, responsum est ut capite truncarentur. Quod & factum est: Et cadavera quidem sepulturæ ibidem Hagæ mandata, sed capita vasi inclusa Amstelodamum remissa Palisq; & Patibulo Volevici imposita. Et licet in adversum tentarentur tum omnia, crescentib⁹ indies Anabaptistarum viribus, frustra carceres & vincula fuerunt. Fuga alij aliò dilapsi, per Pagos & Vicos divagati sunt. Chartas & Schediasmata in vijs publicis sparsêre: sæpibus viarum, quà exspatiantium frequentia crebra esset, schedas inserere: in his minari extrema ijs, qui suæ doctrinæ non adsentirentur: iram numinis & judicium interminari, qui non omnibus fortunis abjectis, è Babylone facesceret. Cum autem hi, qui apud suos omnium opinionibus isto nomine infames erant, solum vertissent, in Westphaliam cōmuniter est emigratum, ubi jam omnia sua doctrina imbuerant. Monasterium gentis caput est, opera magis humana, quàm natura munitum. Ager horridus partim, partim frugum ferax, Amne Lippia rigatur. Huc recepti anno trigesimo tertio Kalendis Decēb. ipsâ ad extremum urbe potiuntur; statumque Religionis ac Politiæ immutant sub Kal. nimirum Februarij anni millesimi quingentesimi trigesimi quarti. Quæ dum agerentur Cæsar apud Belgas in gratiam recipi per epistolam omnem eam gentem jussit, qui ab errore resipiscerent, hac lege interposita, si eum agnoscerent, & pænitudine adducti, delicta sua Ecclesiæ à confessionibus intra quatuordecimum inde diem detegerent, eamque argumento publicè testarentur. Contra qui irent, in eos Lege ageretur. Hac promulgatione facta, conscensis navibus, facescunt ex Hollandia & proximis Regionibus Anabaptistarum plurimi, unà cum uxoribus & liberis, fortunis omnibus, præter præsentem pecuniam abjectis, Transisalanos atque inde Monasterium abituri. Rogati quo iter esset; eam terram, quam Deus monstraret, se petere responderunt. Eodem die Amstelodamū venit à secretis Consilij Hagensis cum mandato Cæsaris, ut classem aliam, quæ ad illam priorem accesserat, conferta manu retinerent. Postridie quinque ex eadem secta nudi in publicum (erat diei meridies) singuli strictos gladios dextra vibrantes, prosiluerunt. Hi velut limphati per urbem cum ejusmodi carminis horrendi barritu discurrunt: *In nomine Domini Benedictio divina in dextra urbis parte, maledictio in læva sedet.* Nemo in eo discursu ab his labefactus fuit. Cives insueto spectaculo trepidè exciti in forum: Sagittariorū Collegium, destinato ad certamen loco, convenire jussum. Atque ita arreptis seditionis autoribus conquievit is motus primus.

Animadvertūt in Anabaptistas Amstelodami.

1533.

1534.

Cæsaris Edictum.

Fugiunt passim ex Hollandia Anabaptistæ.

Primus nudorum per vicos Amstelodami vagantium motus

VI. Altera Anabaptistarum seditio ac novæ machinæ: Severæque in eosdem animadversiones.

Dum ista Amstelodami geruntur, Res Monasteriensium ad Plotonicam Rempublicam componebantur. Bonorum atq; uxorum communio instituta: Omnis ad Prophetas transmissa authoritas, adeò ut nihil nisi ex eorum consilio publicè privatimve gereretur.

Summum Magistratum, seu perpetuam dictaturam administrabat Iohannes Matthe⁹ Pistor de quo supra dictum, Harlemensis, tum Propheta: Qui eâ existimatione hanc sibi autoritatem paraverat, ut unus jam inde supra Leges esset; unus scisceret juberetque, quæ viderentur; antiquaret, aboleret Leges, aliasque pro libidine conderet.

Omnium consiliorum suorum participem ab initio sibi adjunxerat Iohannem Bocoldum Leidensem; quorum hic in domo Bernardi Cnipperdollingi Consulis habitabat; ille in Monasterio Virginum D. Agnes sedem jam statim ab initio mutatæ Religionis posuerat.

Johannes Matthæus Propheta Monasteriensis.

Johannes Bocoldus Leidensis.

Per eosdem dies tertio Kal. Maias literæ è Frisia Amstelodamum missæ, in Senatu recitatæ sunt in hanc sententiam; ut viderent maturè, ne quid detrimenti Respublica caperet, Anabaptistas consilium inijsse eò commigrandi, ut urbem per tumultum sub jus suum redigerent. Extemplo Saggittariorum sodalitia convocantur in Curiam. Collegia quoque Virginis & Crucis eodem coguntur. Cum his habitus est ibi Senatus. Refertur

Anabaptistarū Amstelodamū comigrādi consilium.

Anabaptistarum

Anabaptistarũ consilium: ecquid spei ab ipsis Senatui, si res in discrimen adduceretur, expectandum esset. Responsum communiter est, vivere & mori pro salute publica; pro Aris & Focis stare sententiam. Inde cautum publicè est, ne quis peregrinum Anabaptistã hospitio exciperet. Qui eos judicio non proderet, ei capitale id futurum. Anabaptistæ peregrini, neque civitate donati, urbe ante quintam ejusdem diei horam vespertinam excederent, ultimi supplicij mulctâ non obtemperantibus proposita. Circa serum diei coguntur in forum iterum sodalitia Sagittariorum. Inde multorum Civium ædibus tota sparsim urbe exploratis, viginti arrepti in carceres ducuntur. Quarto inde die, sexto nimirum Nonas Maias, urbem ingressus est *Comes Hoochstratanus* cum Senatu frequenti Hollandiæ & Præfecto rerum capitalium. Octavo statim id. duo percussi sunt. Et biduo post triginta sex, qui ab Anabaptismo resipuerant, pompam lustralem apertis capitibus, nudis pedibus, lineis amicti, cum singulis cereis publicè duxarunt. Quinto id. quatuor ejusdem factionis iterum percussi, totidem igni absumpti sunt. Postridie ejus diei cęditur unus. Decimo quinto Cal. Iunij, quatuor truncantur. Interea Monasterium obsidet Episcopus. Iohannes autem Matthæus, inter cæteros, se quoque belli Ducem creavit. Et incitato per urbem impetu procurrens, Deum patrem sibi mandasse clamitabat, ut hostem ab urbe rejiceret: ubi propius ad Castra accessit, exceptus à milite quopiam confoditur. Et quanquam ipsius prædictionum detecta tum esset vanitas, tamen socij Prophetæ, & maximè Iohannes Bocoldus, ut publicum luctum callido commento leniret, plebem ejusmodi ludibrio solatur: quasi jam multo ante revelatum haberet, illum debuisse talem habere vitæ finem: & quam reliquisset Vxorem, eam in matrimonium se ducturum. Atque inde publica populi acclamatione Rex renunciatus gravidam etiamnum ex eodem Matthæo, viduam duxit. Eaque sola Regina appellata, Regiam à Rege diversam cum pedissequarum turba habebat.

Comes Hoochstratanus Senatum Amstelodami convocat.

Monasterij Ioh. Bocoldus Rex renunciatus Reginam creat.

Post id viginti quatuor Apostolos, sive Verbi Præcones, emisit, qui ad quatuor mundi plagas profecti doctrinam, quæ Monasterij celebraretur, omnibus denunciarent. Hi cum egressi ad locum suum quisque venissent, excitato per Opidum clamore, ut pœnitentiam agerent, magna voce denunciabant. Quibus clamatibus cum omnium mortalium ora ac mentes in se concitassent, magni motus exorti, perculerunt civitates. Arreptique & ad dicendum causam in Senatum adducti, vestem humi tendebant, & Aureos quos à Rege digressi acceperant, superinjiciunt. Missos se dicentes à Patre altissimo, ut Evangelium ipsis denunciarent. Id si reciperent omnes facultates in medium conferrēt ac communes facerent. Quod si recusarent, tum hac velut arra se contestari ipsorum facinus & ingratitudinem. Deinde per tormenta rogati de sua fide atque vita, deque Vrbis munitione ac statu; Respondent se solos habere veram doctrinam, atque inde ab Apostolorum ætate neque recte denunciatum Verbum Dei, nec ullam fuisse justitiam. Esse quatuor omnino Prophetas, quorum duo sunt justi, Iohannes Leidensis & David Delphensis: duo itidem injusti, Pontifex Romanus & Lutherus; & hic quidem illo deterior. Interrogati cur homines innocentes præter fidem datam Monasterio profligassent, ipsorum occupatis bonis, uxoribus ac liberis; Et quo scripturæ testimonio, suam hanc justitiam tueri velint ac defendere Respondent jam tempus illud adesse, quo fore Christ' dixit, ut mites terram possiderent.

Apostoli xxiv Monasterio emissi.

De copijs & ratione Civitatis locuti, referebant præter alia plerosque habere supra quinque uxores; ad hæc expectare Regem magnam armatorum vim è Frisia ac Hollandia, quorum robore instructus Orbem Christianum debellaturus esset, interfectis Regibus cæteroque Magistratu ob non administratam justitiam.

His inter alia prolatis, partim ab Vrbium Magistratibus; partim ab Episcopo, cui in potestatem quoque aliqui erant traditi, ferro pereunt. Vnus hos inter erat Henricus Hilde sum Goiolandus, qui cum alijs Episcopo traditus fuerat. Cum hoc Episcopus cõsilia quædam secretò transigit, & ab illo mox demittitur. Erant autem hæc: ut in urbem reversus histrionem, hoc est, simulatorem dissimulatoremque accuratè ageret; singula Vrbis, Regis consilia, oportuna loca, tempora, occasiones sedulò exploraret. Cætera in occultò fuerunt. Dimissus, Monasterium, aversis itineribus, venit. Rex reditu ejus intellecto, ad se admissum interrogat, quid rei sit quod amissis omnibus collegis ac fratribus, unus incolumis domum reverteretur, quod sciret capitale esse? Non sine Deo inquit, evasi prodigiosè. Nam ut postridie ad cædem destinatus in custodia publica sedebam, ductu Angeli inde erupi; jussusque sum domum redire cum hujusmodi mandato. ut Regi nunciarem, tres opulentas urbes nobis à Deo datas, *Amstelodamum, Daventriam &*

Apostoli Regis passim ferro cæduntur, excepto Henrico Hildersum.

am & Vezaliam. Has autē sub nostrum jus brevi venturas,si eò Prophetæ mittantur. Lætus Rex re nova Nuncium in Familiam recepit,donavitque Annulo Aureo & veste varia, qualem domestici quinquaginta numero gerebant. Vestis erat discolor, partim graminea, partim cinericia; albus galerus capitibus, Annulus Aureus singulis in digitis erat. Hunc ornatum Regium ità interpretabatur; ut color cinericius mortificationem carnis & peccati; gramineus verò novum hominem ex Deo renatum indicaret, qui odor gratus Deo factus esset, perinde ut herbæ odoriferæ fragrantia amabili naribus adblandiūtur: Annulus charitatem adversus proximnm perpetuam & indissolubilem prę se ferret, ut ille citra principium & finem in se rediret. Rex plausibili nuncio in spem magni Imperij erectus, confestim *Iacobum Campensem* Amstelodamum mittit, quem Vrbis Episcopum esse jussit. Huic Comitem adjungit *Iohannem Matthiam* Middelburgensem.

Aulicorum Regis habitus.

Iacob⁹ Cāpensis Episcopus Amstelodamensium à Rege designatus.

Paulò ante quàm hæc gererentur, ipsis Calendis Octob. *Antonius Lalingus Comes Hoochstratanus*, quem supra diximus, Hollandiæ Gubernator, Amstelodamum intravit, res Civitatis inspecturus. Postridie ad se advocari jubet Iohannem Hubertum Prætorē, Cornelium Benningum & Albertum Boelensonium Coss. Nicolaum Hilbrandum, Cornelium Dobbesenium Scabinos; Nicolaum Heinium, Iodocum Buyckium Tribunos. Hos, viginti quinque criminibus propositis, graviter negligentiæ accusavit, simulque quod in puniendo animadvertendoque nimis remissi atque animo ociosi fuissent. Culpā eorum fieri, quod malum exortum indies ulterius serperet. Criminum objectorum partim refutarunt, de alijs se purgarunt. Quinto Non. cogitur Senatus & consulitur de Republica. Quarto Non. habetur iterum Senatus in Hospitio Comitis Hoochstratani; Et quia Prætor se Prætura abdicaverat, quæsitus est in frequenti Senatu alius, suffectusque ad tempus Ruyschius Iohannes Beths, atque inde Haimannus Iacobus, ac denique Nicolaus Gerhardi Matthæus, uti habent Archiva civitatis: quæ & hoc suggerunt, Prætorem *Iohannem Hubertum* Lutheranismi suspectum fuisse, atque accusatum à Procuratore Generali Hagæ Comitis. Sed de eodem Prætore mox plura dicemus, ubi de Claris Amstelodamensibus loquendi locus se offeret.

Hoochstratanus Senatum Amst. officij commovet.

Porrò in eodem *Hoochstratani* Hospitio proponitur num quis etiam in Senatu Hæreseos suspectus esset; num sedulò in urbis muris ac propugnaculis haberentur excubiæ: num singulis annis accepta atque expensa fideliter referrentur. Nonis Octob. à Quæstore Rerum Capitalium duo Cives Gentis Anabaptistæ arrepti in carcerem ducuntur. Ortus inde rumor constans, sed, incerto authore, sparsus, sequenti nocte ducentos arripiendos, qui ex Vrbe Hagam deportarentur ad supplicium. Hac de causa concitato motu multi se de nocte circa Curiæ Palatium tenuerunt. Sexto Id. vigiliæ nocturnæ *Iodoco Buyck & Iohanni Holesloot* utpote Civitatis Antesignanis, decernuntur. Hi ex sodalitio Sagittariorum tres sibi manipulos adjunxerunt, indignati tantam Civium vim in forum sub noctem confluere, quibus nullæ indictę essent excubiæ. Tenebat deliberatio, ferrone in eos grassaretur, ac toto foro disturbarent, an quietos se continerent. Vicit Iodoci & Holeslootij sanum consilium, qui adscitis quatuor ex omni manipulorum numero in forum progressi, exquirunt quo consilio, quidve volentes præter morem in forum se effunderent, continerentque totam noctem? Ederent causas: fore ut mos ipsis gereretur, si æqui aliquid postularent. Respondent, se non ad concitandos tumultus, aut res novas moliendas, eò convenisse; sed quando & ipsi Cives essent, non minus ac reliqui; ideoq; nec fraudi nec injuriæ sibi esse oportere, quod pro communi salute ipsi quoque excubarent; interim & aliam se prætexere causam, contra judiciorum formas noctu insontes, dormientes arripi nolle. Ad ea Bukius; domum quisque suam cubitum inde concederet, interponere suam privatim fidem, id non futurum. Quod si quis in eorum cujusquam ædes ad injuriam faciendam vim meditaretur, se suamque salutem pignori oppositurū, cum eo Sagittariorum Collegio, qui ea nocte sub suis auspicijs stationes circa Curiam agerent. Duodecima noctis hora erat, cum è Palatio domos suas quisque digrederetur: Hoochstratanus nocturna Civium concursione perterrefactus circa hospitium satellitibus ad custodiam biduum dispositis, Hagam nihil ibi diutius moratus, se abripuit. Postridie Cal. Ianuarij anni M. D. XXXV, Civis Anabaptista ferro absumptus est: alius, qui in Senatum vocatus fugit, in perpetuum exilio multatus est. Fæmina item eodem die demersa. Hanc sementem id temporis in clarissima urbe fecerat *Iacobus Campensis*, ex quo Monasterio, ante dictum, Regis mandato egressus Amstelodamum novus Episcopus accessit. Latuerat cum Comite suo menses sex, & eò amplius; traxeratque suis sutelis ac blando verborum lenocinio magnum hominum numerum in suam hæræsim. Agitabātur

tur frequenti populo nocturni cœtus, miscendo secreta colloquia. Alij alios sollicitare, invicem in spem novandarum rerum erigere, vel obstante Episcopo, ac frustra reclamãte, ne ad res novas per tumultum intempestivè consurgerent.

Inter hæc Monasterienses lubricè se habebant. Rex Bocoldus operam uxoribus effœminatus dabat. Duxerat, ut dixi, viduam Iohannis Matthæi cui persuaserat à Deo in Reginam vocatam. Ad hanc decem alias juvenculas adscivit: quibus tres ante susceptum Regium Diadema ductas adjunxerat. Harum œconomiam ità constituit, ut una Regina omnibus alijs splendore, dignitate, mundo muliebri longè antecelleret. Hæc autem Coronam gestabat, Aureum item Torquem à collo dependentem: & vestium mundicies auratarum, formam reddebat majestate conspicuam. Cæteræ uxores populari cultu & consueto, antequam Regi nuberent, ornatu, nihil à Civibus variabant. Cum Regina tamen in eadem Regia, in una mensâ cibum capiebant: Nam & Reginæ suum erat seorsim satellitium, præter pedissequas & ancillantium turbam. Erat ibidem in Vrbe Fœmina Amstelodamensis (nomen *Aleidæ à Lysting* fuisse refert Lambertus Hortensius) quæ, domi marito opibus præpotenti relicto, Monasteriensium res paullò ante postremum motum fuerat sequuta; Hæc ubi Anabaptistarum sacris initiata esset, nullo inde Patriæ, nullo Mariti desiderio commota fuit; Nec ulli ad id temporis usque adhuc nupserat, sterilitatis prætextu. Nam solę effætæ ac annis graves virisq; immaturæ à matrimonio apud eos excusabantur. Sed cum diutius hoc multitudinem ludificari non posset, ad ultimum restitans Frisio cuidam Petro Simoni nubere coacta fuit. *Monasteriensium res quales.* *Reginæ & uxorum reliquarum ratio ac habitus.*

His ipsis diebus fama Monasterium adfertur Amstelodami non modò, sed totâ Hollandia ac proxima in Frisia Anabaptistarum cohortes palantes vagari, quæ ad ferendas suppetias Regi Sionis se instruerent. Omnium animis, sed Regis maximè, uno rumore ad spem secundarum rerum erectis, mittitur extemplo eò cum magno Auri pondere *Iohannes Gelensis*, & cum eo tres alij Frisici nominis. Habebatur Gelensis in re militari haud perfunctoriè exercitatus, utpote qui in belli ordines etiam ductarat. Hunc Rex cohortibus illis Ducem atque Antesignanum præficit. Mandat identidem abeunti, ut eisdem suis verbis dicat, quò ad expeditionem lubentiores essent, Deum Patrem per Prophetam *Henricum Hildersum*, Regi & Populo Sionis sub jus & Imperium tres potentissimas civitates, *Amstelodamum, Daventriam, & Vezaliam* promisisse se missurum: Accessũ modò maturarent, & annonam, quantum posset, conveherent; urbem habere ità munitam ut hostis nullius, quanquam potentis, vim formidarent. Mandat insuper Gelensi seriò, ut velut alter Mosche eam hominum multitudinem fideliter Monasterium traducat. Quapropter XVIII Decem. anni superioris M. D. XXXIV, urbe excessit, quo tẽpore commeatus rerumque omnium annona Opidanis cœpit deficere.

Mense deinde Februario anni millesimi quingentesimi trigesimi quinti Amstelodami in apertum erupit, quod diu Senatus & Civium plerique metuerant. In Vico Salinario Iohannes Sibertus habitabat pannicida. Aberat is per hos dies procul à domo in Orientalibus urbibus, ubi negotiabatur. Huc aliquot Viri & Fœminæ convenerant; inter quos unus, cui *Theodorico Sartori* nomen, se Prophetam dixerat. Mane adhuc summo, paullo nimirum post tertiam horam, in secretiori ædium parte pronum se in terram ad orandũ Propheta in omnium conspectu porrexit. Dum orat tantus omnes horror invasit, ut locus ipsis moveri, & omnia contremiscere viderentur. Facto precandi fine, Deum, inquit cuidam, in throno ac majestate sua vidi, & cum eo sum coram locutus. Raptus fui in cælum, inde traductus ad inferos, omnia lustravi: adest magnus extremi judicij dies. Et tu in omne ævum maledictus es, indignus qui ad inferos descendas, in abyssum barathri demergeris. Ibi Minister ille: Pater qui cœlos inhabitas, mei miserere, mihi sis propitius. Tum Propheta: Pater tui misertus est, & in filium jam recepit, atque admissa tibi omnia tua condonavit. Paullo post eodem rursus convenere. Et ex fæminis aliquot, relictis in thoro maritis, huc se iterum contulerunt. Quatuor horis docendo precandoque assumptis, Propheta galeam capiti detractam, & thoracem ferreum exutum, ensem & alia instrumenta bellica excussa, in ignem congesit. His spoliatus totus stetit nudus, ut non esset quo ea, quæ ab oculis hominum sunt removenda, & natura tegi haberique occulta voluit, conderentur. Mandat sub hæc imperiosè cæteris, ut suo exemplo totos se exuant. Paruerunt jussui. Inde fæminæ virorum exemplum secutæ, adeò omnem vestitũ posuerunt, ut non esset funiculus reliquus, quo capitis comas substringerent nulla naturali verecundia ductæ. Ità enim censuerat Propheta, universum id quod è terra natum 1535. *Theodoricus Sartor Propheta.*

 factumque

factumque esset, in ignem conjici oportere, holocaustum Deo futurum id arbitratus. Gravis dirusque fætor vestium igne correptarum, totam jam domum ita oppleverat, ut mulier domus hospita, quæ harum rerum ignara omnium erat, eò exporrecta, lecto exilierit, focos exploratura, ecquod uspiam esset incendium. In tabulatum sursum progressa, nudos undecim promiscuos ibi offendit. Cui illico pro Imperio mandat, ut & ipsa ad præscriptum se ostenderet. Obtemperabat nulla mora, vestes in focum super acervum aliarum cumulavit. Atque ita nudatis duodecim, nondum liquebat quid rerum incepta-retur. Tum omnibus jmperat Propheta, ut currendo clamandoque se imitarentur. Mox in publicum domo egressi horribili clamore per urbem sursum deorsum pervagantur. Consentiens omnium hic clamor exaudiebatur: Væ, Væ, Væ, divina vindicta, divina vindicta. Hoc clamatu circumquaque resonante, cives armati in publicum prosiliunt, forumque invadunt, rati ab hostibus urbem captam fuisse. Capti omnes in vincula ducuntur, extra unam mulierem. Hæc quonam delapsa fuerit sciri nequit. In Curia dum nudi sedent, nulla verecundia moti, vestitum oblatum rejecerunt, tegi pertinaciter recusantes, se nudam esse veritatem dictitando. Incendij domestici jam dirus fœtor ad vicinos pervenerat; foresque ita firmiter clausæ cohærebant, ut eas refringere vix valuerint. Serâ ad postremum bombarda discussâ, offendunt incendium stramentis pastum, vestibus, armis, duabus lancibus carnium plenis superimpositis, oppressum fumum flammamq; fuisse. Coguntur Sagittariorum sodalitia in forum, ut adsint in armis. Explorantur multorum ædes, nonnulli capiuntur. Aliqui culpæ expertes dimittuntur. Eo die toto clausas urbis portas tenuerunt, bis tantum raptim apertæ, statimque clausæ rursum fuere. Decimo Kal. Martij ex Hannovia circa *Novum Aggerem* (ita nuncupatur urbis platea Novi Lateris principalis, ut ante dictum) appulerunt, Anabaptistarum ferè millia. Hos accessit Dominus Gerhardus Assendelphius una cum Præfecto Rerum Capitalium apud Hollandos: quorum prudentia ac consilio effectum fuit, ut retrorsum unde venerant, abierint. Aliquot ibi ædes disjiciuntur, quas suspectas habuerunt, ut sempiternum rei monumentum. Quinto Kal. Martij septem Viri, quos nudos discurrisse retulimus, percutiuntur. Horum varius in ipso supplicio, & veluti extremo tragædiæ actu, clamor fuit. Hic, laudate semper Dominum: ille, vindica sanguinem tuorum: alius, aperite oculos; quartus Væ, Væ; Pridie Nonas Martias ejusdem gentis alij novem percussi. Nec tamen tot cædibus per universam Holládiam plebs pertinax & obstinata ullatenus evicta fuit: imo magis magisque erroribus induruit. Nam & ij, qui Monasterij ab Episcopo obsessi tenebantur, canina jam fame laborabant, adeò ut panis inopia, oleribus, radicibus herbarũ, pampinis ac fruticibusque id genus, quos terra fido sinu effundit, vitam tolerarent.

Iterum nudi per Opidum discurrunt.

Ex Hannovijs ferè millia Anabaptistarum Amstelodamum confluunt.

Variorum supplicia.

Anabaptistarum postremus ad invadendam Vrbem conatus & conjuratio.

Gelensis interea, quem à Rege Amstelodamum inque Hollandiam Frisiamque ablegatum diximus, quum alio longe habitu ac modo offendisset omnia, quàm Monasterio decedens à Rege persuasus acceperat, animo nihilominus res magnas agitare cœpit. Nam postquam in Frisiam advenit, atque inde in Hollandiam nullas copias offẽdit. E Frisia tamen priusquam decederet, ejus artibus effectum, ut turbæ non minimæ præsertim Bolswardiæ datæ fuerint. Quibus sedatis, Amstelodamum fugit, divertitque ignoto Mercatoris habitu apud Guilielmum Cornelium. Et ne proderetur indicio, nomen mutarat. Ex confessione enim eorum, de quibus in Frisia variæ quæstiones habitæ fuerant, Gelense nomen per Hollandicas urbes celebre tum erat. Diu hic secreta colloquia cum ijs habere, quos sibi oportunos perspexerat; per hos sibi alios atque alios adjungere; cum his seria miscere; magna de Monasteriensium Regno promittere: horum vivendi libertatem vehere. Ad postremum animos spe novarum rerum jmplet, & ad memorabile facinus audendum accendit. Nam fama Monasteriensium rerum tantam mortalib⁹ sacra prophanaque invadendi cupiditatem per id temporis injecerat ut brevi, Amstelodami passim illa lues latius quam credi potuit, proserperet. Erat in Vrbe *Henricus Goetbelitus*, homo decenti statura & corpore robusto, qui in multis bellis rem militarem secutus, magnum inter suos nomen virtute adeptus, ijsdemque temporibus Anabaptistarum sacris inter alios initiatus fuerat. Hunc Gelensis secreti colloquij socium sumit: Sed nihil æquè metuebat, atque ne jndicio proderetur: nam ab aliquo agnitus ob mutati nominis

Iohannis Gelensis machinationes.

Henricus Goetbelitus

minis consilium, in præsens capitis periculum fuerat perventurus: Persuasus tandem à fidis quibusdam amicis, inter quos *Goetbelitus* erat, capit in arena consilium. Idque ejusmodi fuit. Curiam Brabanticam, dum res adhuc integræ essent, quamprimum peteret: veniam admissi, quacunque ratione, à Regina Maria Caroli Imperatoris sorore, quæ tũ Provinciarum Gubernatrix erat, exoraret: quâ impetrata (erat homini grandis pecunia, quam Monasterio exiens à Rege acceperat, ut ante memoratum est) in Hollandiam regressus, Amstelodamum reverteretur, ut periculorum securus inter cives & mercatores, proprio vicissim resumpto nomine, versaretur: Consilium non frustra fuit. Nam amicorum ope & suis varijs promissis fretus, veniam est consecutus, hac præsertim lege, ut urbem Monasterium Carolo Imperatori, quibuscunque artibus, traderet. Cætera inter se secreto transegerunt. His de rebus traduntur homini tabulæ magno sigillo impressæ; & addita est eidem pecunia ad conscribendas copias. Redit Amstelodamum successu exultans, & admodum lætus, ubi non, ut antea, in occulto versari, sed palam, & partæ condonationis fiducia ultrò etiam apud quoslibet se rebaptizatum confiteri, nomen natiuũ edere: nihil denique simulare aut dissimulare. Fidem ei maximè conciliarunt apud urbis Primores & Senatum, promissa magnifica de proditione inter cæteras conditiones tabulis expressa. Mutat hospitium, migratque in ædes, quæ Hispaniarum titulo inscribuntur. Innotuerat jam omnibus, & familior esse cœpit Principibus civitatis, cum ob lapsus pœnitudinem, & admissorum impetratam condonationem; tum propter susceptę Provinciæ magnitudinem, perpetrandæque difficultatem. In hac animorum securitate facinus arduum parare aggreditur. Conjurat cum sua gente de invadenda urbe, & simili Monasteriensi Republica constituẽda. Omnium primum consilij hujus socium assumpsit *Henricum Goetbelitum*, quem suorum Signiferum fecit. Inde res ad reliquam gentem refert, quam in ædium interiora *Petri Galæ* in Vico Pilano coegerat. Approbatur consilium, maximè negotij facilitate à Gelensi proposita. Addidit opportuna omnia, noctis beneficium, propensos totius civitatis in se animos, extra paucos bibones, gulæ & abdomini deditos, præsentem numinis favorem, oraculum *Henrici Hildersum*. Destinantur ibi ad cædem hostes Anabaptistarum: partiuntur inter se domos opulentiorum, omine nõ bono, ante partam victoriam. Constituitur patrando facinori sextus Id. Maj. Numeratur singulis nummus Aureus, pignus societatis. Signum ad concurrendum foret, nolæ pulsus in Curia. Sed conjuratio casu magis, seu Numinis potius providentia, quam vigilantia, aut Consulum industria, in ipso prope rei agendæ puncto detecta fuit. Nam prisco more Crucis sodalitium luxu magnifico in Curia obsonare id temporis consueverat. Quo etiam convocari moris erat Magistratum omnem & pleramque civitatis opulentiam inque noctem multam compotationem extrahere. Circa serum diei, jam medio foro funalibus & vasis picatis in triumphi speciem accensis, adolescens fortè ad quendam, cui nomen fuit *Petro Honichio*, accessit, narratque Anabaptistas ad sexcentos tota se urbe colligere, ut eam invadant. Honichius nulla interposita mora rem ad Nicolaum Dodesium & Theodoricum Hildebrandi filium Tribunos refert. Hi tres consociati in Forum ad Consules properãt, aperiuntque illis rem haud sine exaggeratione, ut acceperãt, monentque, ut maturè prospicerent, ne quid detrimenti Respublica caperet. Consules apud se tranquillitatem præsentem urbis reputantes, non satis induci valuerunt, ut crederent tantam mortalium multitudinem sine indicio cogi; aut conjurationem tectam, ne proderetur haberi potuisse, cum inter duos vix ferè facinus celetur. Ad Consules Iudex adducitur, quo ex eo exploratiora cognoscerent. Affirmat is identidem & pertinaciter, sic se rem habere, nec esse temerarium, seque in vinculis teneri imperat, si minus facta relatis responderent. Signa multa, & inter ea illud argumento esse, tres bombardas manuarias duplicis generis pulvere tormentario debitè oneratas in supero conclavi Rhetorum, qui vulgò appellantur *Rhetoriyck Camer*, eos inventuros. Erat autem tum illud in Foro in summo Libræ tabulato, contra transversam curiam. Cæterum deprehẽditur res à Consulibus, perinde ut ab Iudice acceperant. Sodales interim crucis solito maturius è curia discedunt, quæ res ipsis saluti fuit. Habita aliquandiu inter Consules consultatio, qua ratione per silentium cives cogerentur, ut quàm minimo motu ad curiam in armis Anabaptistarum adventum expectaturi, adessent. Alijs aliter censentib⁹, dum sententijs variantibus tempus eximitur (erat noctis prima fax) Anabaptistæ armorum omni genere instructi, e Vico Pilano ex ædibus Petri Galæ magnis clamoribus, prę-euntibus signis & tympano, tumultuose in forum irrumpunt. Curiam invadunt: vigiles partim cædunt; partim capiunt: cæsusque in principio statim fuit Vigilum Præfectus.

Simon

Simon Puttius. Ad primos clamores lictorum unus excitatus,qui in Curia adprime pot⁹, inter sedilia & Scamna humi exporrectus jacebat dormiens, in superiora tabulata se abripuit; ac funem nolæ, ne ad terrorem urbi augendum signum daretur, ignarus omniũ, forte fortuito subduxit. Ægrè evadunt Consules & tota urbe cives excitant jubētque in armis fauces viarum circa forum obsideri, ne illorum robur ulla accessione eorum, qui nondum aderant, ullatenus augeretur. Anabaptistæ interea, ne vasorum ardentium, toto foro, luce proderentur,ligna & funalia demoliuntur. Degebat in Vico Pilano homũculus ex Anabaptistica conjuratione, nanus gibbosus & Thersites alter; Hic ad primam conclamationem ficta trepidatione excitus,vicinum armatus rogat,ecquæ turbæ,ecquis motus civitatem invasisset. Inde, paucos passus progressus, vicinum incautum excipit. Repens tumultus totam civitatem pervagat⁹ in muros ad excubias nocturnas pervenit, captam urbem, cædem passim fieri. Atrocitatem rei, rumor, horror noctu: nus tenebræque solitò non paullo densiores, per quas nullum inter hostem & amicum discrimẽ dinoscere poterant, errantibus per viarum angustias adauxêre. Turbabat item eosdem ipsos, in quem locum primò occupandum convenirent. Quotquot in Forum primo statim tumultu prosiliebant ad dimicandum,Anabaptistarum bombardis ac sphærulis trajiciebantur. *Nicolaus Aquinas* erat homo temulentus, & potor strenuus, cui cum Henrico Goetbelito multos annos familiaritas intercesserat. Is se in turbam confertam præcipitabat toto foro digladiantium conjuratorum. Rogat salsè, quid sibi vellent: Consilium ederent ut reconciliarentur: Iubet eum Goetbelitus inde domum facessere: periculosum ibi agi negotium, quod ad ipsum nihil pertineret. Parantibus alijs in eum ferrum stringere; Potor magnus hic est, inquit Goetbelitus, & mihi familiariter notus, mittatur. Dum restitat volens suo more esse ridiculus, frustra eodem Goetbelito injuriam prohibente, truncatur. Obsederant jam cives vias, quæ in forum excurrunt. Inde convenit inter Coss. ne quid ante exortum diei incœptaretur. Consul tum inter cæteros erat *M. Petrus Colinus* Vir cum doctus tum pius: hic quod in sui Consulatus initio ad sæviendum segnior fuisset, ut memorat Lambertus Hortensius, quem,ut ævi istius scriptorem ideoque & fide dignissimum, hic potissimum sequimur, multorum in se invidiã conjecerat, quasi istorum hominum , &, quæ agerentur consiliorum non ignarus, multa dissimulasset. Quo ergo in civium conspectu communique periculo suspicione se liberaret,Dux suis in forum,in ipso ardore, non rectè consilio præparato,præcessit. Anabaptistæ accepto civium adventu Consuli circa Libram, cum infestis tormentis manuarijs obviã procedunt,ac nullo momẽto in fugã eos avertunt: Multi in ipsa fuga vulnerãtur. Consul fœdè trucidatur. Plurimi inter hæc sphærulis adulteratis per tenebras sternuntur. *Gosvin⁹ Recalvus* Vir Cõsularis,& rei militaris laude jam olim clar⁹,vela vijs ad forum ducentib⁹ obtendi imperat,& advolvi saccos ingentes lupulo graves,pone quos,ceu sub pluteis, latitarunt advers⁹ Anabaptistarum uim.Cum autẽ animadverteret idem Recalvus haud tuto in universum cum sola civium manu rem agi,cõvocat in forum Piscarium circa aggerem, quo utrimque vis fluminis coercetur, voluntarios , ad faciendum in eum diem stipendium menstruum sub Coss. Amstelodamensibus. Erant hi ferè militares, & qui in prælijs antea res fortiter gesserant. Hi sacramento ità inauthorantur, ut disturbatis Anabaptistis impetum in curiam facerent primi; hos deinde cives sequerentur. Tum Goetbelitus, ubi advertit vias ad forum interceptas, ne copijs suorum augerentur: & altum silentium civium: nimirum ô Gelensis, hoc illud est, quod semper male metui, ne nos nostrum inceptum cum tã exigua manu in exitium adduceret. Quid nunc reliquum nisi ut pugnando cadamus? Ad ea ille; Haud ità cadet res: ante decimam sequentis diei horam urbe potiemur, & quidem sine sanguine, si quid Prophetæ credendum est. Civibus altum silentium agentibus, reliquum illi noctis cantu sacrarum Odarum absumpserunt. Et hujus facinoris autores haud ultra quadraginta fuisse creduntur.

Postquam autem sublucescente aurora quædam discurrentium simulacra per umbrã apparere civibus cœpere cum jam globulis alij post alios ex insidijs ferirentur, in Curiã se è publico abripuerunt. Cives foro pulsos conspicati Anabaptistas, Conclave Rhetorum non segniter occupant ad prohibendos illos è publico opportunum. Inde per fenestras Curiæ tanta vi tormentorum fulminatum in aulam, quam vernaculo idiomate magnam vocant,ut per curiam totam se, multis sparsim cadentibus, divellere cogerentur. Tum Gosvinus Recalvus duos integros serpentarios, & aliud tormentum majoris generis,ad aggerem fluminis moveri imperat. Oritur ibi consentiens prope clamor, nihil referre si unà cum hostibus unica Domus evertatur: multò magnificentiorem Curiam Se-

natoriam

natoriam se excitaturos. Ad ea Recalvus; sat futurum, si dejectis foribus fenestra versus interiora aperiretur: simulque imperat inauthoritatis ut ad jactum globi intenti, impetum in Curiam faciant. Emisso tormento aberrat in ostium Xenodochij D. Elizabethæ globus aditumque patentem facit. Adductis deinde duobus reliquis, multò majore vi & jactu certiore ostium & postes Curia disjiciuntur; ac simul adsiliunt inauthoritati agmine infesto, parique ferocitate proximè secuti Cives altum clamantes in Curiam impressionem fecêre. Pulsis Anabaptistis in eam Curiæ partem, quæ nova est appellata, offenduntur in primo statim limine sparsa cadavera, partim è Rhetorum conclavi, partim majoribus bombardis neci data. Nonnulli spiritum adhuc trahentes à ferociente Cive interfecti. Occupaverant Anabaptistæ Curiam interiorem ad viginti quinque. Hîc tanta virtute Cives, dum aditus undique tentant, à limine repulerunt, ut nemo viam vi facere potuerit. Captatur ex tempore & loco præsens pariter & necessarium consilium, ut Civium ac Militum pars de via fenestras scanderent, hostemque à lateribus adorirentur. Atque ità dum undiquaque oppugnantur, multis pugnando cadentibus, inter quos & Goetbelitus fuit, capiuntur duodecim, Turricula præceps est è summo Curiæ fastigio in cœlum educta, sub cujus summo tecto nolæ ad convocandum Senatum & Senatusconsulta promulganda, & alios Reipublicæ usus dependebat. Infra hanc galea erat (transitum vulgò vocant) in hanc subducta scala, statim post captam à Civibus Curiam confugerat Iohannes Gelensis. Expendens apud se atrocitatem supplicij si in potestatem vivus veniret; contra forum se erexit viris armatis circumquaque refertum. Qui hominẽ conspicati, manuaria bombarda trajiciunt, indeque paullò post adhuc palpitans in subjectum forum præcipitatus est. Multi noctis tenebrosæ beneficio dilapsi, quique ad signum intenti steterant, in posterum latuerunt. Atque ad istum maximè modum hoc celeberrimum emporium ab insana tum conjuratione vindicatum est. Vnum præcipuè, volente sic numine, obfuisse videtur, quo minus speratum eventum sortiretur hoc facinus, campanulæ nimirum funis à poto lictore, ut antea memoratum, subductio.

Cæsorum numerus ex Anabaptistis viginti octo fuerunt; inter Cives viginti desiderati sunt. Anabaptistarum cadavera, à Meridie loco supplicijs destinato, duplici jugo ad id præparato, sublatis pedibus suspensa sunt. Refert porrò Lambertus Hortensius (cujus & antea facta mentio) captos eodem die duos extra Vrbis Pomeria, qui ad tormentorũ fragorem è propinquis Pagis exciti spe captæ Vrbis ad portas confluxerant. Sub vesperam homuli monstrum in vincula ductum, à quo vicinum in ipso statim tumultus initio ex insidijs interfectum modò memoratum est. Is cum eum diem in fuliginoso Curiæ fumario sedisset sub crepusculum descendit; ac dum avijs itineribus per pomeria errat, obvij situ & fuligine adopertum ornatum hominis, ad omnem auram trepidantis, oculis persequuntur. Nimirum inquit quidam, unus hic ex conjuratis Anabaptistis est. Expallescentem neque omnino inficiantem, neque sibi satis constantem arripiunt traduntque in vicula Prætori. Pridie statim Id. Majas de conjuratis captivis supplicium sumptum est. Scamno Lanionis (ità idem Hortensius) exporrectis corda evulsa, in ora impinguntur. Corpora inde palpantia etiamnum in subjectum forum dejecta; mox quadrifariam dissecta in crucem sublata ad portas urbis, quarum pinnis capita imposuerunt. Id. Maij postridie quam de illis exactum supplicium fuit, tres percussi, & duæ profluente aqua haustæ fœminæ. Duodecimo Kal. Iunij totidem fœminæ in Vico Pilano in crucem sunt actæ in suismet ipsarum foribus: quod conjurationis consciæ conjuratis ex suis ædibus prodire passæ fuissent. Alius quoque deprehensus, qui conjurationem non indicasset, percussus est. Kal. Iunij, ob eandem causam de duobus exactum est supplicium: & hera domestica, è cujus ædibus nudatorum spectaculum prodierat, ad fores suas suspendio necatur. Et paullo post mater una cum filio, eodem supplicio ob simile prope delictũ perijt. Quod videlicet Iacobum Campensem Episcopum, de quo ante dictum, contra Magistratus Edictum hospitio excepisset, nec judicio prodidisset. Hic denique Campẽsis post tot tantaque promiscuorum mortalium supplicia, dum nusquam inveniretur, Indici publicè magnum præmium est propositum: occultanti neque ante Occasum Solis indicanti, ultimum supplicium, suspendium videlicet in Foribus. Tandem nullius judicio in acervo glebularum cespitumque, quibus Foci exstruuntur oppressus in vinculà ducitur. De hoc ità supplicium sumptum est, ut addita sit reo ejusmodi ignominia: sedenti horam integram loco editiori ad spectaculum ante Curiam, mittra bicornis in capite fuit. Et quia ore impiam doctrinam docuisset, lingua ei præciditur. Manu baptizarat; quocirca dextra truncatur: Postremum scamno illigato caput cultro lanionis percutitur

Clades Anabaptistarum.

Iacobi Cãpensis Episcopi ignominiosum supplicium.

cutitur. Cadaver combustum, caput cum manu dextra Palo in portæ fastigio sublatum. Iohannes Matthias Middelburgensis fuga evasit.

Confœderati Gelensis. In Gelensis hujus Fœdere, præter Oppidanos, fuerant insuper plerique Benscopiorum: Sunt autem hi populi ditionis Iselsteinensis, quos Australis ager Montfortius attingit. Hos ille sexto Id. Maij Amstelodamum convenire præceperat. Trecenti erant, quibus ad conveniendum eò dies indictus fuerat, ijsque præsidijs communire Vrbem cōstituerat. Verum segnius aliquanto quam jussi, convenerant. Postquam autem Vrbi appropinquassent, suorumque cladem cognovissent, alij alijs itineribus in diversum abiere. Condixerat idem Gelensis locum atque horam ad conveniendum etiam alijs. Qui similiter, paullo postquam pugnatum est, duabus ad Portum navibus appulere. Sed audita adversa pugna, Gelensem cum suis cæsum, civem victorem ac captos multos, nihil ibi morati, fugam celerarunt, averso in Angliam itinere.

Rex Monasteriensis clade Iohannis Gelensis, in quo anchoram extremam posuerat, accepta: Perspecto etiam ludibrio *Henrici Hildersum*; necnon expensis apud animum suū Vaticiniorum imposturis, quibus præcipuè tantam mortalium vim in errorem, & fortunarum vitæque naufragium traxerat, tandem animi amens, & præsentis consilij impos esse cœpit: captoque non multò post per Episcopum Monasterio Oppido, captus & ipse cum suis malam potentiam crudeli supplicio expiavit, vegeti corporis atque animi juvenis, utpote ætatis vigesimo sexto; Imperij, seu tragœdiæ potius, anno vix altero.

Regis ante supplicium confessio; & Concionatorum Lantgravij cum eodem collatio 1. PRIVSQVAM verò supplicio traderetur (quod nequaquam involvendum hic silentio) detinebatur in Arce quapiam Episcopi, Monasterio vicina, *Bevergem* appellata; in qua, præter aliorum Principum ac Procerum Germaniæ Legatos, duo Lantgravij Concionatores seu Verbi Divini Ministri, *Antonius* nimirum *Corvinus*, & *Johannes Kimeus*, etiam aderant. Quib⁹ cum ad Regem & reliquos duos captivos, *Cnipperdolingum* & *Crechtingum*, liber accessus concederetur, occasione capta cum Rege una alteraque disputatione congressi, super hisce præcipuè Fidei Articulis; qui sunt de *Regno Christi*; de *Magistratu*; de *Iustificatione*; de *Baptismo*; de *Cœna Domini*; de *Humanitate Christi*; de *Matrimonio*, conferre cœperunt.

De Regno Christi. Et priore quidem collatione Rex de *Regno Christi* corporali interrogatus, nulli Scripturæ loco æquè fidebat atque isti, quem ex Apocalypsi de mille annis selegerat. Nam (ut habet in Historia sua Monasteriensi, Pastorum alter, quem dixi, *Antonius Corvinus*, ita locum eum jactabat perpetuòque crepabat, ut facilè vel ex eo appareret perditam factionem meris somnijs fuisse delusam. Quamvis obmutuisse nonnihil addit, præsertim ubi de Regno Christi spirituali, quod per Verbum administratur, eum interpretaretur; eiq; interpretationi lucem & robur adderent ex eadem Apocalypsi, quod ille scilicet candido Equo insidens verax, fidelis & Verbum Dei disertè ibidem nominetur.

De Magistratu. *Magistratum* porrò etiamsi Ordinationem Divinam non diffiteretur, rebellionem tamen, si quid à Christo alienum juberet, approbavit fretus hoc dicto: *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.* Quum autem Ministri faterentur, obedientiam quidem Magistratui non deberi, si à Christi Doctrina transversos agere subditos conetur, non tamen inde sequi, idcirco vim vi repellere privatis personis licere, sed Christi poti⁹ vocem hic audiendam; *Si vos persecuti fuerint in Civitate hac, migrate in aliam.* Aliud non respondit quam, Magistratus sæpe tyrannidem rebellandi occasionem præbere.

De Iustificatione. In *Iustificationis* negotio ità Argumentis Ministrorum pressus fuerit, ut pedibus pænè in sententiam eorum discedens ingenuè fateretur, solam fidem in Christum, non propter dignitatem, aut meritum operum, etiam eorum quæ Fidem sequuntur, justificare & salvare. Quod tamen nec Pontificij, neque alij hodiè Anabaptistæ concesserint.

De Baptismo. *Baptismum Infantium* modis omnibus detestabatur, adultorum rebaptisationem perinde atque rem Evangelicis literis planè consentaneam adserens comprobansque. Rogatus ab ijsdem, quibus Scripturis vel rationibus hanc in Ecclesia novationem probaturus esset; Respondit Christum, quum Babptismum instituerit, de Doctrina, ad quam percipiendam pueri parum sint idonei, prius & præcepisse & locutum esse: præcipuè tamen hoc nomine dixit Baptismum parvulorum odisse se, quod & nupera res esset, & in cōventiculis summorum Pontificum excogitata. At Ministri cum, inter cætera, pueros æquè ad Baptismum, atque olim ad Circuncisionem aptos esse dicerent, se nunquam hic sententiam mutaturum respondit, utpote quam sciret Sacris Literis esse consentaneam.

Verum ut meum quoque hoc loco calculum, quasi per transennam, apponam; Ministri isti, cum pueris non minus Baptismum hodie, quam olim Circuncisionem; convenire

nire appoſitiſsimè,inter alia, reſponderint; illud inſuper Regi iſti ac Corypheo omnib⁹- que Anabaptiſtis eripiendum telum fuiſſet, quo *Rebaptiſationem* præcipuè adſtruunt. Cū enim decimo nono Actorum capite videatur ità loqui Lucas, quaſi duodecim illos Epheſinos à Iohanne baptizatos, rebaptizarit Paulus,hoc avidè ab Anabaptiſtis arreptum, eoque veluti ægide, errori ſuo perpetuò patrocinantur, cum tamen eo loci nihil minus egerit Paul⁹,quàm hoc ipſum. Refert enim Lucas interrogatos à Paulo Epheſinos iſtos an Spiritum Sanctum accepiſſent; quod cum negaſſent,denuò rogatos,an baptizati fuiſſent, reſpondiſſe Baptiſmate Iohannis ſe baptizatos: Eaque occaſione dixiſſe Paulum: Iohannem baptizaſſe populum Baptiſmo pœnitentiæ, ut videlicet in eum, qui venturus eſſet Chriſtus, crederent; illudque audientes, à Iohanne nimirum, in nomine Domini Ieſu baptizatos. Et poſt eum Pauli ſermonem addit demum Lucas, impoſitione manuū Pauli, veniſſe ſuper eos Spiritum Sanctum. Vnde perſpicuè liquet, non baptizaſſe, ſed enarraſſe tantùm Paulum, quale fuerit Iohannis Baptiſma, virtute videlicet ac ipſa re à Chriſti Baptiſmate nequaquam diſtinguendum: ipſum verò Paulum Spiritum ijs Sanctū manuum,ut dixi, impoſitione tantummodò contuliſſe. Eique interpretationi præcipuè favet primigenia ſeu Græca ipſius contextus phraſis, quomodo & alijs annotatum; ut taceam tantum abeſſe ut hos Epheſinos,Iohannis baptiſmate baptizatos, rebaptizarit Paulus, ut glorietur in Epiſtola ad Corinth. non miſſum ſe ut baptizaret, nec ſcire ſi aliquos, præter Criſpum & Caium Stephanæque familiam, baptizarit. Nam Philippis Lydia & Commentarienſis Act. 16, an a Paulo vel Syla potius baptizati, ægrè diſcernas. Quod ſi animadvertiſſet Georgius Caſſander ea in conſultatione, quam ad Auguſtiſsimum Imperatorem Maximilianum de univerſo Religionis negotio rogat⁹ miſit,nequaquam locum eum Act. 19 favere Anabaptiſtis, & omnino de rebaptizatione à Paulo facta; vel eum in modum, quo explicat Auguſtinus, interpretandum aſſeruiſſet. Sed alia ſunt in Caſſandro quæ cenſuram majore jure mereantur. Nam licet præclara multa eo libello doceat, & ſtudij atque iræ, ut ille loquitur, cauſas habuiſſe procul videatur, intercurrunt nihilominus, quæ non atrum tantum, ſed aſperum nimis in Proteſtantes animū ſæpenumero prodant; ne dicam aurulas eum undiquaque ac ſparſim conquirere ad defendendum ac tegendum antiquitatis vocabulo inveteratas longo jam ævo Pontificiorum ſuperſtitiones; ut meritò Satyrici illud in eum uſurpem;

Luca Act. cap. 19.

1 Cor. ca. 1

Georgij Caſſandri Cōſultatio.

Dic aliquem ſodes, dic Quintiliane colorem. Sed ad rem.

De Cœna Domini.

De *Sacramento Synaxeos*,inter alia ad hunc modum dixit: Quamquam Zuinglij ſententiam ea in re diu ſe amplexatum ſciret, tamen aliud ſibi revelatum eſſe poſtea; nimirum, quod pondus Cœnæ verbis detrahi nec poſsit nec debeat, id quod fiat, ſi non perinde atque ſonant; id eſt, abſque tropo accipiantur: Interim,ea parte, diſſentire ſe a Miniſtris ijſdem, quod Iudam quoque Corpus Chriſti manducaſſe, & ſanguinem ipſius bibiſſe aſſererent. Quum verò multa hic illi regererent, & Sacramentorum vim non à noſtra vel credulitate vel incredulitate, ſed ex Chriſti verbis atque inſtitutione pendere, aliaq; ejuſmodi proferrent,hoc unum repoſuit Rex,quemadmodum per me vobis liberum eſt,hoc vel illud ſentire, ità patiamini meo me hic ſenſu abundare.

De Humanitate Chr.

Humanitatem Chriſti eatenus admiſit, ut de Spiritu Sancto conceptum, ac poſt ex Maria Virgine natum fateretur. Cæterum addidit,ex carne Virginis Chriſtum ſumpſiſſe aliquid,neque veroſimile eſſe,neque credi debere: Propterea quod non aliter ex Maria natus ſit, atque per vitrū Sol penetret, vel per canalem pluvia in terram feratur. Hunc Miniſtri errorem, & diligenter & multis refutare conati ſunt. Et licet pertinaciſsimè ſuam interea Rex tueretur ſententiam, tamen quum emphaticum illud in Scripturæ locis: *In ſemine tuo*; item, *de Fructu ventris tui*; item, *Qui natus eſt ex ſemine David ſecundum carnem*, ſubinde inculcaretur, dixit, ſuum ipſorum commodum Lutheranos agnoſcere non poſſe: ſi enim ſuam amplecterentur ſententiam,nullo negotio omnia omnium Zuinglianorum argumenta in Cœnæ cauſa & percelli & ſubverti poſſe & c.

De Matrimonio.

Polygamiā quāquā fatebatur rem eſſe & novam,hoc præſertim ſeculo,& vix ferēdā,tamē peccatum ea in re agnoſcere haud volebat,quod ferè ſolent,qui ab aura populari pendentes hoc pręcipuè agunt, ut vel ob conſtantiam populo placeant.Iudicant enim ſati⁹ eſſe agnitum etiam errorem non fateri,quam cum nominis per ſcelus quęſiti jactura,ſi quid deliquerunt,agnoſcere. Quumq; Miniſtri viciſsim illi objicerent nihil eſſe ſtultius,quam exempla ſanctorum,quæ nec verbo nec præcepto Dei cōmendentur ad imitationem & regulam trahere; reſpondit, Deum quæ Patribus permiſerit,ſibi quoq; non imputaturum.

Collatio altera.

Deinde altera diſputatione aliquanto mitius ad ſingula reſpondit. Ibi enim, quamquam

quam *Regnũ* illud *Christi Corporale*, quod mille post resurrectionem annis duraturum sit, quadantenus etiamnum tueretur, tamen neque se neque Rotmannum, neque ex Prophetis novitijs quemquam certi aliquid ea de re unquam vel sensisse, vel docuisse, fatebatur.

Magistratum tunc etiam mirè extulit, asserens esse eam ordinationem divinam; cui obedientia deberetur, sive probi essent, sive improbi, qui præessent, juxta Pauli sententiã. Proinde & peccatum etiam suum hic agnoscebat, utpote qui contra Dei mandatum ac Cæsareas Leges gladium ac regiam dignitatem à Propheta fictitio ac proletario tantum jussus usurparit, tantumque innocui cruoris effundendi causam præbuerit.

In *Iustificationis* causa nihil mutavit, eam sententiam quam priori congressu amplexatus fuerat, iterato repetens.

Baptismum parvulorum ita adhuc rejecit, ut tamen si vita donaretur, omnes Anabaptistas ad silentium atque obedientiam adacturum se polliceretur. In ea enim nunc esse sententia sese, ut satius esse ducat Baptismum infantibus impertiri ex obedientia, quam ejus rei gratia sursum deorsum miscere res mortalium.

In *Synaxeos & Cœnæ* negotio similis sui exstitit.

Opinionem de *Humanitate Christi* ut mutaret, nullo pacto induci potuit; promisit tamen, si vita donaretur, ne verbum quidem unquam ea de re facturum sese.

Pluralitatem uxorum eatenus liberam esse dixit, quatenus unanimi Magistratus consẽsu Per totam Ecclesiam admitteretur. Quod si a Magistratu prohibeatur, liberam non esse: Eoque & se & omnes Anabaptistas, qui aliter fecerint, peccasse, plures uxores ducendo, & ob turbatum Reipublicæ Christianæ statum, non immerito in hostium suorũ manus incidisse. Quorum sane omnium nonnulla levitatem, nonnulla subdolum hominis animum ac vafritiem cum malitia insignem arguunt.

Alia cum Cnipperdollingo & Crechtingo Collatio.

Hunc conflictum alia eorundem Ministrorum cum *Cnipperdolingo* ac *Crechtingo* lucta excepit; quorum tamen neuter neque versutie neque facundia Regi par fuerit. Et priorem quidem, Cnipperdollingum nimirum, ad gladiatorium munus, quam ad res Religionis tractandas aptiorem hisce Salustij verbis adumbrat idem Coruinus: *Magna vi fuit & corporis & animi, sed ingenio malo pravoque. cui etiam ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordiæ civiles, grata fuere, ibique juventutem suam exercuit. Animus audax subdolus, varius, cujuslibet rei simulator & dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, nonnihil loquentiæ, sapientiæ parum, vastus animus immoderata incredibilia, nimis alta cupiebat.*

Et addit ibidem Corvinus istum Cnipperdollingum, ipso fatente Rege, temeraria, ut plurimum, & stolida proferre solitum: & inter cætera aliquando propalam vociferatũ; Esse se in Spiritualibus, quod in Corporalibus esset Iohannes Leidensis, Rex: Et eam esse Patris omnipotentis voluntatem, id quod corde suo testificetur Spiritus, aliaque talia istis haud saniora.

Nec multo meliorem Crechtingum fuisse refert; etiamsi is olim à literis atque humanitate haud omnino alienus fuerit, quas tamen Anabaptisticis Sacris initiatus, severitate quadam ac sectæ sanctimonia, postmodum contemserit: ideoque quod ad ferocem & seditiosum animum attinet, planè parem cum pari congregatum fuisse patet, &, juxta proverbium, cum *Bitho Bacchium* convenisse.

Denique morti jam vicinus Rex, Episcopi, seu Principis, sacellano hoc præcipuè dolenter conquestus dicitur, quod vehementissimè sibi ægrè esset, quod illustrissimi Principis Lantgravij fidelissimum consilium, identidem monentis ut rem, quæ sacrarum esset literarum, arbitrio ac disquisitioni S. Scripturæ intelligentium, non armis & ferro, decernendam permitteret, tam indignanter & superbè, blandiente tum fortuna, fuisset aspernatus: Vt inde tandem socia ejusdem Lantgravij arma adversus furorem cum suum tum civitatis cum Episcopo conjuncta fuerint: Ejus se delicti veniam orare; idque ut à Corvino & Cymeo apud ipsum Principem suo nomine fieret, obnixè se petere atque obsecrare. Quamvis & illa aliaque pleraque, in quibus quodammodo vi veritatis victus flexibiliorem se ac faciliorem præbuit, vitæ servandæ spe ac fiducia, & protulisse & simulasse putetur.

VIII Brevis super eadem re & Regis exinde sectatoribus cæterisque Anabaptistis, ANACEPHALÆOSIS.

ERRORES & vitia erunt, quamdiu homines; dicebat olim ille. Cum enim eadem hominum natura maneat, similia quoque multa nihilque novum ferè evenire necessum est.

ſum eſt. Quod ergo ſuperius dicebamus, Hortenſium ſecuti, erroris occaſionem iſtis phanaticis primam præbuiſſe libellum ea tẽpeſtate à Luthero editum *de libertate Chriſtiana*, non ita accipi cupimus, quaſi nihil hiſtoria vetus contineat horum molitionibus aſſimile. Nam & Anabaptiſmum antiquitas, Cypriani ævo, defendere conata fuit, ſed abſque tamen ſchiſmate aut capitali pertinacia. Sic & Manichæi duo principia pariter æterna & inter ſe pugnantia finxerunt, Bonum & Malum; Bonum nominarunt lucem; Malum tenebras & materiam: ortos à malo, neceſſario dixerunt ſceleratè agere, nec poſſe ad Deum converti, quia ſemina in ſe haberent malæ materiæ: Cõtra verò ortos à Bono, neceſſariò recta ſequi, nec damnari poſſe, quia eſſent in eis lucis ſemina: non etiam teneri eoſdem lege, etiam cum contraria legi facerent, quia lex tantum judicet ortos à materia. Quin &, rejectis Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, novum Evangelium ijdem commenti fuerant; Chriſtum non ad corpora ſed animas liberandas veniſſe: Nec fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatã ſpeciem carnis ludificandis ſenſibus oſtendiſſe. Et ut antecellere alijs, ac ſemidei, & cum Deo quaſi loqui, eundemque in ſolio quodammodo coram intueri viderentur, ſimulabant enthuſiaſmos & afflatus: Subito in hominum turba ſe in terram abjiciebant; & veluti attoniti diu tacentes, deinde quaſi ad ſe regreſsi plorantesque multa ac varia vaticinando proferebant; prorſus ut iſti Amſtelodamenſes ac Monaſterienſes, de quibus jam diximus. Politicum quoque ordinem, Magiſtratus & Iudicia, ipſumque Conjugium, inter ortos ex Materia eſſe ſemper mali principij opera magnis conatibus adſtruebant. Vnde factum ut teterrima ſcelera, libidinum confuſiones, ſeditiones, aliaque mala, iſta tunc paradoxa peperint: quomodo a Clemente Alexandrino, Epiphanio, Euſebio alijſque relatum eſt. Nam & opidum Phrygiæ Pepuzam nominare Ierusalem cœperant, plane ut iſti, quos enarravimus; qui ſolis ſibi licere Magiſtratibus eſſe; Iudicia & Iuſtitiæ munus exercere: Monaſterium eſſe ſedem Sionis & Ieruſalem; ipſumque Iohannem Leidenſem utriuſque Regem divinitus electum, ſerio & aſſerebant ſibique ut Prophetis a Deo miſsis, credi voluere.

Qui autem poſtmodum ad noſtra uſque tempora extitere Anabaptiſtæ, mutato conſilio deteſtari, ut plurimum, Monaſterienſium inſtituta, Polygamiam, enthuſiaſmum, & illud de peculiari Regno mundano commentum cœpere: Imo quantum, hac parte, Monaſterienſes in exceſſu (utpote qui ad ſe, quaſi ſolos juſtos (uti dictum) munus Magiſtratus pertinere putabant) tantũ hi noſtri in defectu viciſsim peccantes, nullo omnino Magiſtratu fungi fas eſſe Chriſtiano, perſuaſum cupiunt; Anabaptiſmum interea, aliaque ſimilia, mordicus cum prioribus retinentes. Qui tamen ipſi uarie inter ſe diſtinctos hodie cœtus habent. Nam leviſsima de cauſa diſsidentes, quiſque ſibi novum conciliabulum ac ſectam continuo fabricat. Adeo ut Sebaſtianus Francus (qui tamen medium ſe, id eſt, nulli uſpiam parti aut æquum aut iniquum profitetur) eos Babiloniam turrim exœdificantium confuſionem atque ataxiam vere referre, olim pronunciaverit. *Noſtri temporis Anabaptiſtæ.*

Vnus inſuper ex eadem hac fæce prodiens, alia longe via progreſſus eſt, *David* nimirum *Georgius* Delphenſis vitriarius: quem ſuperius cum *Iohanne Leidenſi* præcipuum Prophetam agnoviſſe etiam tum Monaſterienſes indicatum eſt. Hic ex communi illa clade ſuperſtes, &, ut volunt nonnulli, accepta etiam a Rege ac ſocijs aliquanta pecunia, in Friſijs aut locis Weſtphaliæ vicinis de cogendo per alios milite, ac liberando Monaſterio mire ſatagens, ſed rem ex votis minime ſucceſſuram animadvertens, tempori ſervire cœpit: deditoque Monaſterio, aliquandiu in Germania oberrans libelloſque ad ſuos in Belgium miſsitans animos ac conſcientias ſimplicium novo modo captivas retinuit; ſeque Poſtremum Baſileam contulit. Hic alium ſe fingens, immutato nomine, Iohannem de Bruck Magiſtratui ſe dixit, religionis ſcilicet orthodoxæ nomine patria ac domo extorrem. Dumque credulum experitur, tam Eccleſiæ, quam Vrbis Magiſtratum ſeſe ad eorum nutum, quod ad externa omnia, quam diligentiſsime compoſuit. Interea inter ſuos privatim domi, foriſque per literas & Legatos, qui Apoſtolorum vice fungebantur, doctrinam, viſiones, ſomniaque ſua diſſeminat, *Se Dei Tabernaculum non externo aliquo aut mundano Imperio, non cruce aut morte, ut prior Chriſtus, ſed Spiritu inſtauraturum: Se verũ Meſſiam, non ex carne natum, ſed ex Spiritu; eoque ſe in omnem veritatem deducturum univerſos. Chriſtum adhuc puerulis concionatum, ſe omnia acturum inter adultos tecto ac placente Spiritu: ſe mundum liberaturum atque aliquando judicaturum. Eſſe ſe minimum illum, de quo Chriſtus dixerat, minimum majorem eſſe in Regno Cælorum. Matrimonium denique inter adultos præſertim Spiritu, debere eſſe promiſcuum ac liberum.* *David Georgius Propheta novus.* *Doctrina ejuſdem.*

Quæ omnia & olim Nicolaitarum, Montaniſtarum, ac Cataphrygum fuere deliria.

Nicolaitæ enim promiscua Conjugia; Cataphryges & Montanistæ Montani Spiritum vere Paracletum asserebant a Christo promissum.

Vita & mores.

Nec frustra profecto hanc sibi Spiritus prærogativam vindicabat, non Apollo, sed impostor hic Delphicus; qui, nisi post obitum populo totique Senatui Basileensi intellect⁹ est egisse vitam convenientissimam interno isti Spiritui. Tum enim Sardanapali delitiæ & Polygamia omnibus innotuit; tunc luxus & opum exactiones; quibus miserorum in inferiori Germania, alijsque in locis, exhauriebat ac suos ditabat loculos. Missitabantur enim, quos dixi, circumquaque Apostoli: atque ita eorum opera; suis vero, insulsis licet, scriptionibus simplicium delusit animos, ut partim ad se nonnullos, præsertim si qui essent utriusque sexus fortunæ lautioris, relicto solo patrio, pellexerit; partim corrasis nummis, magis magisque Paracleti sui elusionibus dementaverit, sibique devinctos ac tributarios fecerit.

Nec dissimulat id Blesdikius ipsius gener, ubi conqueritur missu horum Apostolorum, quotiescunque Domino libitum, oves attonsas fuisse: magnumque hoc modo rebus soceri accessisse divitiarum cumulum: & tamen post ipsius Davidis obitum liberorum prælargam hæreditatem ab ijsdem Apostolis callide dissimulatam, ut eo liberalius conferretur. Quod quid aliud quam prætextu paupertatis ac religionis, collectas fuisse pecunias pro ditibus ac delitiarum omni genere affluentibus? idque ex ea sæpe plebecula, cui fortasse ipsos contulisse aliquid multò fuisset æquius. Loquitur quoque alibi de eodem in hunc modum idem Blesdikius: *Divitiæ velut spinæ leserunt & assiduitatem orandi & Disciplinæ severitatem strangularunt; & quantum vitæ severitati, diligentiæ regendorum morum decessit, tantum licentiæ & petulantiæ arrogantiæque accessit*, plures uxores *sibi adjungendo, & alias mixtiones exercendo magna cum offensione simplicium sectatorum & blasphemijs adversariorum.*

Ad Gal. cap. 5.

Sed dicat aliquis, quomodo homini vitriario atque idiotæ nullisque, nisi vernaculis literis erudito, Montanistarum taliumque hæresium in mentem venire potuit? Hic sciēdum ejusmodi hæreses, *cum sint*, ut inquit Apostol⁹, *Carnis opera*, facilimè phanaticorum ejusmodi mentes invadere atque inebriare. Deinde & Sebastianus Francus in Chronologia Hæreticorum idiomate Germanico, aliquanto post deditum Monasterium, evulgata, materiem locupletem & veluti fomitem ac flabra huic malo suggerere potuit. Nã, præter ea, quæ de Montano cõmemorantur, refert is insuper *Petrum de Arragonia*, qui floruerit anno 1302, asseruisse Christum in hoc advenisse, ut Spiritui Sancto viam præmuniret; Mundum penitus nondum liberatum, sed ope pleniore Spiritus liberandum. Quo quid dici similius hujus opinionibus potuit? Nam de vita porro & moribus, quæ eidem cum Hæreticis prisci seculi, præter jam dicta, communia fuere, hic non refrico. Illud tantum occasione oblata adjiciam; Longè alio, quam hodie vulgo circunferunt Ecclesiastæ, usum fuisse habitu. Nam vidisse me in Iudiciali Curia Basileæ memini effigiem hominis, ex ædib⁹ hæredum in fiscum eo translatam, quæ habitum planè præferret, qualis tunc Helvetiorum, non modò nobilium, sed Baronum ac Procerum Virorum erat. Pallio enim depingitur purpureo cum limbis ac fimbrijs holosericis, ac gladio denique cujus capulus affabre inauratus extra pallij anteriorem oram prominet.

(a) Cujus historiæ apud me aliósq; manuscripta servantur exẽplaria.

Verum qui integram totius negotij Historiam desiderat, ipsum, quem dixi, *(a) Blesdikium* adeat. Vbbo quoque Emnius, cum ante annos aliquot adversus hujus sectatores scriptum edidisset, idque impetere ex latebris suis viderentur nonnulli terræ filij, cõscripto nuper, vernaculo idiomate, Apologetico, rem ac veritatem a se ante memoratam defendit, ac sectæ turpissimæ turpissima pariter & absurdissima, inque Deum & pietatem contumeliosa, in hominum societatem exitiosa dogmata luculentius omnibus aperuit; tergiversantesque irrefragabilib⁹ rationibus ac testimonijs convicit, ac reos tenuit; adeo ut contra hiscere aut in apertam defensionẽ descendere ob rei turpitudinem porro erubescant; licet allatrare ac vellicare ex occulto non desinant. Eaque & nos occasione invitati brevi schemate in vitam & doctrinam ejusdem sic aliquando lusimus:

Quæ Doctrina hujus, fuerit quæ vita Prophetæ,
Expectas paucis noscere? pauca dabo:
DOCTRINAM *ille suam non censet teste probandam;*
Sed pro teste omni sufficere hancce sibi:
Deinde idem plures Vxores approbat; unde
Fluxit ei varijs VITA *cupidinibus;*
Atque ipsum sic teste suum non simplice dogma,
Verum vel gemino teste probasse patet.

Rerum

Rerum consiliorumque utriusque Prophetæ pressior consideratio.

VTRIVSQVE autē sectæ *Iohannis* inquam *Leidensis* & hujus *Davidis Delphensis*, quicunque res & scopum penitius introspiciat, dubitare non immerito possit, utra imperijs ac rebus-publicis habenda periculosior. Sane Leidensi isti, qui jam occupato Monasterio, *Amstelodamum* reliquasque in vicino illo tractu claras Vrbes, *Vezaliam, Daventriam*, & una cum illis Orbis Christiani Imperium spe devoraverat, duo præcipue defuisse video, quo minus eventu secundiore usus fuerit; Disciplinam nimirum & robur exercitati ad bellum populi. Nam alias doctrinæ absurditas, enthusiasmus & Polygamia, omnia magna promittebant, nec minora Mahometi Dogmate: quod etsi totum esset ineptum & populare, tamen in tantam se diffudit amplitudinem ac potentiam, ut eam præcipue Christianismus nunc metuat. Sic quoque si prosperos successus sortita res illa Monasteriensium fuisset, Provinciarum ac Regionum passim defectio, doctrinæ prodigiosę admiratio, aliaque fuissent subsecuta, quæ Imperium illi ac Sceptri successionem brevi stabilivissent. Verum cum illa consilia conatusque irritos facere divinæ providentiæ placuit, nihil nunc ista molitione ineptius; &, ut eleganter dicebat tunc temporis Luther⁹, ineruditi plane ac rudis cacodæmonis videatur facinus. Nam qui in fraudem atque insidias alios velit pellicere, non est quod Regnum & Dominatum affectet tyrānumve agat, & pro libidine quotlibet uxores ducat (hoc enim omnes improbant, & quo tendant ejusmodi vident) sed occultis rationibus tanquam semitis, eo perveniendum; cujusmodi ratione ac methodo sæpe etiam sapientes circumventos constat. Quapropter ex eodem mox ludo egressi, sed, experientia magistra, & turpi prædecessoris sui fato aliter edocti Delphensis hujus longe diversa ad illiciendum simplicium animos ratio ac semita postmodum fuit, nec ita præcipitis cacodæmonis. Non enim ille externo quodam modo, sed interne ac Spiritu, se restauraturum id Regni promittit; Non pueris se concionaturum venisse, sed adultis ac Spiritus tam diu promissi capacibus. Nec cuivis matrimonium permittit promiscuum ac liberum, sed ablactatis præsertim ac primarijs. Hoc veneno mentes inficere primum, sparsis passim libellis, atque inescare studuit, ut ita quasi numinis quadam vi ad rerum innovationem Orbis concitaretur. Hoc sibi serio pollicitum verbis Blesdikij palam faciam: *Erat*, inquit, *David homo exiguæ peritiæ, sed philautiæ maximæ. Auditores etiam habebat rerum tam Ecclesiasticarum quam politicarum imperitos; & si qui peritores essent, hos obstupefecerat speciem sanctitatis obtendendo, & implicitam fidem urgendo. Quare tam ab ipso, quam ab alijs, singulis suis pronunciatis plausus dabatur & euge acclamabatur. Quibus factum est, ut homo per se philautos, hisce acclamationibus tandem supra modum efferretur, atq; ebrietate spei TOTIVS ORBIS INNOVANDI attonitus, sibi suisque ausus sit promittere, fore ut Mirabilium libro a Monarcharum, Regum & Principum Theologis & Consiliarijs lecto, omnes tantæ sapientiæ admiratione attoniti sint acclamaturi illud Esaiæ: Ecce hic est Deus noster, hic salvabit nos: iste Dominus, nos sustinuimus eum. Item illud ex libro Psalmorum: Hic est locus, quem ad hoc sibi delegit Deus, ut præ cæteris peculiariter requiescat in eo. Hæc est illa Sion, quam sibi in domicilium elegit prope tuum. Deinde & hoc expectabat, ut Principes mitterent Legatos, aut etiam ipsi accederent, & se suaque omnia illi consecrarent, secundum illud Micheæ; Dedicabunt Domino opes illorum & substantiam eorum Dominatori universæ terræ. Huc etiam torquebat quæ leguntur Esaiæ 45 14, Labor Ægypti & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt. Post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur; tantum in te est Deus, & non est absque te Deus.*

Sed quam longe a destinatione ejus res fluxerunt, eventus ostendit. Interim tamen licet inanis ea ac animi limphati persuasio tum fuerit; nunc major Imperijs & populis a sectæ initiatis similique adhuc imbutis furiali vesania non cessantis spiritus, metus sit; præsertim si Ducem aliquem gerendæ rei idoneum fors obtulerit. Quales isti, quos dixim⁹, Muntzerus & Leidensis; aut ille apud Romanos olim servili bello a Floro, *Euni* nomine, proditus; qui fanatico furore simulato, dum Syriæ Deæ *(a)* Comos jactat, ad libertatem & arma servos, quasi numinum imperio concitavit; idque ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure ac igne stipaverat, leniter inspirans flammam inter verba fundebat. Atque ita amplius sexaginta millium exercitu coacto, Regisque similiter decoratus insignibus Siciliam totam subegerat, nisi Imperator Romanorum Rupilius coercuisset. Nam ille victos & apud Ennan novissime obsessos, cum fame quasi pestilētia, consumsisset, reliquias latronum compedibus catenisque religavit, crucibusque punivit

Lib. 3. cap. 19.

(a) Editiones Flori passim habent, *ceremonias*. At veteres & Mss. libri *comas*: ut non ambigendum quin *comos* sit genuina lectio.

nivit.

Et solent plerumque similes minimeque felices habere exitus fanaticorum ejusmodi, nec ullo firmi fundaměti robore, sed veri specie solummodo nixa, quæque leves tantum mentes capiant, facinora: nisi aliter divinæ aliquando visum providentiæ. Cujus exempla Mahometus, de quo dixi, alijque suppeditent. Ideoque recte Livius; *Nihil in speciem fallacius, quam prava religio est, ubi Deorum Numen prætenditur sceleribus*. Hac ubi capta multitudo fuerit, impotens, sæva, mutabilis vanaque & varia, præter Leges, appetens, libentius vulgo & Vatibus, quam Ducibus Regibusque paret. Sed, quod dici solet, *Fallitur & fallit vulgi qui pendet ab ore*. Eoque veluti signo narratiunculam hanc claudo.

Lib. 39.

IX *Sub* PHILIPPO *Hispaniarum Rege,* COMITE *XXXVI.*

1540. 1550. Post hæc, anno quadragesimo, itemque quinquagesimo, difficillima subsecuta sunt tempora, ob Edicta Cæsaris in Lutheranos iterato promulgata. Cæsar enim a suis sinistrè quasi persuasus universos esse hæreticos & Anabaptisticæ præsertim factionis, quicunque Catholicam Romanam religionem non amplecterentur, in omnes promiscuo modo grassatus est. Mox vita functo, anno millesimo quingentesimo octavo, patri filius
1558. *Philippus* succesit. Qui præter novorum Episcoporum creationem, acriter inquisitionis negotium egit; eas se leges Belgis relinquere asserens, quas æquissimas utilissimasq; Cæsar Pater promulgasset: cumque cætera Reipublicæ munera pœnis præmijsque curarentur, unam deseri longè optimam præclarissimamque Reipublicæ partem religionem nō debere.

Quapropter passim per universum Belgium inquisiti, ac delati ferroque ac flamma miserum in modum absumpti, quibus aliqua hæreseos, ut appellabant, adhæreret suspicio. Inter primos fuere Amstelodamenses, qui annis superioribus Anabaptistarum motibus præcipuè irritati, severissimè in reos animadvertebant. Florentissimæ eorundem tum res erant, plurimumque longinquis prosperisque suorum civium aliarumque gentium navigationibus commercijsque auxerant. Quod & opera publica tunc extructa indicant, ut *libra* splendidissimum ædificium ex lapide candenti secto affabrè elaboratum; itemque turris illa templi veteris, aliaque id temporis, ut horrea quoque amplissima,
1565. tam extra quam intra urbis pomœria, excitata inchoataque; quæ omnia ad colophonē
1566. feliciter perducta, anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto sextoque.

Quo eodem anno Nobiles tandem (quos inter *Henricus Bredenrodius* non postremus habebatur) abominantes immanem nimis atque inhumanam Magistratus passim severitatem, facta conjuratione, supplicem libellum MARGARETÆ Parmensi, quæ Regis Hispaniarum nomine Provincias administrabat, offerunt, submisseque orant, uti prudenter omnia moderetur; & quia res magni momenti esset, eam legatione Regi exponat, monea tque, ut ille procuret ne quid Respublica detrimenti capiat. Quod cum salvis Edictis fieri non possit, regia Majestas ea rescindat; eorum enim severitate Rempublicam diutius stare vix posse, sed ruere necessario debere. Ne autem Rex arbitretur, ipsos ei leges constituere, & secundum suum arbitrium imperare velle; rogare se ut novæ constitutiones omnium Ordinum generalium consensu, decernantur, & quoad de hac legatione sententiam Rex esset rescripturus, differri omnem inquisitionis Edictorumque executionem Parmensis patiatur. Hæc esse illa æquissima postulata quæ, magno suo merito atque fide Regi jam pridem probata, Nobilitas humillimè flagitaret: extra omnem se in posterum motuum, seditionum & cædium culpam futurum si (quod Deum, Regem, Parmensem, senatores, omnes omnino homines atque suam conscientiam testarentur), fide optima præclarissimoque in Rempublicam studio monentibus non pareatur, & imminenti malo remedium maturè inveniatur. Parmensis, lecto libello, omnia se ad Regē relaturum promittit, leniorem simul inquisitionem interea futuram adstipulans.

MARGARETA PARMENSIS *Belgij Gubernatrix.*

ORIGO GEUSICI NOMINIS.

Memorabile est, cum Parmensem tam dubio Reipublicæ tempore ancipitem, & animo consternatam, deque loco securiori cogitantem nonnulli ex proceribus solarentur, quendam ex ijsdem in hæc verba Gallicè dixisse, *non non Madame, ne craignez pas ces geus*; nequaquam domina, ne metuas hæc hominum mendicabula; eaque verba observata occasionē

casionem præbuisse, ut postea, ad hoc usque tempus, *Geusij* nominarentur omnes quicunque causam hanc publicæ libertatis agerent. Ipsi autem confederati confestim tunc è panno cinericio vestem induunt, minutas è ligno scutellas, pocula leprosorum instar, è galero suspendunt; numismata denique in eam formam cudi procurant, ut uno latere Regis effigiem; hisce adjectis verbis, *fidelis Regi*; altero, duabus fœderatis manibus implicatam manticam, hoc symbolo, *usque ad manticam*, haberet. Radi sibi postremò, præter labrum superius, barbam reliquam jubent. Atque hæc famigeratæ appellationis ipsorumque motuum Belgicorum, quos tot annos nostra vidit ætas, prima fax & occasio.

De vocabulo autem ipso *Geus*, cum aliter atque aliter tradant historiographi, hoc per occasionem adjiciam, eam vocem non hodiernæ, sed priscæ Galliæ esse. Nam Servius Honoratus ad octavam Æneidos disertè notat Gallos antiquitus *viros fortes*, *Goesos* nominasse; & *goesas*, *hastas viriles*: ut haud aliunde *Gæssatæ* etiam deducendi sint; qui ijsdem Gallis, teste Polybio, milites intellecti mercede conducti. Quod verò superiori & nostro hoc seculo in pejorem fere partem acceptum hoc vocabuli sit, pro *mendicabulo* nimirum, & *homine Wappa*, nihil novum est, cum etiam *schalck*, quod ministerij & dignitatis olim (ut patet in *Maerschalck*) nomen fuit, nunc ignominiæ sit; ut & alia talia, de quibus suo aliquando loco diximus. Quin imò fœderatos istos, & quicunque hoc *Geusij* nomine olim insigniti, hodieque idem servāt, movere hoc neutiquā debet, sed (uti & alibi (*a*) scripsimus) æquo potius animo id ipsum oportet accipere, &, vel ominis causa, libenter accipere, ut videlicet quod prisco suo ac primogenio significatu olim denotaverit, *viros* videlicet *fortes* nunc quasi postliminio, & ipsa re, ostensum ac restauratum comprobent. *De etymo Geusiorū aliter quam hactenus nō nihil dictū additūque.* *In Glossario Prisco-Gallico.*

Parmensis igitur, cum volens nolens aliquanto lenius habendos fœderatos edito scripto assensisset, Amstelodami quoque, re multum diuque deliberata, conciones admissę; ijs tamen conditionibus ut Catholicam Romanam religionem, qui turbarit, huic mortis supplicium constitueretur: illicito etiam cum telo nemo ad conciones accederet: ab injurijs, libellis famosis cæterisque contumelijs abstinerent: Cadavera, quo vellent ritu, in Minoritarum Cœmiterium inferrent: Catholicis vetere ritu, cum in cætera, tum Minoritarum Cœmiterium deportare mortuorum corpora permitteretur: si ea pacta Regi non probarentur discedendi bonaque auferendi facultatem futuram. *Parmensis Amstelodami liberum religionis exercitium permittit.*

Hoc modo Nobilibus cum Parmensi convenerat. Sed exigui temporis Alcedonia illa fuerunt. Nam nec Parmensis de securitate, quam flagitabat Nobilitas, si nimirum Rex postulata rejiceret, quidquam certi promittere voluit; nec Nobilitas nudis Ducissæ promissis fidendum censuit, præsertim cum aliam Regi mentem fore, non obscuris indicijs præsensisset. Hinc rebus adeo dubie constitutis Iconomachia, veluti tempestas quædam ac turbo, per omnes provincias omnesque urbes desævijt; idque ea celeritate, ut intra decem aut ad summum duodecim dies tot urbibus ac locis res ista quasi ex compacto inchoata perpetrataque fuerit, autoribus, non religioni ulli proprie addictis, sed obscurissimis vilissimisque ex vulgi fæce homuncionibus. *Iconomachia.*

Per eosdem dies Amstelodami agebat cum suis Brederodius, quo extemplo Parmensis Secretarium suum Torrium demisit, qui excedere Brederodium urbe juberet: Sed Brederodius ejusmodi affatis Legatum excepit, ut clam, Magistratu adjuvante, Torrius se ex urbe subduceret. Bredenrodius denique cum Vianam præsidiarios suos deseruisse, sylvam Ducis a Megamo & Noircarmo occupatam, copiasque Hispanorum per Gelros in Hollandiam contendere, seque ad vim sustinendam imparatum animadverteret, Kal. Maij, nave conscensa, in Frisiam Orientalem, indeque in Germaniam, abijt: ubi paulo post fatis concessit. Vidua ejus è familia Moersensi nupsit postea Frederico Electori Palatino. Ipse Brederodius, quam charus gratusque ob ingentia erga Patriam merita populo fuerit, indicat imago ejus, quæ tunc vulgo circumferebatur cum hoc elogio:

Sum BREDERODVS *ego, Batavæ non ultima stirpis*
Gloria, virtutem non unica pagina claudit.

Mox Megemo & Noircarmo, una cum Arenbergio, Amstelodamo appropinquantibus visum fœderatis reliquis, qui adhuc Amstelodami post Brederodij abitum hærerāt, sibi quoque fuga consulere. Erant inter hos duo fratres Batenburgici, alijque nobilitatis non infimæ, qui omnes navi simul conscensa in potestatem Arenbergij, fraude naucleri, delati fuere: Cum enim in Frisiam Orientalem iter destinassent, nauclerus Harlingam navem deduxit, ubi multis laqueo peremptis, præcipui Principes Vilvordam ad

Parmensem

Parmensem missi supplicio ultimo paulo post affecti sunt, anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo.

Amstelodamenses exinde cum ducibus Regijs pacti præsidium in urbem pro tempore admisere multorumque incommodorum & sibi & alijs occasionem præbuere, dum plurimos post id annos Regi Hispanisque parentes vicinorum, Borealis ac reliquæ Hollandiæ, qui se Principi Auraico, post Brielensem victoriam, dediderant, sequi exemplum recusarunt.

Occasiones & causæ defectionis provinciarum, gubernante Belgas FERDINANDO *de Toledo* ALBÆ *Duce.*

QVOD ut plenius innotescat, paulo altius expedienda res est. Postquam *Margareta Parmensis Ducissa* provinciarum Gubernationem resignatura mox esset, electus & destinatus est ei negotio a Rege Catholico Ferdinandus Albæ dux, rerum bellicarum peritissimus & provinciarum & morum eorundem, ut credebatur, incolarumque, haud ignarus, utpote qui multo jam ante tempore cum Cæsare Carolo in illis fuisset versatus. Quod cum eum in modum decretum esset, confestim pecunia & copiæ militares conflatę: imperatum Gubernatoribus omnibus Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, Mediolani, ut omnia veteranorum præsidia urbibus & munitionibus educerent, inque Longobardiā mitterent, quo in Belgium cum Albano moverent. Paratis omnibus, Albanus in Italiam venit, sub signis ducēs noveni veteranorum Hispanorum millia, Allobrogum M. septem; & Italorum equites mille levis, & aliquot insuper gravis armaturæ alas, omnes armis instructissimos. Castrorum Præfectus erat *Scipio Vitellius*, Marchio Cetonæ; Tribunus armamentarij *Gabriel Cerbellonius*, & Præfect⁹ Fabricensium *Pariotto*. Mēse Iulio movet è Sabaudia Albanus, & per Sequanos in Ducatum Luxenburgensem venit, ubi se illi junxere Comites, *Ladronius, Ebersteinius* & *Schonenbergius*: quorum singuli suam equitum peditumque cohortem habebant.

Provinciarum Proceres, adventante Albano, attoniti, quid consilij potissimum caperent incerti fluctuabant. Nam ad id usque temporis nemo ejusmodi Provinciæ Præfect⁹ fuerat, nisi ex Regio sanguine, & qui Regem ipsum aut Regios consanguineos cognatione tetigisset. Consultabant idcirco non immerito, num Albanus vir sævi animi, &, cujusmodi fere Hispanorum ingenia, fastus & supercilij maximi, nec in patriam ullo modo propensus, aut ex sanguine Regio genus trahens tanto cum milite admittendus esset, præsertim cum ex eo sperandum nihil haberent, quod in bonum & commodum Provinciarum cessurum ullatenus videretur. Verum, contra statuente Cleri Ordine, qui Spirituales vulgo appellantur, in hanc tandem sententiam itum est, ut nihil hac parte Regiæ Majestati præscriberetur. Albanus interea de isto animorum inter Ordines sensu ac dissensu nonnihil certior redditus ad Belgij interiora magis magisque properabat: eique mox Procerum præcipui, interque eos etiam Egmondanus & Hornanus Comites, obviam prodiere; qui eum honorificentissime exceptum XXII Augusti Bruxellas, veterem
1567. Principum regiā, deduxerunt; ubi Parmensis Ducem humaniter salutatum in palatium deduxit. Totum ei Belgij statum exposuit: omnia jam pæne composita ostendit, & si quid reliquum sit, id comitate & lenitate potius, quam severitate transigendum esse persuadere conatur. At Albanus eam opinionem imbiberat, ut lenitatem, clementiam & indulgentiam causam omnium tumultuum crederet: ideoque alias rationes administrādi Rempublicam cogitabat. Mandatum igitur quod a Rege acceperat, tam Parmensi, quam alijs Proceribus, Consiliarijs Ordinibusque Provinciarum exhibebat, multo nimirum amplius largiusque, quam quod Parmensis habuerat. In eo enim Albano potestas datur Gubernatores regionum & urbium constituendi & abdicandi, omnesque pro arbitrio urbes ac opida muniendi, novas arces, munitiones & propugnacula excitandi: militares copias auctorandi & exauctorandi; Rationes Consilij, Status, Senatusque sanctioris & Financiarum inspiciendi. Quod mandatum typis excusum Albanus per omnes provincias divulgari jussit.

Hæc dum fierent, Princeps Auraicus *Wilhelmus Nassovius*, Comes *Culenburgius, Hoochstratanus* & *Montensis* alijque Nobiles, Patria jam excesserant, eminus, & extra quasi teli jactum, spectaturi quid rerum gereretur. Albanus itaque Præfectura potitus militares copias per omnes Bruxellis finitimas urbes disposuit, Longobardicam legionem easdē

Bruxellas

Bruxellas introduxit, Neapolitanam Gandavum, Ladronij Antverpiam, cæterasque divisim, oppidis alijs arcibusque imposuit: Antiquata Caroli v. & Philippi Regis de hæresibus mandata, renovavit; novum consilium instituit, quod Gallicè *le Conseil des Troubles*, Belgicè *bloet Raedt*, sive *Consilium sanguinis* appellabatur. Constabat illud Consiliarijs duodecim peregrinis fere omnibus. Quibus Iohannes Vergas, homo Hispanus, & Belgis minime gratus, cujusque impetus & zelus majores erant quam scientia, præsidebat; idque adversus Provinciarum receptam consuetudinem & privilegia.

His ita constitutis, Conventus Bruxellis in Culenburgi ædibus habitus est, in quo, præter Auraicum & cæteros, quos abijsse diximus, Hornanus & Egmondanus inter alios quoque præsentes aderant. Propositis ijs de quibus deliberandum erat, post aliquot horarum colloquium Proceres dimittuntur. Abeuntibus alijs, Albanus, Regis nomine, jubet *Egmondano*, gladio se discingat & in custodiam discedat. Attonitus ad hujus rei insolentiam *Hornanus* in vicinum cubiculum se proripuit: sed ipse apprehensus, una cum Egmondano, Hispanico præsidio traditur. Principem *Auraicum, Hoochstratanum, Culenburgicum* & cæteros è Belgio profugos proceres ad causam dicendam convocavit; non accedentes reos læsæ majestatis pronunciavit, bonaque eorundem fisco adjecit. *Hornanus* postea & *Egmondanus*, in illo sanguinis consilio lata sententia, capite uterque multatus: atque exinde etiam alij quamplurimi, qui in Regem & Religionem arma sumserāt, quique reformatorum concionibus interfuerant, vel ipsos concionatores in ædes suas receperant, omnes, inquam, quotquot deprehendi poterant, capitali supplicio affecti.

Quibus rationibus factum, ut Nobiles alijque Patria extorres ac proscripti piraticam exercere in Austrino præsertim sinu cœperint, & naves, quæ vel Amstelodamum vel Enchusam vel alio ex Occidentali aut Boreali plaga, oppidisque Vandalicis, mercibus probe onustæ, domum properabant, vi invaderent sibique prædæ haberent; aut nautas denique gravi lytro redemptos dimitterent. Receptus his erat in Amisi, aut Albi aut Visurgi fluminibus; dicebanturque *Geusij Aquatici* ad distinctionem Geusiorum silvestrium, qui in silvis Flandriæ grassabantur. Duces præcipui nominantur *D. Obemius* Hannoniensis, *Iohannes Broeckius* Amstelodamensis, *Wilhelmus de Fiennes, Bartholdus Entius, Embisius Iunior* & *Ruijchaverius* alijque. Potestatem atque Autoritatem ab Auraico se habere, profitebantur.

1571.

Water Geusen.

Prudentiores quique, & qui rerum Belgicarum erant peritiores, suadebant Albano, ut præsidia nonnulla è mediterraneis locis evocata in maritima Hollandiæ ac Zelandiæ inferret, majus enim ipsi a mari quam a terra periculum imminere. At ille ut id faceret nunquam induci potuit, sive quod, nimium sibi ipsi fidens, reliquos, & præsertim indigenas, militaris omnis scientiæ expertes judicaret; sive, quod decorum minus, nec suæ dignitati conveniens satis existimaret cum piratis, ut appellabat, confligere: interim tamen Comitem de Bossu, qui tunc, absente ac profugo Auraico, Hollandiam gubernabat, per literas moneri fecit, ut ei rei in tempore occurreret prædonesque compesceret. Bossutius, intellectis Albani imperatis, convocari extemplo Amstelodamum jussit urbium, quæ Austrino mari adsitæ sunt, præcipuos consules & magistratus, cumque ijsdem de re tota conferre, &, quid facto maxime opus, consulere cœpit. Decretumque tandē ut Naves præsidiariæ instruerentur duodecim, quibus Præfectus, & quasi Admiralius daretur Franciscus Boshusius, vir belli militiæq; cum terra tum mari peritus & vetus. Proscripti nobiles, qui piraticam adhuc exercebant, ea re percepta, Austrino sinu excedentes in Amasim flumen se recepere: ubi tandem ab Admiralij prætorijs navibus maximā partem aut obruti aut fusi fugatique sunt. Eoque nuncio excitatus Bossutius Comes, rē extemplo ad Albanum perferendam curat, addito simul quid inde emolumenti in posterum Patriæ expectandum foret. Albanus, nuncio tam læto accepto, quamvis plurimum gavisus, & excisos quodammodo proscriptos omniaque pacata jam crederet, cōjecturis nihilominus haud levibus prævidebat, nequaquam fore quietos exules reliquos, sed novi aliquid indies molituros; quibus sine maximis impensis resisti non possit: Omnia idcirco consilia sua ad cogendam porro pecuniam convertit. Bruxellis primo in Ordinum consessu a singulis provincijs omnium bonorum, quæ venderentur decimum; mobilium omnium aliorum vicesimum; & omnium immobilium centesimum nummū postulavit. Hujus postulationis hanc reddidit rationem: pecunia opus esse ad Reipublicæ & Religionis defensionem. Eam a populo exigendam. Fieri id minus commode posse per modum publicarum precum (ut vocare solent) quod Principibus Belgicis hactenus fuerat usitatum. Visum enim sæpe esse in hujusmodi collectis Provincias male inter

se convenire potuisse. Flandriam quidem trientem totius solidi conferre consuevisse: Brabantiam quadrantem: Hollandos quadrantem ejus, quod solveret Flandria; Artesiam & Hannoniam sextantem census Flandrici; cæterasque provincias pro sua quasque facultate. In hac collectione magnas sæpe ortas esse controversias, dum quæque provincia se plus cæteris gravari conquereretur. Sibi itaque hanc viam videri commodissimã ac promptissimam, ut pro bonorum qualitate singulæ censerentur. Ordines, audita hac postulatione, attoniti, post maturam deliberationem Albano centesimum nummum omnium bonorum obtulerunt, vicesimum & decimum se conferre minus posse ostenderunt. Rationem adferebant quod omnis hoc modo negotiatio, omnes artes & opificia in Belgio interirent, & in alias regiones transferrentur: cum eæ merces, quæ ad exteros deportarentur apud ipsos minoris emi possent. Futurum itaque ut Regna ac regiones conterminæ artifices opificesque è Belgio ad se pellicerent, quod sine præsentissimo Belgicarum provinciarum interitu fieri non posset. Non movebatur hisce rationibus Albanus suam oportune importuneque urgens postulationem. Bruxellenses interea nullo modo in hanc exactionem descendere primi voluerunt. At Albanus, ut res nihilominus eventum sortiretur suo aliorumque Hispanorum consilio solicitandos præcipue Hollandos ad hanc decimi nummi collectionem existimavit, sciens eos dites ac mercaturis florentes, & denique imbelles ac minus militares pugnacesq; esse. Quapropter, renovatis ijsdem Edictis Comiti Bossutio ea transmisit serio mandans cum ipsi, tum Provinciali Senatui, ut Amstelodami intra decimum quartum diem collectores ad decimas cogendas constituerentur: Nisi fieret atque imperata perficerentur 25000 florenorum multam incurrerent. Bossutius mandata Ducis exsecutus est. Verum urbis Consules totiusque senatus plurimum hac re sollicitus ex præcipuisquidem civibus nonnullos nominarunt, qui collectionibus istis præessent: eorumque nomina Comiti transmisere: At illis juramentum præstare renuentibus, nec Scabinis negotium magnopere urgentibus, cum id officij consulibus potius incumbere, inter alia, non obscure significarent; Consules vero ad Scabinos vicissim demandarent, de die in diem res dilata est. Dumque in hunc modum negotium traheretur, tempusque præscriptum efflueret rem ad Ducem Bossutius retulit. Dux Albanus haud leviter commotus, mandat continuo Hollandiæ Procuratori Generali ut Amstelodamenses in jus vocet, & contra eos causam agat adigatque ad solutionem multæ 25000 florenorum. Mandatque similiter & Senatui Provinciali ut adversas eosdem hac parte sententiam pronunciet: Facit imperata Epistates seu Procurator Generalis diemque Amstelodamensibus dixit, quo Hagæ adessent, accepturi quod adversus eos proponeretur. Submiserant eodem tempore Hagam quoque Hollandiæ primaria oppida certos Commissarios, qui de negotio & causa tota diligenter inquirentes in tempore subindicarent quid & sibi expectandum haberent. Cum itaque Amstelodamenses (causam ipsorum agente Advocato Trelongio) ita se suaque tutati fuissent, ut immunes ac liberos eos a multa persolvenda pronunciandos omnes existimarent, tamen ex præscripto & mandato Albani, causa ceciderunt. Hispanum enim cuncti extimescebant. Reliquæ deinde Hollandiæ urbes, re in hunc modum intellecta, & quid de se quoque deinceps statuendum esset, facile Amstelodamensium hoc exemplo jam edoctæ, magis magisque ab Albano ejusque machinationibus atque ingluvie abhorrere cœperunt, seque per occasionem adversus ejusdem postulata munire ac tueri parabant.

Decimarũ Edictum Amstelodami publicatum.

Amstelodamenses in jus vocati ab Albano causa cadunt.

Amstelodamenses eo, ut dictum est modo ad multam præstandam publico judicio condemnati ad superiorem Senatum seu tribunal provocationẽ Mechliniæ instituerunt: Sed illic ad causam dicendam nequaquam admitti, etiamsi omnia agerent, ullatenus potuerunt, cum id Albanus interdicto vetuisset. Animadvertentes ergo sibi, quod jus & æquum esset, per Albanum negari; necnon & novis Edictis Bossutio Comiti ab eodem Albano missis denuo oppidanos infestari, ut decimarum collectio per Cives denominatos, aut alios, institueretur, pæna priori multo graviori proposita, varie affecti fuerunt: Senatusque & Consulesq; de eodem apud cives passim conquesti, rem esse quodãmodo deploratam innuebant, nisi se civitas universa Duci opponeret jus fasque tyranni in morem neganti. Addit Cornelius Haemrodius civis Amstelodamensis, qui tunc rebus interfuit brevique syntagmate, sed inedito, totum id negotij vernaculo idiomate perse cutus est, ausos tum in Albanum promiscue cives debacchari, tyrannum & injuriosum increpare; Ex senatu quoque & optimatibus nonnullos Auraicum ejusque opem respicere cœpisse, advenisse nimirum tempus palam addentes, quo, sumptis unanimiter armis, Hispanico

Amstelodamensium adversus Albanum murmuratio.

Hiſpanico jugo oportune liberari concederetur.

Porro Hollandiæ quoque Ordinibus oppidiſque omnibus ſummopere res rationeſque Boſſutij diſplicebant, quod is Gubernatoris vices agens ideoque & ſtatus ac provinciarum pars, Amſtelodamenſes nihilominus uſque adeo gravari, & ad collectionem tãtopere urgere non intermitteret: imo quod & ipſe Provinciale tribunal eo pertraxiſſet, ut Collectores Amſtelodami conſtituti fuerint *Regnerus Henrici* itemque *Theodoricus Iohannis Everardi*; idque ea lege, ut ijdem viciſsim, ſine mora, alios pluresque ſibi adſociarent. Quod & factum fuit. Nam & ſexdecim inſuper elegerant ex ditiſsimis atque optimatibus; octo nimirum a parte *lateris novi*; & octo reliquos a *latere antiquo*. Qui tamen ſimiliter difficiles ſe exhibere ac tergiverſari cœperunt, interpretationes ac ſuffragia in verbis atque Edicto Albani, necnon Boſſutij mandatis, aucupantes, quod ea urbis Conſulibus id muneris demandare viderentur. At Conſules in Scabinos denuo rejiciebant; dũ tandem urbium paſsim defectio ſubſecuta, ut mox dicetur.

Interim in Oppidis undiquaque Zelandiæ ac Hollandiæ cum animadverteretur animos ab Albano indies magis magiſq; abalienari; & prudentiores quoque malum, quod ſubſecutum eſt, animis quodammodo præſentiſcerent, ſupplicationes & preces a Senatu Provinciali per oppida paſsim, & maxime Amſtelodami decretæ fuerunt. Adhortabantur populum ad vitæ emendationem; Deoque omnipotenti ſupplicabant ut Albano induratum ac præfractum pectus emollire; & rationibus atq; æquitati obſequens reddere atque elargiri dignaretur: quod, regionum privilegijs conculcatis, eorum in locũ ſummum jus ac Regis voluntatem produceret: Adeo ut in ſuggeſtis quoque ipſi Minores Fratres, Amſtelodami præſertim, in Albanum inveherentur, Tyrannum & prævaricatorem appellantes. *Minoritæ Amſtelodamenſes Albanum Tyrannum vocant.*

Facetum & dignum memoratu eſt, quod refert oculatus teſtis idem Haemrodius, dũ inter Albanum & oppidanos adhuc ultro citroque de decimis pendendis lis agitaretur, civium grandiores liberos per ludum & jocum (qui ſeria ſubinde ducebat) partes ſibi fingere ſolitos; quarum altera *Albanum* Ducem; altera *Auraicum* præferebat. Qui Albani habitum ſumpſerat Edicta edebat, & magna ſeveritate decimas ſolvendas publicabat, manu exſerta chartaceum ex pertica protendens vexillum, in quo annuli decem notati decimum nummum indicabant. His alij, qui Auraici nomen profitebantur, dum ſummis ſe viribus opponere ſimulant, ad manus & ludicras velitationes ventum: quibꝰ in veras ſæpe pugnas deſinentibus, Albanum in fugam vertunt; aut in totum, iſtis quaſi præludijs, territorio ejiciunt. *Ominoſi puerorũ Amſtelodamenſium luſus ac belli ſimulacra.*

Et ſane ejuſmodi haud temeraria eſſe, hiſtoriæ quoque priorum temporum docent. Et inter cætera, non abſimile eſt, quod Procopius (cum Vitiges, Gothorum Rex, Beliſarium Romæ obſideret) in Samnio cõtigiſſe refert: Samnites nimirum pueros aliquot, quum pecus paſtum educerent, per ludum ſimiliter duos inter ſe delegiſſe corporis habitudine ac ſpecie præſtantiores; quorum alterum *Beliſarium*; alterum *Vitigem* vocitabãt: ijſque inter ſe commiſsis, qui Vitigis fuerat appellationem ſortitus, ſuperatum & in terram prolapſum, eundemque a puerili atque inconſideratiori turba in proximam arborem ſuſpenſum, reliquoſque, conſpecto de repente lupo, in fugam verſos, ſuſpenſumq; a ſocijs deſtitutum in cruciatu interijſſe: Samniteſque, re intellecta, doluiſſe quidem fatum pueri, ſed ex ijs, quæ evenerant, conjectando aſſeveraſſe, victorem omnino fore Beliſarium.

Circa idem pæne tempus, inter cæteros profugos atque exules, agebat in Anglia Wilhelmus e Comitum Marckenſium proſapia nobilis apud Eburones, Dominus Lumæus. Hic intelligens animos apud Zelandos & Hollandos ob Albani avaritiam ac duritiem, in res novas jam erectos; Hiſpanum etiam militem voluptatibus ac delitijs diutini otij ac pacis fractum, nihil minus quam de bello cogitare, alio conatus ſuos ac deſtinationes tranſtulit. Nam & commodum tunc acciderat, ut Albani apud Angliæ Reginam interceſsione ijdem profugi ac prædones excedere Angliæ portubus juberentur: Itaque coacti alibi fortunam tentare Cal. Aprilis anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi ſecũdi quadraginta navibus Dovera ſolventes Enchuſam dum petunt, obviam habuerunt navigium Antverpienſe ex Hiſpanijs veniens pretioſis mercibus oneratum: indeque in aliam navem Cantabricam inciderunt: utramque ſuperarunt & ſuæ poteſtatis fecerunt. Sed cum ventus ipſis eſſet contrarius, Enchuſam curſum tenere non potuerunt: Quare ad inſulam Voornenſem, ita ferente vento ac volente quaſi numine, navigarunt, jactiſque anchoris, & ſuis terram expoſitis, intempeſta nocte oppidum Brielenſe, quod unicum *1572.*

Brela occupatur.

cum est in hac insula, tentarunt. Excitato ad Australem portam incendio, & ad illud restinguendum civibus cunctis accurrentibus, Borealem portam occupant, opidoque potiti sunt.

Primarij hujus facinoris duces erant, Wilhelmus, quem dixi comes a Marcka, Dominus Lumæę: Wilhelmus a Bloys, Dominus Treslonius, Dynasta Suetensis; Lancelotus a Bredenroede; Bartholomæus Entensis; Iacobus Schonwallius; Antonius Vtenhovius; Iacobus Cabeliau; Antonius Reynius, Nicolaus Ruychaverius Amstelodamensis uterque; Roebollius; Iacobus Hennebaertius & alij. Vrbe in potestatem suam redacta, extemplo Capitaneum Reinium, Nicolaum Rufum, seu *Roedeclaes* cognomine, una cum alijs aliquot in Angliam ad novum præsidiariorum supplementum & commeatum aliaq; ad Belli usum necessaria in tempore obtinenda remittunt. Quod etiam festinato curatum est.

Albanus hujus rei certior redditus sero didicit quam male sibi, Regi & Patriæ consuluerat, quod neglectis maritimis, mediterraneas urbes præsidijs suis non tam munierat, quam divexarat. Hostium nihilominus viribus spretis, Comitem Bossutium cum duabus centurijs Brielam misit, ut Geusios insula pellerent. Sed Lumæus cum Regiorum naves vidisset, suos paratos esse jussit, eisque obviam processit. Regij audacia Geusiorum consternati, velis versis in Continentem rediere; & Dordracum profecti, urbe exclusi sunt. Bossutius Hollandiæ, ut dixi, & Trajectensis insuper diœcesis Gubernator metuens ne Geusij eodem astu plura occuparent opida, Roterodamum suos deduxit, postulans ut in urbem reciperetur. Quod cum impetrare non potuit, tandem vix ægre obtinuit, ut centurionibus decuriatim suos per urbem ducere potestas esset. Sed apertis portis milites furore perciti quod urbe regia excluderentur, cum impetu irruentes unum ex civibus in vestibulo portæ interemerunt simulque suæ potestatis urbem fecere, multosque trucidarunt. Quod factum apud omnes non eandem laudem meruit. Sane reliquæ Australis Hollandiæ urbes urbiumque magistratus haud exiguam hinc in Bossutium invidiam concepere, fuitque quod dici solet ἔλαιον ἐπὶ πῦρ, *oleum flammæ*.

Nam & Vlissingenses cum ob hæc aliaque tum ob castellum præcipue, quod ea in urbe exstruere Hispani cœperant, in fide quoque Ducis nutare incipiebant. Albanus itaq; Middelburgum Dominum de Bannoys, e familia Laleiniorum cum præsidio misit, quod a senatu, quamvis difficulter, receptum est. Hujus præsidij pars Vlissingam jussu Ducis mittebatur. At cum ille novum bellum imminere sentiret, Vlissingensibus melius cautum volens, Magistrum Campi, ut vocant, Paciecum cum octo centurijs peditum Vlissingam destinavit. Misit Paciecus, qui Senatui nunciarent se, cum præsidio in procinctu esse, simulque petere ut hospitia militibus designarentur. Cum fama hæc per urbem increbuisset, populus qui in templis erat, relictis sacris & Missa, ad quam se pararat, in forum ante Domum Civicam venit, &, quibusdam incitantibus, alta voce inclamavit: se Hispanos in urbe nec ferre, nec videre posse. Caveret igitur Senatus ne quod præsidium, inconsultis civibus, in urbem admitteret. Dum hæc in foro populus; naves in quibus præsidium erat, eminus adventare conspiciuntur. Confestim ad portum magna turba concurritur, tormenta bellica onerant, armamentarium effringunt, omnia telorum tormentorumque genera ad Portum mœniaque efferunt; quibus advenientes naves ita excepe-runt, ut, versis velis, Montes ad Zomam reverterentur. Præsidium Gallorum, quod in urbe erat, sibi metuens, relicta Vlissinga Middelburgum redijt. Interea Paciecus in urbem Vlissingam venit, existimans suas centurias in urbem receptas esse. Admissus confestim capitur crucique affigitur, etiamsi Albano se consanguineum identidem clamaret.

Vlissingẽses præsidium Albani excludunt.

Dux Albanus tot difficultatibus se undiquaque involutum animadvertens, ad arma, quibus maxime fidebat, serio convertit animum. Iussit primo classem Amstelodami, Enchusæ alijsque in opidis sine mora instrui, quam Boshusio regendam denuo dedit. Comes interea Bossutius circa Enchusã militem cogi ac conscribi, volentibus etiam nonnullis ex Senatu Enchusano, fecerat, sperans se eo Enchusam, ut ferebatur, in fide retẽturum. Enchusani eam rem suspectantes Admiralium Boshusium, cum suis quoque ibidem adhuc hærentem, comprehendunt: tormenta majora de navibus auferunt, sibiq; adversus vim prospiciunt. Mox Bossutius Amstelodamum regressus, de facto Enchusanorum quasi ignarus, certior redditur. At ille rem elevans in errorem utriusque, & maxime Navarchæ, studio quodam, causam rejiciebat; ne forte Enchusani jam lacessiti ulterius irritarentur, aut ad defectionem porro duriori sententia sollicitarentur. Enchusanis quoque ipsis, qui Amstelodamum, ut rem proponerent, ablegati venerant, in eãdem

dem fere sententiam respondit, idque hilari vultu ac blandis affatibus, nihil videlicet esse difficultatis, sinistram tantum interpretationem utrimque fuisse. Verum magis magisque exacerbatis adversus Albanum, omnesque qui Albani partes sequerentur, civium præcipuorum animis, urbem in suam potestatem redigerunt. Præfectum classis Boshusium, quem captivum tenebant, dimittunt; classiariosque omnes urbe ejiciunt, nemine tamen adversæ partis occiso. Quo facto, miserunt extemplo Brielam ad Lumæum, orãtes ut urbis patrocinium susciperet præsidiumque militare ad uberiorem defensionem submitteret. Quod ille haud gravate fecit. E Flevo quoque Geusiorũ nonnullæ naves, quæ ibidem forte fortuna in anchoris erant, multa præda onustæ, postridie statim præsto fuerunt. Erant inter eas frumentariæ aliquot corbitæ, commodissimo tempore accedentes, quod frumento & zytho quam maxime tum opidani indigerent. Ex Brielensi territorio haud multo post, accessere *Ruychaverius, Cornelius Loosius* & *Roebollius* cum suis manipularibus. *Theodoricus Sonoius* ab Auraico postmodum submissus, non urbi modo, ejusdem Auraici nomine, sed toti isti tractui, multos post id annos, præfuit. *Enchusani se Auraico Geusijsq; conjungũt.*

Atque ita tres isti in Belgio celebriores portus, & veluti claustra Hollandiæ Zelandięque, *Briela, Vlissinga,* & *Enchusa,* Hispano se animose opposuere. Quorum continuo exẽplum imitata Borealis primum Hollandiæ opida reliquâ, ut *Horna, Alcmaria. Edamũ* & *Medenblicum.* Atque inde cum ad Australes Hollandos id esset perlatum, etiam ipsi se reliquis sine mora associavere, solis exceptis Amstelodamensibus. Qui licet initio ab Hispano, ut indicavimus, ob decimi nummi importunam postulationem, alieniores viderentur, præsertim cum Hagam in jus vocati, atque inde Mechliniæ provocãtes, utrobique, volente sic Albano, causa caderent; Tamen postmodum, ubi jam defecissent vicinæ urbes bonisque ac monasterijs exuerentur sacrificuli ac monachi, quibus præcipue Amstelodami receptus patebat, Albani Regisque partes reservandas sibi, utpote ab omni religionis innovatione aversi, judicabant. Albanus quoque, ut in fide persisterent, benignis eos literis affatus, collaudavit eorum & studium & constantiam; tum erga Regẽ fidelitatis perpetuo præstitum obsequium: idque se Regiæ Majestati relaturum, honorique ipsorum privilegijsque in posterum haud leviter augendis cessurum, serio pollicebatur. Quibus & suas addiderat Curiæ Præses Viglius idem iterato adserentes. *Amstelodamenses in Albani fide persistũt*

PARECBASIS
seu
Digressio in comparationem Defectionis hujus Hollandorum ab Hispanis, duce AVRAICO; *& ejus, quæ facta est olim, auspicijs* CLAVDII CIVILIS, *cum ijdem Batavi sive Hollandi jugo* ROMANORVM, HISPANICO *isti haud absimili, divexarentur.*

LIBET hoc loco, per transennam tamen & obiter, antiquum illud & primum gentis ævum paulo diligentius introspicere, & ex eo veluti imaginem horum temporum repræsentatam ob oculos collocare. Nam & Batavi socij olim & fidi Romanis, eorundem postmodum superbo nimis imperio nimiaque Præsidum Legatorumq; avaritia atque insolentia ad defectionem concitati, arma non tam adversus imperium, quam imperij Præfectos, & militem Romanum, arripuerunt, profitente se popularibus Ducem CLAVDIO CIVILI Batavo, primogenitoribus Germanis ac Cattis longi sanguinis serie illustri ac splendido, ut memorat pluribus & præclare Cornelius Tacit⁹ verbis, quę mox, pro parte, subjiciam. Ejusque in facti commemoratione non causam modo cum ista Hollandorum similem & pæne eandem paremque reipublicæ statum recognoscim⁹; sed gentem quoque & Ducem eadem origine & natalibus. *Causa* enim tributum & delectus erant, præter jus & morem gentis graviora; quibus injuriæ, luxus & avaritia cum Præsidum, tum ministrorum, aliaque accedebant servitij mala. *Gens* ipsi Batavi nunc Hollandi dicti, populus etiam tum, fatente Tacito, ab oneribus & collationibus exemptus & liber, socius & auxiliaris imperij: ejusque nec opibus tamen nec potentia attritus: cujusmodi hodie prærogativas, *privilegia, jura,* atque *immunitates* appellamus. *Dux* deniq; CIVILIS, cujusmodi AVRAICVS, consanguineus vicinorum Germaniæ Principũ, ex Cattis nimirum oriundus. *Crimen* rebellio, sed falso imputatum. Cujus tamen nomine *Iulius Paulus,* frater ejusdem CIVILIS, a Fonteio Capitone avaritiæ & libidinis fœ

ditate infami, interfectus: Ipsi CIVILI catenæ injectæ; qui deinde ad Neronem missus; & a Galba absolutus, sub Vitellio rursus discrimen adijt, flagitante supplicium ejus exercitu: ut clara sub imagine & hanc & veterem Batavorum Rempublicam tum præcipue AVRAICVM intueamur læsæ similiter Majestatis ab Albano & Hispanis insimulatum; res & possessiones ejusdem fisco addictas; filium in Hispanias captivum abductum; dum ipse imminentem quasi tempestatem fugiens charorum & propinquorum Hornenses nimirum & Egmondani vincula & neces miserrimas eminus spectat. Hinc utrique arma sumendi occasio: Quæ tamen ita sumpta; ut ille convocatis gentis primoribus, adversus Romanos, non imperium; hic, adsentientibus Ordinibus, in Hispanos, non Regem ea sumpta profiteretur. Nam de *Civili* ita habet Tacitus: *Sed Civilis ultra quam Barbaris solitum ingenio solers, ne hosti obviam iretur, si a populo Romano palam descivisset, Vespasiani amicitiam studiumque partium prætendit.* De *Auraico* similiter, ejusque erga Hispaniæ Regem veteri semper observantia, res & historia usque adeo recens est, ut omnium adhuc mentibus hæreat, non ipsi tantum, sed regi quoque Hispaniarum nomine primitus data, sacramentumque dictum ubi conscriberentur copiæ; donec ab Ordinibus aliter, idque gravissimis de causis, decerneretur. Sed ipsa Taciti verba, quatenus initia istius adversus Romanos Belli Batavici, & primas Claudij Civilis iras, ac motuum origines continua serie recitant, apponenda nunc, quomodo indicavimus, paulo fusius; quo & res ea omnis & *Comparatio*, quam tetigimus, reddatur illustrior.

Verba Cornelij Taciti super Claudij CIVILIS *& Batavorum à Romanis defectione.*

Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupavere; quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. Nec opibus Romanis, societate validiorum attriti, viros tantum, armaque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti: mox aucta per Britãniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas, veteri instituto, nobilissimi popularium regebant. Erat & domi delectus eques, præcipuo nandi studio arma equosque retinens; integris turmis Rhenum perrumpere. Iulius Paulus & Claudius Civilis regia stirpe, multo cæteros anteibant. Paulum Fonteius Capito falso rebellionis crimine interficit. Injectæ Civili catenæ; missus ad Neronem; & a Galba absolutus, sub Vitellio rursus discrimen adit, flagitante supplicium ejus exercitu. Inde causæ irarum, spesque ex malis nostris. Sed Civilis ultra quam Barbaris solitum, ingenio solers, & Sertorium se aut Hannibalem ferens simili oris dehonestamento, ne ut hosti obviam iretur, si a populo Romano palam descivisset, Vespasiani amicitiam studiumque partium prætendit, missis ad eum Primi Antonii literis, quibus avertere accita a Vitellio auxilia, & tumultus Germanici specie, retentare legiones jubebatur, &c. Igitur Civilis descidendi certus, occultato interim altiore consilio, cætera ex eventu judicaturus, novare res hoc modo cœpit. Iussu Vitellij Batavorum juventus ad delectum vocabatur, quem suapte natura gravem, onerabant ministri avaritia ac luxu, senes aut invalidos conquirendo, quos precio dimitterent, rursus impuberes, sed forma conspicui (& est plerisque procera pueritia) ad stuprũ trahebantur. Hinc invidia & compositi seditionis autores, perpulere ut delectum abnuerent. Civilis primores gentis, & promptissimos vulgi, specie epularum sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac lætitia, incaluisse videt, a laude gloriaque gentis orsus, injurias & raptus, & cætera servitij mala enumerat. Neque enim societatem, ut olim, sed tanquam mancipia haberi, quando Legatum gravi quidẽ comitatu, & superbo cum imperio venire, tradi se Præfectis Centurionibusque, quos ubi spolijs & sanguine expleverint, mutari, exquirique novos sinus, & varia prædandi vocabula. Instare delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus velut supremum dividantur. Nunquam magis afflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis quam prædam & senes; attollerent tantum oculos, & inania legionum nomina ne pavescerent, esse sibi robur peditum equitumque. consanguineos Germanos, Gallos idem cupientes, ne Romanis quidem ingratum id bellum, cujus ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos, victoriæ rationem non reddi. Magno cum assensu auditus barbaro ritu & patrijs execrationibus universos adigit. Missi ad Caninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colit origine, lingua, virtute par Batavis numero superantur. Mox occultis nuncijs pellexit Britannica auxilia, Batavorum cohortes. Erat in Caninefatibus stolidæ audaciæ Brinio, claritate natalium insigni, pater ejus multa hostilia ausus, Caianarum expeditionum ludibrium impune spreverat. Igitur ipso rebellis familiæ omine placuit. Impositusque scuto, more gentis & sustinentium humeris vibratus, dux eligitur. Statimque accitis Frisijs (transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna, proximo

Sacrum nemus Schalker busch *Iunio.*

pato

pato oceano, irrumpit.

Nunc ad carceres, unde evolavit, oratio redeat. Amſtelodamenſes ergo ſemel firmiterque ſecum ſtatutum habentes ab Albano & Hiſpanis nequaquam deſciſcere, arbitrio & ſuaſu XXXVI-virum e medio ſuorum duo conſtituerunt vexilla, quæ in morem militarium ſignorum ſtipendia civitati facerent. Alteri ex iſtis ſignis centurio & dux deſignatus Wilhelmus Langius gladiator; eique bandophorus datus Cornelius Henrici Conſulis filius: Alteri Wolphardus Michaelius præfuit, cum ſignifero Allardo Diemeno. Cuique ſigno ducenti initio militarunt; ijque ad trecentos exinde aucti ſunt. Stipendium numeratum ex communi ærario ſingulis menſibus. Arma inſtrumentumque militare ſuppeditatum ex publico urbis armamentario. Merebant in hiſce non ex vulgo modo civium ſaccarij, doſſuarij, helciarij & lintrarij ſimileſque id genus operarij, ſed ex primoribus etiam nonnulli, optimatumque ipſorum ac civium lautiorum liberi haud exiguo numero. Vigebat inter eos diſciplina; exercitiaque militaria frequentia erant. Vnde & res ſæpenumero præclare geſſerunt. Et denique præter manipularium iſta bina vexilla, 900 inſuper ex civibus armatos viros Conſules ediderunt in novem centurias diſtributos. Quarum unaquæque centuria ſuum agnoſcebat capitaneum: ſinguliſque centurijs ſingulis noctibus urbis excubiæ demandabantur. Atque iſto præſidio adverſus ingruentem vim omnem, & ſe & oppidum veteremque Politiæ ac Religionis cultum defendere paratos ſe magnis animis oſtendebant. *Amſtelodamenſium ad ſe defendendum paratus.*

Hæc dum fiunt, ſuſpectis aliquot apud Magiſtratum urbe egredi mandatum; cæteri haud plane ſuſpecti, dubiæ tamen famæ, arma deponere juſsi; omnibuſque collegijs ac cœtibus ijſdem interdictum. Nec deerat in eorum locum ſuccedentium numerus, magnus videlicet monaſticorum undique ex oppidis, quæ deſciverant, huc potiſsimum cõfluentium populus: Quibus & loca & lautia liberaliter, ut & modo innuimus, collata fuerunt.

Lumeius nihilominus, ut vel invitos ad deditionem reliquarumque Hollandiæ urbiũ exemplum pertraheret, plurimum allaboravit. Primum, miſsis Lugduno Batavorum per fecialem literis, tentare eorum animos cœpit. Eaſque literas conſilio potiſsimum Auraici conceptas opinio fuit: utpote qui in Amſtelodamo quantum momentum poſitum eſſet, præcipue intelligebat. Literarum ipſarum vernaculo idiomate apud Haemrodium exemplum habetur; quarum fere ſumma & ſenſus hic erat: Nequaquam latere prudentiſsimum ac honoratiſsimum urbis magiſtratum, cujuſmodi vi ac violentia, tyrannide, rapinis ac cædibus; tributis denique atque exactionibus inuſitatis Albanus, ut Patriam chariſsimam extremo ac triſti ſervitutis jugo ſubditam ſuæ Hiſpanorumque libidini ac nutui parẽtem perpetuo redderet, graſſatus hucuſque fuerit; porroque adhuc per patriæ quodammodo viſcera graſſari inſiſtat; ſeque idcirco coactum, vim apertam oppoſuiſſe, militem in eum Hiſpanoſque duxiſſe; Deoque opitulante, univerſam, qua patet, Hollandiam, ipſis exceptis, ſe Auraici jam, veteris Præfecti ac Gubernatoris patrocinio, ſua ſponte ac volentem dedidiſſe: Nihilque aliud in votis eſſe ſibi, quam ut Patriæ communi bene ſit, civibuſque triſtiſsimi ſervitij loco libertas optata, priſtinaque privilegia atque immunitates reſtituantur: Cumque idcirco quid etiam ipſis animi ſit nondum expoſitum habeat, illuſtriſsimi Principis Auraici nomine flagitare ſe rogareque, ut animi ſui ſententiam, & quid expectandum haberet, aperire quam primum velint. *Literæ Lumæi ad Amſtelodamenſes.*

His literis cum nihil a ſenatu reſponſi redderetur, varias urbi inſidias ſtruxit, & bis, ſed irrito molimine obſidere eam conatus eſt. Occupaverat quidem primo acceſſu Portæ Regularis ſuburbium omniaque prædia & hortos miles tenebat, excitata ab eadem quoque parte, ſub oculos pæne urbis, validiſsima munitione. Verum una alteraque oppidanorum eruptione pedem referre ac munitionem eo loci deſerere, haud paucis ſuorum deſideratis, coacti fuerunt. Quamvis non exigua interea oppidanis damna intulerint. Nam & ſuburbium, quod dixi, prædiaque paſsim aut hoſtis, aut ipſi cives, circumquaque ferro flammaque demoliti ſunt. Atque hic repulſi, Amſtelam ultra, procinctũ movere, ac portam Antonianam naviumque ſtationem impetere atque infeſtare cœperunt. Erant ab hac urbis parte, ultra ſeptum, quod majus appellabatur, ædificia aliquot, in quibus receptum præcipue hoſtis habebat; quæ dum abſumere ignitiſque tormentorum globis eminus ex oppido incendere urbani ſtudent, ignis, ita ferente vento, horrea, quæ in proximo erant, univerſa invaſit, atque abſumpſit: Eaque occaſione & oſtium opera in Vahala (quæ naviũ hibernantiũ ſtatio eſt) uni ex grandioribus navigijs ignis quoque injectus fuit, eoque incendio quadraginta inſuper naves ibidem deflagraverunt. *Amſtelodamenſium obſidio.* *t'Groote hæck ofte Blockhuijs*

Poſt

Obsidionẽ solvit Lumæus.

Post id Comes de Bossu tribus militum signis Amstelodamẽsibus subsidio venit. Qui cum multum negotij Lumæanis facesserent assiduisque irruptionibus obsidentes fatigarent, motis castris, obsidionem solvit Lumæus: idque haud minimo tamen civium incolarumque detrimento. Nam & Monasteria ædesque urbi vicinas igne injecto, qua potuit, exussit; pecus omne abegit, quodque abigere nequijt aquis suffocandum dedit: nonnullos quoque ex civibus deprehensos, ut erat crudelis ac insolentis animi, crucibus affixit. Rumorem etiam spargi passim fecit, esse inter oppidanos plurimos, qui sibi faverent secunque facerent, haud ignarus turbas id daturum, apud magistratum præsertim, qui omnia tuta timeret suspectaque haberet. Quapropter senatores, etiamsi id studio quodam a Lumæo disseminari non ignorarent, tamen *Albertus Marci* & *Petrus Petri* sua præcipue autoritate plurimos civium, quorum nomina delata fuerunt, urbe excedere confestim mandarunt.

Princeps Auraicus, qui cum exercitu præcipuo circa Hannoniam tunc morabatur, ubi intellexisset militem suum, qui in Hollandis erat, sacras ædes, cœnobia & cœnobitas vexare ac vastare, passimque exigere: idque offendiculo esse quam plurimis, qui alias Albanum oderant, & maxime Amstelodamensibus ac Trajectensibus; Edicto publice cautum voluit, ne cuiquam religionis nomine molestos se exhiberent. Verum serius id promulgatum, obduratis jam Amstelodamensium præcipue animis.

Auraicus deinde Hannoniæ Montibus relictis, fratri Lodovico & Gallis, qui in præsidio erant, significari curavit quid hactenus actum esset: Vrbem obsidione tam arcta liberari non posse, post unam aut alteram oppugnationem se dederent vitæque suæ consulerent. Profectus itaque Auraicus cum omnibus copijs suis Mechliniam, ibidem aliquandiu substitit. Inde ad Rhenum transgressus, juxta *Orsoy* exercitum traducit & exautoravit, non sine maximo vitæ periculo, cum suis stipendia nulla, destitutus a Gallo, numerare posset. Tandẽ tamen, & precibus & promissionibus quibuscunque potuit, eos placavit, & a se demisit. Ipse Procerum, omniumque Patriæ amantium consilio ac voto in Hollandiam, & primo quidem Enchusam, atque inde Delphos profectus est.

Auraicus in Hollandiam redit.

Albanus post abitum Auraici Montibus Hannoniæ potitus, totamque Belgicam præter Hollandos & Zelandos, quos defecisse diximus, & aliquot insuper Gelriæ Frissæque urbes, pacatam sibique dicto audientem habens, de illis in ordinem redigendis consilia cœpit agitare. Vniversas igitur copias versus Leodium movet: hinc secundo flumine per civitatem Ruremundensem, Auraici præsidio tunc desertam, circa initia Octobris in Gelriam properavit. Quo in itinere plerosque equites a se demisit: tum quia ijs in locis, ad quæ contendebat, nullo ipsi vel exiguo usui esse poterant; tum etiam quia majora incommoda equites, quam pedites populo inferre consueverint. In eodem itinere multarum ad illum venere civitatum Legati, purgaturi se & veniam rebellionis deprecaturi. Tandem XXVI Octob. Noviomagum venit, illic hibernaturus. Hic Adolphum Holsatiæ ducem cum suis copijs, Ericum etiam Brunsvicensem cum equitatu suo a se demisit. Mox lectissimas aliquot equitum peditumque copias Noviomago Zutphaniam ire mandavit, ut eam nuper ab exulibus Geusijs occupatam obsiderent. Sita est autem urbs ea ad extimum & Boreale Rheni brachium, quam Isalam nunc, Strabo Salam vocavit; condita loco & agro palustri, unde etiam *(a)* nomen accepit. Has ob paludes, & Isalam quoque præterfluentem, videbatur urbs expugnatu, imo accessu difficilis; sed cũ intensum tunc esset frigus (erat enim mensis November) & paludes & fossæ omnes glacie concretæ, aditum ad ipsa mœnia Albani seu Regio militi præberent, cœpta levis aliqua oppugnatio fuit. Quod cum animadverterent cives, quorum nonnulli Geusij, nonnulli Pontificij erant, inter se dissidere cœperunt: illis oppugnationem expectandam; his intromittendos Hispanos censentibus. Quo animorum dissidio factum, ut subito, patefactis portis, admitterentur. Admissis urbs prædæ data est. Sævitum in obvios primum, inque promiscuam turbam: mox etiam civium ultra quingenti diris supplicijs vel aqua vel laqueo sublati in exemplum & horrorem finitimæ regionis. Et sane tantam per transisalaniam & Frisiam hæc alieni periculi contemplatio trepidationis fecit, ut Mõtensi Comiti quæ se adjunxerant eo tractu Civitates, Daventria, Suolla, Campi, Hardevicum præsidiarios demiserint, seque in tutum receperint, Albanoque reconciliatæ sint. Amersfortij, tam oppidani, quam præsidiarij Geusij, accepta hac fama, intempesta nocte, asperrimaque hieme per brachium Austrini sinus gelu constrictum ad Frisiabones Hollandosque Boreales se contulere. Pontificij cæterique, qui in urbe remanserant, Trajectum profecti claves Comiti Bossutio Gubernatori deferunt, opemque ejus implorãt.

Albanus in Gelros Hollandosque ducit.

(a) Nam Zutphen quasi zuijtvenen dici alibi docemus.

Zutphaniensiũ clades

Qui

Qui convocatis copijs Amersfortiam contendit, inque illam præsidium ducit.

Albanus cum omnia ex votis sibi cedere gentemque inter Belgas ferocissimam ac bellicosissimam, Sicambros nimirum ac Salios, qui Gelri hodie ac Sallandi seu Transisalani vocantur, se dedidisse intelligeret, omnem exercitum bellique apparatum filio Frederico de Toledo tradidit. Non enim sua præsentia magnopere opus esse existimabat ad compescendos cæteros, Hollandos nimirum interiores, utpote gentem nequaquam militarem, & quæ annos tum octuaginta otio ac solis cumulandis divitijs dedita, bellis nullis insueverat. Non itaque ambigebat, quin & ijdem se urbesque in potestatem filij volẽtes concrederent; Præsertim cum Amstelodamensium Consul *Petrus Petri*, ut notavit Haemrodius, Duci serio affirmasset, nullum in toto utriusque Hollandiæ tractu oppidũ fore, quod vel obtutum conspectumve Hispanorum sustinere auderet. Verum longe aliter quam Hispanis persuasum, res cecidere: collapsusque fœminea & imbelli manu Holophernes, ut habet in Apocryphis adagium. Sane Dares Entellum invenit; & Leonem jampridem ab omni certaminum genere feriatum, ad novas vires veterum victoriarum memoria quasi recolligendas Albanus tum incitasse vere dicendus.

Post hæc totus Albani exercitus Amersfortiam, de qua diximus, sub exitum Novembris venit. Atque inde Naerdam Goiolandiæ caput, uno a Muda, ab Amstelodamo tertio circiter milliario dissitum, contendit. Hoc inter Hollandiæ oppida eo tractu se primum offerebat; nec veniam adhuc defectionis, licet parum adversus vim majorem munitum, impetraverat, quod præsidiarij, quibus oppidum in fide Auraici tenebatur, id impedivissent. Dux Fredericus hac re ira concitus procinctum eodem movet, præmisso cũ exercitu Iuliano de Romero. Vbi urbi appropinquaret, obviam venere senatores & consules veniam submisse expetentes, urbemque & se omniaque ejusdem commendantes fidei, seque excusantes, quod id citius præstare nequierint, inhibiti nimirum a Præsidiarijs Geusiorum, qui tunc commodum urbe excesserant. Iulianus mandatum ipsis reddit, ut ad urbem quamprimum reverterentur, omniaque ad excipiendum cibandumque exercitum parata haberent: non posse quidem se in universum delicti impunitatem ipsis polliceri, plus tamen gratiæ experturos, quam vel sperarent vel mererentur. Hoc responso accepto, domum festinabant, imperata sedulo facturi. Mox Hispano adveniente, pro facultatibus quique cibo potuque singulos excipiebant commodeque tractabant. Quo peracto, Fredericus, convocatis centurionibus militiæque præfectis, consultare, oppidumque circumquaque lustrare cœpit. Decretumque tandem ut in unum omnes locum oppidani convenirent, novum Regiæ majestati dicturi sacramentũ. Vbi convenisse mox in Nosocomio aut, ut alij, in Curia, plerosque civium (paucis exceptis, qui Hispano diffidentes latibula quæsierant) Frederico nunciatum esset; Hispanis suis deprædandi urbẽ primo, atque inde promiscue interimendi cives totumque nosocomium ac urbem quadripartito incendendi potestatem fecit. Quod a milite Marano studiose magnaque cum fide perpetratum est. Nam & sontes insontesque uno omnes exitio trucidati sunt; senes juvenesque, mares cum fœminis: Quarum pleræque stupratæ primum, atque inde laqueo aut ferro flammaque peremptæ. Parcitum est, idque studio Comitis de Bossu, *Lamberto Hortensio Montfirtio*, celebri historiographo, viro jam decrepito; Qui tamen cadentem prius Hispani manu filium viderat. Scripsisse eundem, multa jam licet ætate, perpetuæque posterorum memoriæ, extremo veluti nisu, mandasse hanc cladem, mihi a viris rerum scriptorumque Hortensij gnaris relatum est: Qui & hoc addebant, servari etiamnum, aut condi potius, apud nonnullos id scripti; sed dignum præcipue, utpote ab antopta proditum, quod lucem videat.

Hoc crudeli atque inusitatæ ferociæ exemplo significatum quodammodo reliquis voluere, quid & illos maneret, nisi tempori sibi consulentes se urbesque in fidem Albani, sine cunctatione ac mora, restituerent. Verum tantum abest, ut hinc perterrefacti Hollandi, aut ad deditionem permoti fuerint, & præcipue Haerlemenses, quibus primus exinde insultus expectandus erat, ut magis magisque audita hac Naerdensium laniena, aucta diffidentia, obduratisque pectoribus ad resistendum pertinacius inflammati sint.

Quæ dum Naerdæ agerentur, Amstelodamenses per legatos Frederico significarunt, se cum rebellibus oppidisque, quæ defecerant nihil unquam consortij habuisse, sed in fide atque obsequio Regiæ majestatis assidue perstitisse, porroque ad extremum perseveraturos; obnixe petentes ut ita de se existimare nec aliter interpretari etiam ipse velit: Demonstrabant insuper Dominum parentem ejusdem Frederici Albanum nimirum, jã ante elapso aliquo temporis spatio, obsignatis literis sancte sibi addixisse ac promisisse *Amstelodamensium ad Fredericũ legati.*

H ne ullum

ne ullum peregrinum præsidium urbi intromitteretur, se idcirco rogatum etiam ipsum habere, ut pedites equitesque Harlemum castra moturi, præter urbis pomeria via militari deducerentur, ipse vero cum aulicis omnique comitatu urbem libere ingrederetur, se pro viribus eum excepturos hospitiaque daturos: Addebant denique instrumenta & machinas bellicas per oppidum deportari libenter se permissuros, cum extra urbem, ob soli declivitatem, id fieri nequaquam posset. Fredericus vicissim, fide eorundem ac studio plurimum collaudato, commendaturum se eos de nota meliore apud Regiam majestatem serio referebat.

Erat hoc anni tempore acris jam hiems; & post peractam lanienam adeo fœda ventorum nimborumque tempestas coorta; ut omnem animi alacritatem Hispano per patentes, & a Geusijs jam ante tugurijs passim nudatos campos, Haerlemum pergenti, quasi fulmine, excuteret. Naves Geusiorum præsidiariæ XXI, quæ circa Yæ fauces in media glacie conclusæ steterant, commodum exorta hac tempestate, in tutum deductæ fuerũt. Quamvis consilium & votum Amstelodamensium sæpenumero fuerat, & præsertim inter cæteros, Petri Petri Consulis, ut ante omnia naves istæ de manibus Geusiorum præriperentur, in illis nimirum belli ac rei universæ cardinem verti identidem asserentis. Sed volente ita numine, & fastu Hispanorum robur provinciarum Hollandicarum in re maritima consistere minime tum intelligentium, consilium illud Consulis Achitophelicum flocci factum est.

Fredericus de Toledo Ausstelodamũ venit. Fredericus postquam Amstelodamum venisset, octiduum ibidem substitit. Dum autem moratur, & diem ex die trahit, Fratres Minores, qui antea, uti relatum est, Albanũ ut tyrannum in publicis concionibus proscinderant, tempori ac foro servire cœperunt; imo & minari nonnullis civium, quos ut Geusios suspectos haberent; & denique Albanum laudibus vehere, omnesque Hispanos, qui in bello occubuissent, velut martyres, & pro veræ religionis cultu, occubuisse pronunciabant. At Fredericus nihil magis miratus dicitur, quam quod ex urbibus & populis vicinis ad veniam petendam nullus accederet, cum tamen Naerdensium exemplo satis edoctos crederet, quid expectandum haberent, nisi imperio se submitterent. Et addit Haemrodius, interrogatum forte fortuna ab aulicis Frederici Hollandum quempiam, hominem nauticum, sed linguæ Hispanicæ gnarũ, quænam ejus rei causa esset, respondisse se quidem id ignorare, suspicari nihilominus, præcipuam causam esse cladem ac paricidium Naerdense. Vereri enim eos forte dicebat ne, si gratiam defectionis peterent eique confiderent, idem sibi obveniat, quod Naerdẽsibus; Præferre idcirco fortiter pro patria mori, quam turpiter ac misere trucidari. Agedum ergo, Hispanus inquit, millies pejore conditione habebuntur. Verum prudentibus satis suboluit quænam esset sententia & mens nautæ. Hispani quoque, sed sero, postmodum didicerunt. Nam certo constat natam ex illa Hispanorum crudelitate maximam diffidentiam desperationi pæne conjunctam: nec inimicos tantum, sed & amicos absterritos eamque abominatos. Nam & Amstelodamenses ipsi, quibus idem Naerdensium excidium nequaquam erat ex animi sententia, diffidere clanculum cœperunt, arctasque excubias circumquaque per oppidum agere, ne Hispanorum forte præsidium uspiam irreperet; a quo ut immunes essent, Albanus promiserat, uti diximus.

Cum rumor Naerdenæ deditionis Haerlemum mox deferretur, Amstelodamum secreto venerunt Theodorus Vriesius, Christophorus Schagius, & Pensionarius Assendelphius, secuti consilium Magistri Iacobi Wie, Beguinarum (ut vocant) Haerlemensium Pastoris, tunc Amstelodami agentis, qui suaserat ut tempori se apud Albani filium Fredericum purgarent. Verum id populo ubi innotuit, & simul Naerdensis lanienæ immanitas cum magis magisque apud vulgus percrebuisset, terror omnium animos invasit. Congregatisque Sagittariorum collegijs in horto urbis ad hoc destinato, quem *Doelen* vulgo nominant, decretum unanimiter est, præsentibus & rem pro parte agentibus Lanceloto Bredenrocio, Domino de Veenhusen Capitaneo; Wiboldo Ripperda Centurione Frisio, necnon Gerhardo Stuvero Amstelodamensi, tunc urbis Haerlemensis Consule, itemque Prætore Adriano, statutum inquam decretumque, consentiente civium omnium suffragio, cum nec gratiam nec promissi fidem ab Hispano expectandam haberẽt, se junctis viribus Albani tyrannidem a mœnibus propulsaturos urbemque in fide Regis utpote Hollandiæ Comitis; & Auraici, ejusdem Hollandiæ, Regis nomine, Præfecti, ad extremum spiritum, favente numine, retenturos. Hujus decreti missæ confestim literæ ad Auraicum, simulque auxilia ad urbis uberiorem defensionem postulata: Evocatusq; inter cæteros *Lazarus Mullerus* chiliarcha, qui tunc apud Frisiabones in Waterlandia *Haerlemenses ad resistendum animantur.*

decem

decem peditum vexillis imperabat. Hic extemplo cum omnibus signis Haerlemum advenit: Quorum in urbem quatuor recepta; quibus *Stembachius* Mulleri vicarius, *Christophorus Vaderus, Lambertus Wirtenbergicus* & *Martinus Prusius* præerant. Reliqua signa in Hollandiam Australem missa. Atque ita subsecuta statim urbis obsidio; de qua porro cõsulendi Annales.

Albanus interea ipse in propinquo agens, Trajecti puta aut Neomagi, nihil non in recuperanda Hollandia ab Amstelodamensibus sibi pollicebatur. Hornani e contra Enchusanique, cum reliquis minoribus Frisijs & Frisiabonibus, Noorthollandos hodie & Waterlandos dicimus, omnem movebant lapidem ut Yæ septis inclusos Amstelodamẽses, non Austrino tantum sinu, sed oceano quoque, atque omni navigatione Orientem atque Occidentem versus, interciperent. Excitari in hunc finem, festinatis operis, cœperat *Theodoricus Sonoyus*, ei tractui, ut ante dictum, ab Auraico præfectus, aliquot in aggeribus Frisiabonum castrensia propugnacula; eaque ut ad umbilicum tuto perducerẽtur, circumpositis a parte Austrini sinus præsidiarijs navigijs, magna cura tueri ac defẽdere studebat. Amstelodamenses rem intelligentes, & opus cœptum pro viribus turbaturi extemplo decem corbitis, una cum aliquot minoribus navigijs accuratissime instructis, eo tendunt. Comitabantur celoces plurimæ volentium ciuium aliorumque, qui eminus navale certamen contẽplaturi pone sequebantur: Existimabant enim rem quam primum factam suos habituros. Verumenimvero etiamsi magnis animis magnoque conatu Frisiabones reliquosque invaderent, tantaque tormentorum vi munimentum navesque eidem circumstantes undiquaque quaterent, ut omnino deserendum id videretur; detrimenti nihilominus parum ipsis inlatum hinc patet, quod coacti tandem Amstelodamenses, post iteratas aliquoties velitationes receptui canere. Nam & Hornensium triremes tormentorum leviores aliquot machinas aggeri intulerant, quibus ita impetiti fuere præcipue, ut intra naves tuto perdurare, aut in proximo subsistere nusquam potuerint.

Borealium Hollãdorũ adversus Amsteloda menses molitiones.

Postridie, quo iterum eadem Frisiabonum propugnacula, sed eventu feliciori, invaderent, uni ex proprijs navibus ignem injecerunt; eamque incendio flagrantem recta, ferente sic vento, in classem & naves, quæ aggerem ea parte circumsepserant, immittere parabant, sperantes hoc pacto hostiles omnes naves incendio absumptas iri, fugamque capessuras. At Frisiabones, re percepta, paululum ventum superantes propius portui ac propugnaculo introrsum recessere, ubi & loco tutiore consistere, & ab aggere ac propugnaculi tormentis defendi liberius poterant: Atque ita acre utrimque prælium commissum, sed Amstelodamensibus minus ex voto: Nam & uno alteroque ex ipsorum navigijs tormentorum continuo impetu funditus pessundato; & alijs vado adhærescẽtibus, coacti sunt tormenta majora anchorasque in profluentem Yam abjicere, quo expediti⁹ evaderent. Hæ similesque navales victoriæ Noorthollandis animos addebant: Enchusanis præsertim; qui eodem pæne temporis tractu, obveterata quædam navigia in ipsis Yæ faucibus, perforatis carinis multoque saxo saburratis, deprimere parabant; ut ita & accessum onerarijs navibus, & exitum præcluderent; simulque negotiationem, qua omnibus reliquis urbibus etiam tum præstabant Amstelodamenses, civibus eriperent: Quę tamen omnia frustra fuere, cum ob saburram leviorem, tum accessum & recessum undarum perpetuum, qui ista, quamvis ponderosissima, loco paulatim commovit, atq; alio inque frustra disjecit. Quin & eadem oportunitate Enchusani portorium illud nauticũ, vulgo *paelgelt* appellatum, sibi tum persolvendum curarunt, hodieque retinent: Quod anno 1452 Amstelodamensibus, confecto super ea re Philippi Burgundi diplomate, cõcessum indultumque fuisse jam ante notatum ad annum eundem 1452, ubi de reb⁹ Philippi egimus.

Dum hæc utrimque tentantur Hispanus arctissima jam obsidione Haerlemum terra cinxerat: Et Amstelodamenses a parte lacus Haerlemici omnia quoque infesta triremibus suis reddebant. Commeatus, qui in castris commodo pretio haberi poterat, ex diœcesi præsertim Trajectensi per aggerem Diemensem, qui Amstelodamum ducit, nulla difficultate perferebatur. Quod ut impediretur, Sonoyus complures naves milite complet, citisque velis aggerem inopinato invadit, ac locis duobus, magno hiatu facto, perforat: In medio propugnaculum ex terra aggesta excitat, satis adversus qualemcunque incursionem munitum, modo victus ac commeatus suppetisset. At Sonoyus dum ad Frisiabones redit necessaria omnia ac militarem præsertim annonam curaturus; confestim advolant Amstelodamenses, viginti tribus instructi aquarijs navigijs, eaque bellicis machinis

In aggerem Diemensẽ Sonoy expeditiones.

chinis omnique apparatu Castrensi probe munierant: Nam in amissione hujus aggeris quantum momenti positum esset, haud ignorabant. Primum impetum in navigia Frisiabonum, quæ paululum extra propugnaculum servabant, totis viribus fecere. Sed illi, senis aut quinis tantum navibus, resistendo tam magno numero nequaquam pares, aggeri quam proxime naves suas adigunt, solatij nonnihil atque opis vel a novi propugnaculi majoribus tormentis sibi sperantes. Amstelodamenses, rejectis fugatisque ad interiora propugnaculi Frisiabonibus, rebus, ut videbatur, prospere fluentibus, victoriæ occasionem haud omisere. Nam & aggerem statim invasere, & propugnaculum utrimque, id est, qua Mudam & qua Amstelodamum spectabat, excitatis derepente terreis obicib⁹ ac loricis, arte obsidere cœperunt. Atque inde a parte meridionali ejusdem aggeris lacũ quoque Diemensem minoribus lembis pæne totum complevere: nam a Borea præcipua, quam dixi, classis in anchoris stabat. Ipsum porro propugnaculum continuis fere oppugnationibus undiquaque infestare non desiere: nec obsessi suo deerant muneri.

Sonoyus interea ad Noorthollandos reversus quam citissime naves circiter quadraginta instrui; commeatum & apparatum aliaque necessaria, & militem præsertim, adesse imperat. Moxque paratis omnibus, ipso Palmarum festo, vela ventis data, & Yam usque, priusquam advesperasseret, feliciter perventum. Amstelodamenses tantam cernentes navium copiam, & jam plenis in se velis iri, fugere primum cœpere: Quo autem Yæ propiori alveo potirentur, semel atque iterum, ob ventum adversum, adhibenda erat velificatio & obliquandus sinus. Sonoyus qui eadem in navi cum architalasso primus in ordine pergebat sibi metuens ne forte priusquam reliqui appropinquarent ab Amstelodamensibus interceptus hæreret, propius accedere destitit; simulque vela vertens ad suos regredi parat: Quo conspecto, qui subsequebantur, fugere Sonoyum credentes, sibi quoque consulere quisque cœpit. Idque subito conspicati Amstelodamenses, qui fugere cœperant, fugare mox adversarios incipiunt strenueque insequi: quorum etiam uno potiti; qui in ordine ultimus terga claudebat. Hoc perpetrato, iterum ad aggerem ac propugnaculi obsidionem rediere. Quamuis alij hæc aliter referant. Nam aiunt Amstelodamenses ex oppido eminus suorum fugam animadvertentes, grandioribus navigijs ad suppetias ferendas accurrisse: idque Noorthollandos terruisse atque in fugam conjecisse. Verum utcunque fuerit, jactura ac dedecus ex ea fuga utraque magna ac pudenda fuerunt. Qui in propugnaculo Diemensi erant, cum primum eminus subsidium speratum jam adesse conspicerent, vela ac suppara suarum navicularum in altum adducebant, omniaque agebant, quo socijs forinsecus innotesceret se quoque ad prælium paratos, & ad futuros in tempore. Inter cæteros, qui majorem triremem regebat Iohannes Schafftius Hornanus animos commilitonibus, quantum poterat, addebat. Verum spe illa suppetiarum decollata, animos paullatim remittere cœperunt; diem nihilominus unum atq; alterum adhuc in maxima fame rerumque inopia perdurãtes, si forte novum subsidium interea accederet. Tandem ubi omnia conclamata viderentur, cum obsidentibus honestis rationibus agere ac pacisci satagerunt: Sed cum aurem illi præbere renuerent, extrema tentant, & nocte intempesta medias per obsidentium naves sibi viam vi facientes, inque aggeres Frisiabonum recta transgressos insectati Amstelodamẽses, quosdam adhuc intra naves; alios in terra, qui fame exhausti celerius progredi nequibant, deprehensos interimunt. Schafftius, qui primus Frisiabonum solum attigit, triremem suam, priusquam in terram excederet, in conspectu adventantis hostis, concidit ac fundo immersit, inutilem hosti prædam; sibi novo animositatis exemplo haud levem gloriam relinquẽs. Aliqui etiam in propugnaculo relicti, qui in naves se conjicere nequierãt, dum sibi quisque consulit, vel trucidati similiter, vel aliquis, dum enatare conantur, hausti sunt. Hic expeditionis hujus eventus fuit, miserandus nimirum ac dolendus: qui esse gloriosus ac Patriæ salutaris potuisset, si consilio fortasse maturiori tentata fuissent omnia. Magnum enim haud dubio momentum attulisset servatum hoc propugnaculum; quo præcipuo commeatu militarique annona intercluderetur, Haerlemum circumquaque atque arctetum obsidens Albani exercitus.

Iã Taems. Scafft.

Sonoyus tamen, ut in omnia se paratum probaret, priorique fugæ, quantum in se esset, cicatricem obduceret, vix terram attigerat, quum novam iterum classem, eamque multo majorem, undiquaque ex Noorthollandiæ oppidis expediri curavit. Verum, parata ea, & Edamum usque perducta, Diemense propugnaculum deditum desertumque intellexere. Classe nihilominus eum in modum instructa paratisque omnibus, Yam versus progressi universas illas Amstelodamensium præsidiarias naves loco cedere, intraq;

palorum

palorum urbis septa se subducere, ibidemque consistere exinde coegerunt.

Atque hinc ipsis Calendis Iunij denuo in aggerem Diemensem procinctus a Sonoyo motus. Convenerant manipularium vexilla quinque, fossorum magna manus, navium prætoriarum octodecim. Hi solventes ex propugnaculo, quod in Frisiabonibus juxta vicum Schellingwoudæ collocatum habebant, recto cursu in Aggerem Diemensem trajiciunt, eundemque, paucis ex suis desideratis, secundo invadunt & capiunt: Simulque munimenta ibidem sex constituunt, quorum tria Mudam versus, reliqua Amstelodamũ spectabant. Amstelodamenses, qui in eorum medio ad aggeris defensionem desertum illud jam ante a Noorthollandis propugnaculum tenebant, sæpe, sed frustra, eos è statione dejicere conati, tandem quinque triremibus alijsque minoribus lembis in lacum Diemensem progresi sunt. Quibus occurrere haud segniter ijdem Noorthollandi; qui, perforato aggere, eundem in lacum suas triremes aliaque leviora navigia deduxerunt, seq; invicem crebris utrimque velitationibus infestavere. Inter cætera, operæ est referre, majorem Amstelodamensium triremem, quam novam appellabant, obviam forte fortuna habuisse ex Noorthollandorum navigijs triremem mole quidem exiguam, sed instructã alias haud tumultuarie. Eam Amstelodamenses per jocum & risum incessentes, oriam appellabant & (a) radicariam scapham, intraque suam triremem facile collocaturos se eam, ludentes jactabant. At Noorthollandi, ubi ad rem & manus ventum est, tanto animorum ardore in adversarios impetum dedere, ut radicaria sua oriola magnam illam triremem superarint ac ceperint, intraque munimentum, quod in aggere erat, una cum manubijs multisque captivis ovantes deduxerint.

Postrema in aggerem Diemẽsem expeditio.

Een wortel schuyt.

Parabantur interea Hornæ itemque Enchusæ quadraginta adhuc prætoriæ naviculæ velis habiles, citæ remis inque omnia flexiles ac paratæ; quæ eundem in lacum Diemensem destinabantur, ut ita tandem omnis cum Amstelodamensibus tum Hispanis præsertim Haerlemum etiamnum præfracte obsidentibus præcideretur commeatus. Batenburgius eundem in finem Oudekerkam in propinquo sitam suis cum manipularibus invaserat, quamvis & oppidani Amstelodamenses se fortissime eidem opponerent. Sed frustra hæc omnia fuerunt, cum Haerlemenses obsidionem tolerare diutius tum nequirẽt.

Haerlemo dedito Amstelodamum confestim venit, atque inde Haerlemensia castra intravit lustravitque Albanus, *Et campos ubi Troia fuit.* Reversus mox reliquam jam Hollandiam, Borealem præsertim, spe totam devoraverat; statimque classem triginta circiter maximarum navium properari curavit, eique Bossutium Comitem præfecit. Prætoriarum præcipua, INQVISITIO nuncupata, solis Amstelodamensium sumptibus ædificata, tantæ erat magnitudinis, ut in isto maris sinu nunquam ejus molis alia fuisset conspecta: Erant in ea XXXII maxima, ex ære fusili, tormenta: Præter nobiles & navales, ducenti milites Hispani exercitatissimi, sub Ducibus Ferdinando Lopes & Corquera: Comes ipse, & Dominus Cruningus cum alijs aliquot. Omnibus jam paratis ventus expectabatur propitius, & æstus maris secundus: quos nacti oram solvunt, feliciterque inter depressas (a) naves, & hostium machinationes in mare propatulum delati sunt. Hic statim Enchusanos, Hornanos aliosque ejusdem tractus habuere obvios; quibuscum per aliquot dies levibus prælijs certarunt, donec tandem XI Octobris Bossutium archithalassum secundo vento ad se pergentem Boreales Hollandi conspicati; prætoriam ejus navem harpagonibus & uncinis ex prætoria sua (in qua erat, præter Admiralium Cornelium Theodoricum, Ruychaverius) strenue invadunt, alijsque minoribus navigijs cinctã tenent. Pugnatum est acriter, idque viginti quatuor circiter horas, tanta vehementia & contentione, ut non tantum carinæ, fori & pergulæ humano sanguine exundarent, sed effusi etiam perque columbaria decurrentis sanguinis copia cæruleum illum maris colorem in sanguinem ac purpureum quasi mutaret. Defendebat se suosq; Comes graviter: sed cum classem suam minui magis magisque animadverteret (una enim navium ipsius in fundum depressa perierat, duæ in potestatem adversariorum venerant, & aliæ duæ in brevia & syrtes impactæ ab ijsdem circumventæ tenebantur, nec vicarius Franciscus Bossusius cum reliqua classe satis animose, uti rebatur, rem gereret; Hollandorum autem classis in horas recentibus munitisque navibus augeretur, amissis è suis plurimis, se prætoriamque navem, quam Inquisitionem appellatam dixi, dedidit; captusque cum alijs, qui bello erant superstites, Hornam abductus, ibique ad pacem usque Gandavensem detentus est.

1573.

De wraeken.

Navale inter Bossutiũ & Noorthollandos certamen.

Albanus, infelici suorum pugna intellecta, & jam ante Alcmaria quoque obsidione Hispanorum liberata, Amstelodamo se confestim proripuit; idque turpi fuga. Nam pridie

 die

die discessus sui iterato ebuccinari mandaverat, ut quicunque crediti solutionem desiderarent, ad diversorium suum, quod erat in ædibus Iohannis Persinij, accederent, accepturi quod deberetur. Accessere continuo quamplurimi, quorum alij centum, alij ducentos coronatos, alij plus minusque exigebant; nonnulli mutuo datum repetebant. Albanus præsentes omnes animadvertens technam machinatur jubetque adesse postridie horam circiter octavam; tunc satisfacturum se singulis. Verum ille præoccupans, & ante diluculum iter ingressus insalutatis creditoribus, Bruxellam abit: Atque inde in Hispaniam profectus, Ludovico Requesenio, ex familia Ducum Sessiæ, magno Regni Castiliæ Commendatori, a Rege in ejus locum submisso, tyrannide ac crudelitate pæne exhaustas provincias reliquit: Caniturq; adhuc apud Hollãdos passim in Circis ac vulgi Compitis, idque rhytmis, vernaculisq; cantiunculis, *Banckerotam* Amstelodami fecisse: Quod in eos, patria loquendi consuetudine, jaci solitum, qui conturbatis accepti expensique rationibus, cum solvendo non sint, foro & bonis cedunt.

Albanus Amstelodamo clam decedit, ære alieno non soluto.

1574. Novum sidus, quod in via Cœli lactea, quindecimum jam mensem magno prodigio fulgebat, tandem sub anni 1574 initium, colorem ac magnitudinem paulatim mutans apparere desijt, exortum videlicet anno 1572 Novemb. XI. Variorum de eo varia judicia fuerunt, præsertim cum non vulgare aliquod meteoron, sed in ipso æthere, & ut dixi, in orbe lacteo ad oram asterismi Cassiopææ sedem fixisset. Quod & adstruebant mathematicorum accuratæ passim observationes uno fere ore asserentium, nec paralexin, nec ullum inter verum & apparentem stellæ locum discrimen a se animadversum; ut omittam, quod ijdem adferebant, sub eodẽ octavæ sphæræ situ perpetuo constitisse. Gẽma Frisius vetustum quoddam Sibyllæ quasi Tiburtinæ vaticinium latinis characteribus exaratum, inque Tauri montibus apud Helvetios, anno 1520, inventum, in sua de divinis characterismis lucubratiuncula huc traxisse videtur: in cujus initio legitur; *Orietur sidus in Europa supra Iberos ad magnam Septemtrionis domum, cujus radij orbem terrarum ex improviso illustrabunt.* Et post pauca; *Eodem fere tempore, hoc demerso sidere, coævum quoddam ejus lumen longe ardentioribus Mavortis ignibus exardescens Antipodum finibus occludet imperium,* &c. Cujus vaticinij quamvis nec adstruere nec elevare fidem animus sit; hoc tamen dicam, experimento comprobatum, anno statim exinde tertio, anno nimirum 1577, post Gandensem pacificationem, subsecutum ingentem illum Cometam, qui trimestre fere integrum fulsit: Vt merito, præter alia, Belgicarum cladium, ac status præsertim rerumque ac Religionis sub Iberi imperio conversionis, fuisse hæc prænuncia dicere liceat; quomodo Hipparchi quoque illa olim stella nova, cujus magnifice Plinius meminit, inclinationem Monarchiæ Græcorum; & Romani imperij incrementa præcessisse quasi ac portendisse dicenda videatur. Inter Theologos etiam doctissimus ille & clarissimus Theodorus Beza Vezelius, quid de eodem hoc sidere senserit, ejusmodi epigrammate testatus est:

Novum sidus; & de eo varia judicia.

Lib. 2. cap. 26.

Iste novus nullo ferali crine Cometes
Et radians puro, cui nitet, igne, jubar.
Ecquid portendat terris, DEVS *ille Deorum*
Novit, & ostendent tempore fata suo.
Quod si humanæ aliquid possunt præsciscere mentes,
Talia scrutari nec mihi signa nefas:
Hic ille est, olim parvam Davidis ad urbem
Duxit ab Eoo qui prius orbe Magos:
Et qui nascenti præluxit, nunciat idem
Ecce reducem reducem rursus adesse Deum.
Huic igitur felix o turba applaude piorum,
Tu vero Herodes sanguinolente time.

Albanus igitur, cruore innocentium multifariam fœdato, in Hispanias jam reverso,
1577. ne adhuc quidem Amstelodamenses de statu mutando cogitarunt. Quaptopter anno 1577, 23 Novemb. chiliarcha *Hellingus* & Capitaneus *Ruychaverius* per insidias cum aliquanta militum manu urbem ingressi, cæsis in porta excubitoribus, ad forum procurrunt, obvios quosque occidunt, senatoriam domum occupare tentant, urbem suam esse exclamantes: Cives attoniti ad arma extemplo ruunt. Fit atrox multis in locis pugna. Succedunt novæ Ruychaverij copiæ: in eas impetum cives facere, retardare, in fugam vertere: At illi audacius resistere, munitiones ligneas exstruere, in cives glandium imbrem

Amstelodamum a Ruychaverio invaditur.

brem effundere, multi utrimque cadere. Sed cum, vento minus favente, exspectatæ vires tardius adventarent, post horarum aliquot pugnam, urbe ejecti in naves, Hellingo alijsque suorum desideratis, se recipiunt. *Ruychaverius*, qui vivus in potestatem civium venerat, a capitali sibi inimico inexpectatò trucidatus est. Natales illi, & vitam hæc ipsa urbs, quæ eripuit, dederat; amissusque vir fortissimus, & qui patriæ difficillimis sæpe temporibus salutaris maximeque necessarius fuerat. *Nicolaus Ruychaverius cæditur*

Interea, veluti obsessis adhuc agentibus oppidanis, Consul urbis *Petrus Petri* apud Austriacum, qui tum Requesenio successerat, diu multumque intercessit, ut subsidium mitteretur. Austriacus literis quidem obsessos solatus est, viam interim modumque succurrendi non invenit. Nam & arctissime non terra tantum, sed & mari ab Auraici milite intercludebantur itinera, ut nihil pæne commeatus advehi usquequaquam potuerit. Cũ itaque hinc ab Auraico, illinc a civibus sollicitarentur, ut ad vota meliorum se componerent, rerumque necessariarum copia deficere inciperet, magistratus inter se civesque dissentire clanculum cœpere; his pacem accipiendam esse suadentibus; illis vero reclamãtibus. Vicit opinio pacem desiderantium: Mittuntur Consules & Senatores Hagam Comitis, qui conditiones paciscerentur. Diu multumque deliberata ventilataque sunt omnia, priusquam inter se partes potuerint convenire. Tandem inuentum est medium, pacemque utcunque votis accommodatam acceperunt: cujus præcipua hæc fuere: ut nimirum religionis reformatæ civibus liberum esset extra urbem conciones frequentare, sacra sua exercere; cadavera, quo vellent ritu, cœmiterio ad hoc intra urbem destinato inferre: ut militaria sex signa, quæ hactenus magistratus stipendio meruerant, exauctorarentur, & alia in eorum locum ab oppidi Capitaneis sufficerentur: ut Saggittariorũ collegia restaurarentur, supplerenturque ex civibus sine exceptione omnibus. Verum & hęc omnia exiguo tempore rata fuerunt: Cum enim religioni reformatæ addicti adversarios insimularent, quo minus omnia ex præscripto ab ipsis præstarentur, præsertim quod attinebat ad Sagittariorum collegia: quin etiam animadverterent apertas & quotidianas cum Austriaco collusiones, quæ tandem in terga sua erumperent; rem maturiori consilio expendentes novosque motus, & ut dici solet, *aspondon polemon* extimescentes, unanimi consensu Hollandiæ reliquæ se associandos censuere: Atque ita factioni Hispanicæ pertinaciter adhærescens magistratus, præsentibus ORDINVM Hollandiæ ac Zelandiæ deputatis Domino de *Mateneſſe*, & Domino de *Myle*, ex urbe propalam a tribus Sagittariorum sodalitijs deductus est. Minoritarum quoque cœnobium universo illo grege vacuefecerunt; cæterosque monachos & sacrificulos, qui multa hic turba confertimque ex locis vicinis, ut diximus, affluxerunt, universos amandant, templaque passim imaginibus ac statuis despoliant: inque ijs purum Dei verbum (rejectis tot adscititijs & gentilismum verius, quam Christianismum redolentibus nænijs) publice sonare permittunt. Hoc Austriaci Hispanorumque rebus sicuti perincommode accidit, ita Hollandiæ universæ saluti fuit. Tunc enim, apertis circumquaque omnique hostili atque intestina adversariorum molitione liberatis portubus, efflorescere Hollandia, urbes ditescere, & libere agere, interque eas præcipue extollere caput cœpit Amstelodamum: idque poetæ verbis, tantum præ reliquis, *quantum lenta solent inter viburna cupressi.* Vnum interea provinciarum urbisque se indies magis magisque exerentis felicitatem turbare videbatur, ferale nimirum illud Hispaniæ Regis anni 1580 edictum, quo illustrissimum Principem Auraicum, Patriæ patrem, aut occidendum, aut ad se vivum deportandum, omnibus proscribebat, percussori ac sceleris patratori, præter alia, si nobilis non esset nobilitatem, & aureos insuper xxv mille pollicitus: Qui &, anno 1584, invenit, qui tam immane & ipsis olim Ethnicis detestandum scelus auderet; detestandum dico; nam Romanis quid fuisset facilius quam Epirotarum se metu liberare, si unum hoc modo Pyrrhum, Italiæ visceribus incubantem, sibi superandum censuissent? At illi fide atque integritate nihil sanctius, etiam adversus hostem, rati ipsum percussorem, & qui se neci patrandæ sponte obtulerat, Pyrrho prodiderunt; data ad eum epistola, in qua, inter cætera, hæc leguntur: *Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui sibi pretium a nobis peteret, si te clam interfecisset. Id nos negavimus velle: neve ob eam rem quidquam commodi exspectaret: & simul visum est ut te certiorẽ faceremus: ne quid ejusmodi si accidisset, nostro consilio civitates putarent factum: & quod nobis non placet pretio, aut præmio aut dolis pugnare.* Eosque exinde imitatus, hac saltem parte, Tiberius Imperator Adgaudestrium Cattorum Principem Arminij necem similiter pollicentem, magno animo respuit, respondens *Non fraude & occultis, sed palam & armatum populum Romanum hostes suos ulcisci.* Inter CHRISTIANOS vero PAPA ipse Romanus Gregorius

Amstelodamenses cum Auraico paciscuntur.

1578.

(a) perpetuum & implacabile bellum.

1580.

Est apud Gell. lib. 3. Noct. Att.

Tacitus lib 2 Annal. sub finem.

(Verba Gregorij hęc sunt. lib. 7. Ep. 1. Vnum est quod suggeras dominis nostris, quia si ego servus eorũ in morte Lõgobardorũ me miscere voluissem, hodie Lõgobardorũ gens nec Regẽ, nec Duces, nec Comites haberet, atque in sũma cõfusione esset divisa. Sed quia Deũ timeo, in mortẽ cujuslibet hominis me miscere formido.

(a) Gregorius Longobardos haud magno negotio in ordinem redigi atq; Italia extrudi hac via posse sciebat, sed nefas esse, presertim Christiano homini Deumque timenti, ca se ratione vindicare pronunciabat. At quam hodie dissimiles quam degeneres, non ab illo solum sacrorum suorum coryphæo Gregorio Magno, sed Ethnicis quoque, isti Christiani & Catholici, ut audire volunt, Principes, & ea præsertim sacerrima capita, qui exemplo suo prælucere ipsis Principibus pietate ac fide deberent! Nam anno 1591 horribile scriptum è Iesu Societate (vel, ut verius dicam, ex Avernali Styge, Lugduni apud S: unionis Gallicanæ bibliopolam ex præcepto Superiorum, de justa Henrici III. è regno Francorum abdicatione, ut titulus habet, in lucem prodijt; quod non consilium modo & facinus Iacobi Clementis, Dominicani monachi, in Rege trucidando cõmendat & probat, deque eodem mirifice, veluti in exordio fabulæ, paratragœdiat; verum etiam hisce verbis in operis antilogio autor uti, inter alia, non erubescit: *Non id agere voluisgimus tantum, ut Henricum III abdicemus, quod factum nuper & probatum divinitus etiam gratulamur, sed omnino ut impios ac tyrannos a nobis excludamus, ut Galliam, imo omnium animos ad pestem hanc excutiendam excitemus, ut in prototypo nequitiæ Henrico, quid in Principe execrari quid fugere oporteat doceamus: Prorsus ut cum hæc communis alterius HENRICI IV pariter impij, hæretici, relapsi, tyranni, sacrilegi, impuri, incesti, homicidæ, atque adeo excommunicati, & ut nunc audimus, etiam hypocritæ, causa sit, propterea fiat, ut cum de priore juste abdicato diximus, de hoc quoque excludendo, imo conterendo ac perdendo dixisse videri cupiamus.* Quo quid sceleratius, quid in Principes omnes, qui Loiolitis minus ex voto sunt, efferri aut scribi detestabilius potuit? Et sensit haud longe post, ille ipse, quem tangit, fortissimus atque optimus Regum HENRICVS NAVARRÆVS, Francorum ejus nominis Rex quartus, haud in vanum, aut in aerem ejusmodi exhortationes fieri. Nam anno statim 1594, Iohanne Castelio, Iesuitarum discipulo, in eum immisso, circa maxillam excusso dente, convulneratus est. Et nunc, dum ista scribimus, celebrata Reginæ coronatione, maximisque adhuc Regni rebus intentus obiterque per publicum pilento vehens a simili sicario, ingenti totius Regni omniumque bonorum dolore, nefarie confoditur. Distichon, quod utriusque Henrici, tertij nimirum & quarti hujus, necnon & secundi miserandam simul necem loquitur, ejusmodi statim divulgatum est.

HAVD EQVVS, HAVD DOMVS EST, HAVD TVTVS DENIQVE CVRRVS,
ECCE TOT HENRICI TOT PERIERE LOCIS.

Sed nos ad nostra redeamus. Annis deinde aliquot sequentibus, cum jam fœderatæ
1581. Provinciæ Regem Hispaniæ, ob tyrannidem, inter cætera, manifestam, patriæque multifariam violatas leges (ad exemplum nimirum aliarum liberarum gentium, ut Laconũ,
1582. qui Pausaniam; Romanorum qui Neronem præcipue & Maximinum; Venetorum, qui Falerium; Danorum, qui Christiernum simili fere de causa damnaverant) ipso jure excidisse Principatu, unanimiter & pronunciassent abjurassentque, nubeculæ etiamnum quædam intervenere subinde, dum Regem adhuc nonnulli respicerent: Quorum, anno
1585. millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, dearmatis alijs, alijs urbe ad tempus exclusis, reservata fuit stabilitaque civium publica tranquillitas, Martino Ædituo, Regnero Cantio, Egberto Rodolphi, Petro Boomio, Magistratu tum urbis fungentibus. Atque hinc ad tempora nunc feliciora transeamus.



HISTORIA

RERUM ET URBIS AMSTELODAMENSIUM HISTORIA

LIBRI SECUNDI

PROEMIUM.



DHUC urbis veluti *ferreum*, atque inde *argenteum* quasi *seculum* enarravimus: nunc, quæ sequuntur, ad *aureum* quodammodo *ævum* referẽda. Nam sane primis illis exordijs, cum homines piscatores, quibus *hami & harundines*, ut ille ait, *quæstu & cultu sunt*, dynastarum suorum, Amsteliorum inquam, communi adhuc infortunio jactarentur; Hollandiæque deinceps Comitatui accensi, aliquam quidem urbis formam ac statum habere cœpissent, ita tamen Comitum eorundem presi jugo, prope ducentis annis domi forisq;, dum bella semper spirarent Principes, luctati sunt, ut vere id omne tempus ferro assimilem. Postea sub Burgundico imperio, defuncta Iacoba, cum bona jam fide, annos plurimos adolevisset cum populo civitas, nec cum vicinis modo, sed exteris quoque mutua succrescerent cõmercia, primum hoc veluti robur urbis, & mitius ęvum, ideoque *argenteum* dixerim: Ac denique nostro hoc seculo, quod duorum & triginta tantummodo annorum spatium cõplectitur, dum domi locuples, foris potens, non Europam modo & Africam, sed Asiã quoque, & ultra Atlanticum mare, novos orbes navigijs commercijsque civis peragret, mercibusque, præter Picorum glebas, exoticis ac pretiosis horrea repleat, jure ad *aurea* hæc *tempora* referam: Atque ita civitas (novum & dignum memoratu) quod annis prope modum trecentis sub Comitibus & Burgundico Principatu, modo adversis, modo prosperis varie agitata, adipisci nequijt, hisce duobus & triginta, qui sequentur, annis assecuta præcipue, ut esse par Orbis terrarum emporijs commercijsque posit

CAP. I

Monasteria in alium usum instaurari cœpta: deque Monasteriorum ortu ac progressu breve Parergon.



ELATUM superius, Hollandiæ Comites monasticis atque ecclesiasticis modum per edicta ponere aliquoties conatos, ne emptis passim civium nobiliumque latifundijs, aut hæreditate ad se corrasis, tam mobilibus quã immobilibus, ut vocant, possessionibus, civitatis enervarentur vires: Idẽque a Carolo quoq; quinto severe, repetitis firmatisque priorum edictis, inhibitum: Et denique anno 1578, cum ad summa jam omnia venissent, mareque illud magnum, in quo cum ceteris piscibus habitant Leviathan & Behemoth, cete edidissent grandia, belluas & reptilia, quorum non est numerus: De quo exiliunt tot coloris & oris diversi simiæ, tot insolentissima poscinummia, tot palliata mendicabula, tot cucullata monstra, barbigeri, restigeri, saccogeruli, lignipedes, nudipedes, atrati, albati, chlamydati, versicolores, stolati, paludati, præcincti, & id genus aliorum turba histrionum; cum, inquam, hæc omnia anno, quo dixi, urbe exigerentur, instaurari paulatim eadem ædificia, inque alium & meliorem usum converti cœpta. Primum & præcipue Orphanocomium commodiore atque ampliore ratione formatum; Scholæ luculentius institutæ, 1578.

 Valetudina-

Valetudinaria, Xenodochia & denique Ergasteria & Gerontocomia, aliaque aut aucta liberaliter, aut instituta de novo: De quibus omnibus ordine, & secundum annorum, quantum potest, succedentium seriem, dicendum adhuc superest; illud tantum obiter præmittendum, aut respondendum potius istis, qui forte calumniam ferent, nos esse qui majorum præclara instituta refringimus, qui invertimus res cunctas, & ipsa vetustate verendas, cœlum quasi terræ miscentes. At si verum volumus amoto, quod dicitur, velo; & ab ipsis exordijs altius omnia recolligere, quid habet simile hodiernus monachatus cum prisco illo & primo seculo? Hieronymus Stridonensis, qui anno a Christo nato trecentesimo & nonagesimo floruit, scribit initio statim vitæ Pauli Heremitæ inter plurimos sæpe dubitatum esse, a quo potissimum monachorum eremus habitari cœpta sit, quosdam altius repetentes a beato Elia & Iohanne sumpsisse principium: alios ad Antonium retulisse. Sed ipse litem quasi componens, negat ad Eliam aut Iohannem hoc instituτum pertinere, sed Paulum quendam Thebanum primum monachorum facit; qui ob persecutionem sub Decio & Valeriano in remotiora Thebaidos loca secesserit: Eamque sententiam veritati consonam esse patet ex eo, quod Ecclesiastici autores, quotquot a Iustino Martyre ad Cyprianum usque scripsere, nullibi monachatus meminerint. At si receptus ante fuisset, multa de illo testimonia exstitissent: at nulla exstant; & vetustissimus scriptor Tertullianus, utpote qui Hieronymo plusquam integro seculo antiquior est, satis aperit suo ævo nullos eremicolas fuisse, cum id genus lucifugas detestatus de se & sui temporis Christianis dicat; *Non sumus silvicolæ & exules vitæ*. Monachatus igitur ignotũ vitæ propositum prisco præsertim Christianismo fuerit. Atque ille ipse, qui Hieronymi ævo percrebuerat, quam ab hodierno alius exstiterit, facile qui epistolam ejus ad Rusticum monachum, ad Heliodorum, atque alios legerit, cognoscet. Præsertim in Epistola, quam scribit ad Rusticum de Monachi institutione nihil eorum præcipit, quæ hisce temporibus a monachis exiguntur. Permittit possessionem rei familiaris, modo sit moderata: permittit vitam agere cum matre, cum sorore: denique cum quibuslibet viris aut mulieribus, modo fugiat suspectam ac periculosam consuetudinem. De monasterio certo, de figura, aut colore, aut materia vestis, nulla uspiam mentio. Tantum ejusmodi vestitum vult esse, ut nec sordibus hypocrisin, nec nitore fastum pręferat. Iam de tribus illis votis, quæ vocant solennia, ne verbum quidem ullum. Imo nihil aliud fuisse tunc videtur monachi professio, quam priscæ liberæque vitæ meditatio, ac vere Christianæ. Augustin⁹ quoq; qui eodem adhuc Hieronymi ævo claruit, neutiquam interdictã monachis clericisq; rerũ suarũ possessionẽ similiter dicit, sed res proprias possedisse ac usos cõjugio. Verum ipsa verba adjiciam ex libro de hæresibus, ad Quotvultdeum; *Apostolici*, inquit, *qui se eo nomine arrogantissime vocaverunt, eo quod in suam communionem non reciperent utentes conjugibus & res proprias possidentes; cujusmodi habet catholica ecclesia & monachos & clericos plurimos, utentes nimirum conjugibus, & res proprias possidentes*. Nec alios agnovit Sidonius Apollinaris, qui etiam id præcipue curasse suo ævo monachos ait, ut optimis se primum, atque inde alios disciplinis instruerent. Idque de Epitaphio ejusdem in honorem Claudiani Marmerci Episcopi, colligere est, in quo ista leguntur:

Cap. 42 ad versus Gentes.

Hoc dat cespite membra Claudianus,
Triplex bibliotheca, quo magistro
Romana, Attica, Christiana fulsit:
Quam totam Monachus virente in ævo
Secreta bibit institutione.

Denique & Prudentius, qui inter Augustinum & Sidonium medio ævo, sub Arcadio nimirum & Honorio, florere cœpit, diserte indicat nihil a Christianismo olim alienius fuisse, quam teneram ætatem, nec sui adhuc compotem votis ac vitæ monasticæ adstringere. Severe enim gentium hunc morem reprehendit, quod puellulas, quæ nondum ad justam ætatem pervenissent, nec de se ac vitæ genere statuere poterant, Vestæ penetralibus coactæque virginitati volentes nolentesque consecrarent. Quid enim aliud nostro hoc seculo dici in moniales possit, quam hoc ipsum? Sed ipsos in medio ponemus, quos dixi, Prudentij versus, non minus signate, quam eleganter rem omnem exprimentes:

At primum paræ teneris capiuntur in annis
Ante voluntatis propriæ quam libera secta

Laude

Laude pudicitiæ fervens, & amore Deorum
Iusta maritandi condemnet vincula sexus.
CAPTIVUS PUDOR *ingratis addicitur aris,*
Nec contempta perit miseris, sed adempta voluptas
Corporis intacti, non mens intacta tenetur.
Nec requies datur ulla thoris, quibus innuba cæcum
Vulnus & amissas suspirat fœmina tædas.

Quod autem Loiolitæ mordicus hodie defendunt, idque Eusebij unius inducti testimonio, Essenos Philoni nominatos Christianos etiam monachos fuisse, quam se eo ipso imperitos ac veritatis manifestarios prævaricatores ostendunt. Nam Hieronymus, quem modo laudavimus, quemque Eusebij studiosissimum fuisse constat, merito quæsierit quispiam cur eam Eusebij de vetustate monachatus sententiam secutus non sit; adeo ut ne meminerit quidem, imo contraria plane attulerit, ut patuit ex ijs, quæ de vita Pauli Eremitæ recitata nunc sunt. Ejusque rei quænam causa sit alia, quam quod animadvertit vir accuratissimus Hieronymus impositum Eusebio ob nomen monasterij, aliaque nonnulla, quibus Philo utitur? Nam Esseni isti quam fuerint mere Iudaici Philastrius quoque ratum faciet, qui monachorum eos vitam tantum exercuisse, & in Christum minime credidisse ait. Sed concedamus cum id tam acriter pertendant socij, Philonis Essenos quiddam habuisse monachis hodiernis simile, aut ex ijs originẽ accepisse ipsos monachos, quid jam non dicunt, quod non esse verum omnes fatebimur, genus nimirum hominum inter Christianos superstitiosissimum a gente superstitiosissima sumpsisse originem? Tantam enim Essenorum superstitionem ac hæresin fuisse, ut ob eam templi aditu a reliquis Iudæis prohibiti fuerint, certis autoribus constat. Aut si vetustiora malunt, quid vetat quo minus ad Syllæ tempora monachatus originem referamus? Nam memorat APULEIUS Collegium Pastophororum sub Syllæ temporibus conditum, in quo Isiaci sacerdotes, & ut verbis Apulei dicam, *Religiosi & sacer grex* agebat, *vestitu linteo, capillo raso, vertice prænitentes, stola candidi*: Quorum deinde *(a) pompam* ita describit, ut qui cõparet cum hodierna PAPISTARUM, non ovum similius ovo fateatur. Præter enim *Florum sparsiones*, & *Cereos gestatos*, aliasque cum PONTIFICIORUM pompa communes ceremonias, adorationes etiam refert vulgo celebratas Deæ & simulachri ipsius Isidis: quæ omnia Iesuitarum & Monachorum hodie propria sunt, Divos Divasque per imagines ac statuas apprecantium. Quin & adjicit idem Apuleius, eos qui sacris illis initiantur obstringi non *obsequij* tantum *voto*, sed *castimoniæ* quoque *& ab esu carnium abstinentiæ*; uti hodie Carthusianos omnesque monasticos tria præcipue ista vovere omnibus in confesso est. Adeo ut Philippus Beroaldus, homo quidem Pontificius, & qui annos ante centum in Apuleium Bononiæ commentatus est, ingenue fateatur, ubi locum hunc tangit, Isiacorum ritus retinere fere sui ævi monachos. Quapropter nihil habendũ certius, quam ignotum fuisse ejusmodi vitæ genus priscis illis & veris Christianis; Essenosque apud Iudæos; Ægyptios vero atque Isiacos apud gentes, istius, quem hodie colunt Pontificij monachatus præbuisse originem. Nam invalescente statim Francorum veterum imperio, invalescere quoque plurimum Papismus cœpit, & evanescere gentilismus, sed ita ut, nomine mutato, res præcipuas papicolis relictas gentilismus communi caverit. Quo factum, ut purior ille monachatus, quem prisci patres intellexere, in hanc paulatim formam, & ista tam varia tamque versicoloria animalia degeneraverit. Quod & Theodoretus, Cyri Episcopus, quasi præsentiscere visus est Ecclesiasticæ historiæ I ca. IX, ubi monachatus sui ævi nonnulla ex Iudæorum & Samaritarum aliorumque inanibus institutis ac delirijs ad se transtulisse serio queritur. Verba ex Græco reddita ita habent; *Sunt in illis locis quædam monachorum turbæ, quæ non sanæ assentiuntur doctrinæ, sed vitæ rationem inanibus quibusdam institutis efformatam sequuntur, & insanæ Samaritarum & Iudæorũ dementia se addicunt.* Hieronymus quoque, eodem illo Theodoreti ævo adhuc superstes, improbans similiter atque inhibens invalescentem tunc quodammodo, nunc autem toti monachatui receptum, radendi verticem morem, sic effatur Commentario in Ezechielem: *Perspicue demonstratur rasis capitibus, sicuti sacerdotes cultoresque Isidis ac Serapis, nos esse non debere.* Et statim ibidem: *Rasa capita habet superstitio gentilis.* Quid ad hæc illi, qui perpetuas semper & meras crepant Apostolorum traditiones? Quid? nisi pudorem & pertinaciam adferunt: Et ille præsertim magnus adversus Christum, & sanctos ejus, luctator Baronius, qui ad mentem suam, & monachorum tonsuram defendendam Pauli exemplum adducit, quod Nazareis obsecutus caput raserit. At si coactus, si obsequutus

(a) Hodie Pontificij d'ommeganck vocant.

Lib. 3. cap. 44.

Annal. Tomo 3.

Act. ca. 21 alijs, quæ hæc audacia est Apostolorum id institutum asserere? Sed quid ille non audeat, ille Antichristi juratus Athleta, & qui non veritus est etiam alibi palam profiteri aut approbare, idque verbis conceptissimis; Antiquitatem Ecclesiasticæ consuetudini tantum *12 Tomi Append. ad Tom. 1.* olim detulisse, ut licet adversum eam sexcentæ e divina scriptura sententiæ inferrentur, victricem tamen exstitisse consuetudinem. Sed ille, ejusque socij, *consuetudine* sine scriptura ac veritate triumphent ac gaudeant; nos cum Cypriano, *Consuetudinem sine veritate, vetustatem esse erroris* statuimus; simulque rem ipsam nunc porro aggredimur.

Cap. II.

ORPHANOCOMIUM, superque eo senatusconsulta aliaque statuta.



ORPHANOTROPHII, de quo dicturi sumus, institutionem primogeniam, leges ac statuta priusquam refero, hoc ante omnia tenendum, dupliciter nimirum pupillos omnes censeri; Aut enim pupilli seu orphani dicuntur ij, quibus, licet parentibus orbi sint, ad honestam nihilominus alimoniam atque educationem facultatum a parentibus relictarum satis suppetit; aut ij, quibus a parentibus defunctis nihil, aut perparum, ad vitæ sustentationem hæreditate relictum est. Prioris generis qui sunt, ad institutionem præsentem non pertinent, sed *Lib. 3. infra.* ijs a Magistratu quomodo seorsim prospectum, suo mox loco memorabitur. Tantum ergo secundi hic ordinis pupillos intelligimus: de quibus, omnibusque in genere aliorum tutela egentibus, quid etiam veteres olim, & præsertim Romanus populus statuerit, operæ est verbis Auli Gellij ex lib. 5. cap. 13. Noctium Atticarum huc translatis præmittere: *Conveniebat constabatque ex moribus populi Romani, primum juxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelæque nostræ creditos: secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumque nostrum dederunt: tum in tertio loco esse hospites: postea esse cognatos affinesque. Unde in oratione, quam dixit apud* CENSS. *in Lentulum M. Cato, ita scripsit: Quod majores sanctius habuere defendi pupillos, quam clientem non fallere.* At hodie & Christiano præsertim magistratui, cuique tam pium tamque laudabile institutum serio promovendi studium atque animus est, cum Iobo licebit dicere: CONSERVAVI EGENUM DE MANU POTENTIS, ET PUPILLO, CUI NON ERAT ADIUTOR, AUXILIATUS SUM. Hinc ad senatusconsulta ceteraque veniamus: Primum senatusconsultum occasione ejusmodi latum: Nam cum, anno circiter 1521 & secundo, certæ quædam ædes primitus essent cõstitutæ, in quibus pauperiores pupilli ex civium honestiorum elemosynis alerentur educarenturque, judicavit omnino Senatus ejusmodi officium piumque propositum, modis omnibus juvandum promovendumque; ideoque, ut res felicem porro successum haberet, tale Senatus decretum consultumque tunc anno 1523, factum, ut sequitur:

Primo in Orphanotrophium non nisi civium liberi ijque annis novem inferiores, utroque etiam parente orbi; quorumq; parentes civitatis jus annis duodecim habuerint, admittontor. Spurij, & illegitime nati, nulli intromittontor.

Hinc anno 1582 Feb. 14. triginta sexum-virum decreto indultum ut civium defunctorum liberi annos duodecim nati admitterentur; quorumque parentes municipium ac jus civitatis annos septem obtinuissent.

Cautum insuper ut bona universa, quæ a pupillorum parentibus relicta invenirentur, quorumque liberi Orphanotrophij introducerentur, in commodum cederent Orphanocomij: utque nullo modo in Orphanotrophij præjudicium aut detrimentum eadem bona vel dispergerentur vel diminuerentur: si aut dispersa diminutaque deprehendantur, non teneri Præfectos Orphanotrophij pupillos suscipere, nisi bonis eisdem in integrum restitutis.

Quicunque idcirco in Orphanotrophium pupillos introducturi sint, tenentor priusquam parentum posterior sepulturæ mandetur, convocari Orphanotrophij Præfectos, ut bona derelicta in tabulas referantur.

Quæcunque etiam bona pupillis morte alicujus obvenient, aut alias in hæreditatem eorundem cedent, dum in Orphanotrophio adhuc agunt; acceptare ea atque in usum convertere

convertere Orphanotrophij fas esto, quandiu sub Orphanocomij legibus tenebuntur; ubi vero Orphanotrophio excessuri sunt, hæreditaria omnia sua secum tollunto.

Quicunque insuper dicti Orphanocomij orphanus exstiterit, diemque, non relicto legitimo hærede, obierit, ejus Orphanotrophium hæres esto.

Intra quoque Orphanotrophium pupilli, quandiu Præfectis Orphanotrophij visum fuerit, permanento.

Si qui opificio aut alias arti mechanicæ admovebuntur, ij quandiu intra Orphanotrophium degent, ab oneribus collegiorum, quas Gildas vocant, liberi atque immunes sunto,

Hujus Senatusconsulti Apostilla seu dimissoriæ literæ servantur in pixide P litera notata, una cum alio insuper Decreto triginta sexum-virum anni 1565.

Superiorum Senatus Decretorum plenior enodatio.

Quod statuto antepenultimo Orphanis extra Orphanotrophium jam collocatis, nec legitimo hærede relicto defunctis, Orphanotrophium hæres pronuncietur, Senatus Patrumque indultu concessum postmodum, ut libertatem redimere ijsdem liceat, nihilque Orphanotrophio debeant soluto certo pretio.

Nec etiam solis mechanicis artibus aut opificijs exercentur, qui jam ætate adultiores sunt, quod scitum ultimum dictare uidetur, sed elegantioris ingenij si qui deprehendũtur, ad liberalia quoque exercitia, ut artis Notariatus, Pictoriæ, Statuariæ & præsertim ad studia literarum, quibus Ecclesiæ, Reipublicæque esse quandoque usui posint, admoventur. Nec ullis parcunt impensis Præsides quo vel opificijs mechanicis alijsque manuarijs artibus accurate instruantur, & doctrinarum quoque studijs etiam in exteris ac celeberrimis Academijs præclare ac solide erudiantur.

Quod denique decreto penultimo anni ejusdem 1582 refertur, omnes intra Orphanotrophium detinendos quandiu visum Præsidibus fuerit, intelligendum manumitti neminem, nisi qui absque cortice natare sibique ac familiæ in omnem eventum, honeste victum parare potis censeatur: Qui vero emittitur, ei vestitu non tantum duplici, sed & alijs ad usum necessarijs rebus, quarum in universum haud infra ducentos florenos summa putatur, ab Orphanotrophio prospicitur, exceptis bonis, si quæ fortasis, dum in Orphanotrophio ageret, hæreditate obvenerint.

Orphanotrophij instituti occasio.

Porro de prima Orphanotrophij hujus instituti occasione seu forma, quod innuitur Senatusconsulto anteriori anni 1523, ab HAESIA NICOLAA cognomento *Paradisia* profectum memoratur, muliere Amstelodamensi locuplete, inque egenos singulariter pia. Hæc enim casulas aliquot suas, in vicinia Capellæ Hagiotopi seu *Heiligerstedæ* in platea Vitellina collocatas, huic rei dicaverat: inque ijs decem aut duodecim puerulos utroq; orbos parente, adhibito moderatore, cui nomen Mathias Sveersenius, suis impensis educari honeste ac liberaliter curavit. Quapropter & ejusdem *Haesiæ*, ni fallor, maritus inter primos Orphanotrophi Præsides recensetur, ut patet ex serie seu Catalogo Præfectorum, in quo omnium primi nominantur anno 1529, *Nicolaus Iacobæus Paradijs, Arnoldus Bolensenius,*: Matres: *Inditha Arnoldi Bolensenij conjux, Gerharda Simonis.* Verum de ipsa Haesia Paradisia mox plura dicentur in Gerontocomio.

Quando autem Luciæ hoc monasterium in hunc Orphanotrophij usum ac eam, ut nunc conspicitur, formam exornatum dedicatumque sit, deprehendo annum circiter 1580, annuente Senatu, primitus cœptum annisque sequentibus ad colophonem feliciter perductum. Nam prius ædificium in proximo & e regione situm, nunc *vetus Orphanotrophium* dictum, cum indies augescente pupillorum numero, capacius minus videretur, civium habitationibus elocatum fuit. Quod ipsum, ut hoc quoque addatur, excitatum reperio anno 1561, cum accrescente orphanorum multitudine sortilegium seu Loteriam instituendam Senatus decrevisset. Nam ex eo sortilegio Orphanotrophij tum reditus, adspirante singulari civium munificentia, incrementi plurimum sumpsisse; & ędificium quoque, seu *vetus Orphanotrophium*, quod dixi, luculentiori structura, uti hodieq; videre est, exædificatum constat. Præerant tunc *Orphanotrophio* dictoque sortilegio, veluti moderatores, designati erant, *Gerhardus Ioh. Lambertsonius, Simon Laurentius Stoterus, Franciscus Hadriani.* Matres erant: *Maria Wilhelmi Cinnesia, Angela Gossuini, Catharina, Theodora*

Vetus Orphanotrophium excitatum anno 1561.

Lib.3.De-monomania cap. 6. *Theodora Nicolai filia.* Nec omittendum, quod refert Iohannes Bodinus, ipsique Amstelodamenses, ætate præsertim grandiores, etiamnum memorant, anno a Christo nato 1556, cum adhuc tenuiores essent orphanorum res, ante nimirum Loteriam illam celebratam, pueros Dæmoniacos triginta compertos, a quibus nullo exorcismo Dæmones potuere propulsari: idque sortibus & maleficijs contigisse indicium hoc adfert idem Bodinus, quod ferramenta, vitrea fragmenta, capillos, acus, pannos, & similia excernebant, quæ solent ex sortilegijs homines affecti rejicere. Verum ut hoc solum, occasione oblata, interjiciam, quomodo verum, non ludibriosum, hunc exstitisse vomitum probarit Bodinus? præsertim cum nec cibi nec chyli quidquam in hujusmodi vomitionib⁹ intermixtum appareat, ut a pluribus diligenti inspectione in alijs quoque observatum est? Deinde quod addit exorcismo nullo propulsari ex pueris Dæmones potuisse, nihil mirum fuit in regno illo tenebrarum, & in quo ludificari a Dæmone suave ducebatur. At in Christo flectūtur genua cœlestium, terrestrium & infernorum. In hoc nomine credentes discipuli dæmonia exturbabant; Pythonis spiritum in Macedonia ex puella dæmoniaca ejecit Paulus his verbis: *Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea*; & exijt eadem hora. Apud Hieronymum quoq; in vita Hilarionis legitur quidam Constantij imperatoris Candidatus ex Francia occiduæ Germaniæ oriundus Gazam ad Hilarionem profectus rogatusque ab Hilarione tam Syra quam Græca lingua (quas tamen nusquam didicerat is Francus) de causa obsidionis Dæmonique respondisse Hilarionem: *Non curo quomodo intraveris, sed ut exeas in nomine Domini nostri Iesu Christi impero.* Quæ ponderet velim Pontificij isti (apud quos miris hodieque præstigijs luditur, vicissimque, utpote suo in solio, ludit Diabolus) qui eum modum nedum usurpare audent, verum etiam bestijs & inanimatis rebus, præter primitivæ atque omnis sincerioris Ecclesiæ exemplum, execrandas conjurationes, & frequentem tremendi nominis divini nuncupationem solemniter adhibere signumq; crucis cum oratione Dominica & salutatione Angelica ter vel sæpius repetita (sic Mallei referunt autores) bruto animanti consecrare non erubescunt. Quos, ut minimum, in secundum præceptum haud leviter delinquere, ne quid gravius dicam, sentiunt prudentiores: idque non in sugillationem crucis aliarumque rerum per se alias non improbatarum dictum cupio; sed abusum ubique accusandum cēseo, maxime si qui crucifixo & vivæ in eum fidei debetur honos, ad crucem referatur.

Orphani dæmoniaci an. 1556.

Cap. 16. act.

Translatio orphanorū in Luciæ monasteriū an. 1580. facta. Postquam ergo ex domo priori (quod dixi *vetus Orphanotrophium* hodieq; appellari) in Luciæ hoc monasterium translati orphani (quod accidisse annum circiter 1580 jam commemini) omnia in formam decentiorem aptata, & ipsum quoque monasteriū hunc ad usum commodius restauratum, Præsidum vice fungentibus *Gerhardo Iohannis Preeckstoel, Theodoro Graevio Consule, Johanne Thomasio Alcmariano, Iacobo Vinckio, Nicolao Francisci Consule, matres erant: Elizabetha Iohannis, Brechta Hesenia N. Reyneri, Ermgada Petri.*

Superioribus annis millesimo sexcentesimo secundo præsertim & tertio, sæviente passim per oppidum pestilentia, mortui in eo plus minusve trecenti. Et mox, cessante peste, superstites nihilominus deprehensi 450. Præfecti tum erant *Hubertus Appelmannus, Paulus ab Heemskerck, Simon Scaepius, Iohannes a Vlooswijck, Theodorus Henrici Quakel, Cornelius Bassus: Joba Antonia, Margareta Petri, Agatha Nicolai, Petronia Walteri, Catharina de Wael.*

Numerus orphanorū. Præceptores domestici itemque Matres & reliqua familitia. Hac tempestate utriusque sexus orphani deprehensi circiter quingenti numero. Præceptores, qui legere & literas pingere primaq; elementa pueros puellasque docent, duo sunt: Matres domesticæ item duæ, præter sartorem & sartricem cum famulis & ancillis, quæ pistrino, culinæ ceterisque domesticis occupationibus vacant.

Est & stabulum nitidissimum ac spatiosum in quo hyberno præsertim tempore, præter boves & buculas, vaccæ viginti, utplurimum, stabulantur. Adest & hic seorsim villicus & famula, quorum opera lacticinia, casei aliaque ad domesticum usum ac alimoniam perficiuntur.

Præfectura totius Orphanotrophij. Præfectura totiusque Orphanotrophij inspectio curaque ex primoribus civium viris honoratis tribus quatuorve demandatur: Hi Patres vulgo appellantur: Nos Præfectos seu Præsides supra diximus. Ex matronis quoque urbanis certo similiter numero constitutæ, quæ Matrum externarum nomine, communiter censentur; Exceptis, quas dixi, duabus matribus familias intra Orphanocomium perpetuo agentibus.

Reditus. Acceptorum expensorumque ratio omnis apud Patres disputatur. Quorum accepta ac reditus, præter elemosynas, præcipui sunt, qui ex ipsius Luciæ monasterio, & præsertim Carthusianorum cœnobio inferuntur. Nam utriusque cœnobij reditus hisce usibus dicavit

dicavit Senatus, sicuti & alios reliquorum monasteriorum, paucis exceptis, in alios & similes pios usus contulit: Quod semel & magna cum laude Magistratus dictum esto.

Et, præter hæc, jam olim, anno nimirum 1574, triginta sexum virum decreto pronunciatum fuit, ut cuicunque civitatis jus cederetur, præter summam, quæ eo nomine civitati solemni more persolvitur, in Orphanotrophij insuper commodum tres aurei dependerentur.

Annuas Orphanotrophij universi expensas, ut hodie fere res sunt, tam in Zythum quam reliqua, sexaginta circiter florenorum millia æstimari pro comperto habetur. Præfecti, qui hodie rei præsunt, ijdem fere sunt quos modo nominavimus, *Hubertus Simonis Appelmannus, Paulus ab Heemskercke, Iohannes a Vlooswijck, Henricus Servasius, Petrus Overlander, Iohannes Gisberti.* Matres; *Ioba Antonij, Catharina de Wael, Isabella Hermani, Vendela ab Haegen.* Atque hactenus de Orphanocomio. *Expensæ.*

Cap. III.

NOSODOCHIVM LEPROSORVM.

deque prima eius institutione quæsitum, aliaque ordine posita.

LEPROSORVM Nosocomiū fuisse primitus Capellam sive sacellum D. Georgij (ubi nunc est scriniariorum propolium in via Vitellina lateris novi) retulimus supra ex Anonymo. Anonymus autem is, cum annum circiter millesimum quingētesimum floruerit, invenio ante ejus ætatem anno fere centesimo, eodem quo nunc loco, eidemque usui destinatum, cōstitisse, appellatumque tunc *Hospitale D. Mariæ ac Nicolai:* modo capiendum de Leprosis Wilhelmi Comitis in serie vigesimi quarti, nominis ejus sexti, diploma istoc ex Nosodochij hujus archivis depromptum: *Lib. 1 ca. 7*

VVILHELMVS Dei gratia Comes Palatinus, Dux Bavariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ Dominus, omnibus hasce lecturis significatū volumus, Hospitali D. Mariæ & D. Nicolai, quod locatum est iuxta Zeburgum intra oppidum nostrum Amstelodamense & Oetenwalam, cū fortunæ tenuioris multorumque indigeat, quomodo re ipsa didicimus, eleemosynæ ac pietatis ergo elocasse nos certoque pretio, quod ad nos & posteros nostros, utendas fruendas cōcessisse eiusdem Xenodochij Præfectis piscationes nostrarum (a) Walarum seu gurgitum fluentorumque, quæ sunt intra urbem nostram nunc dictam, & fossam Yponis; idque in usū perpetuum atque emphyteuticum; ut nimirum eius nomine libræ quinque valoris ac monetæ cuiusmodi reddi nobis eo loci solet, quotannis Quæstori nostro Amstelandiæ ac Waterlandiæ persolvantur ad diem D. Petro ad vincula sacrum &c. Datum Hagæ anno 1415 *Sep.* 25.

(a) *Onse vischerien vā onse walen*, est in vernaculo redidimᵘ-q; *valas, gurgites*, secūdū illud Ovid. *quo minᵘ credis gurgite piscis erit.* quin & Kilianᵘ in Gloss. Belgico-latino *Valā, gurgitem* Hollandis olim significasse notat.

Hæc Comes. At, anno postmodum vigesimo quinto, Decretum Senatus urbani, nō *D. Mariæ aut D. Nicolai*, sed *D. Georgij Xenodochum*, & ipsum affectum *Lazariam*, seu *Lazari* malum, nominat verbis hisce vernaculis: *Wy Schout, Schepen ende Raede der Stede van Amsterdam, doen kondt ende te weten, dat wij ter eeren Goedts ende omme kennelycke noot, orbaer ende profijt der zieker luijden van Lazarien t'sinte Joeriaens Gasthuyse bijder stede van Amsterdam ter selver siecker luyden, ende tot s'gasthuijs behoef voorschreven, geordineert hebben deese naeschreven puncten &c.* Quod fortasis vetustisimam ac primam institutionem spectat, cum adhuc a latere novo Nosodochium hoc esset, uti ex Anonymo retulimus. Hoc quoque Senatᵘ decretum servatur in archivis ipsius Xenodochij signatumq; est anno 1440. Adeo ut ambigam an Comitis Wilhelmi diploma de Leprosorum, & non alio potius, hospitali, cum præsertim Hospitale simpliciter appellet, intelligendum sit. Et auget hāc suspicionem, quod Aulam, quam hodie D. Georgij, vulgo *sint Ioris hoff*, nominamus, fuisse *D. Nicolai hospitale*, & extra quoque urbis pomœria, intra nimirum urbem & Oetenwalam

tenwalam constitisse ab anno 1417, Archiva, quæ ibidem in Aula D. Georgij hodieq; servantur, perspicue commemorant, ut & suo mox loco dicetur latius.

Anno exinde 1503 aliud Senatusconsultum in eorundem Leprosorum commodum prodijt; atque aliud denuo anno 1547. Et iterum anno 1548: Ac denique anno 1556: Quo etiam excitatum reperio domicilium, sive templum fuit, quod statim in aditu prioris areæ occurrit: Præfert enim id in ipso liminis frontispicio annum millesimum quingentesimum quinquagesimum sextum. In hisce autem diplomatibus simpliciter *Domus Leprosorum*, aut *Lazarissarum*, nuncupatur, omissa Divorum Divarumque, quas diximus, mentione ac titulo.

Reditus Nosocomij Leprosorũ. Plurimum vero, præter cæterorum, atque ipsius præsertim Magistratus, qui monastica nonnulla bona nuper attribuit, liberalitatem, contulit olim non huic solum Nosocomio, sed & reliquis oppidi Xenodochijs, Imperator Carolus Quintus, publicato diplomate, quo cautum voluit, ut res soli, sive non soli, immobiles alias dictæ, quæcunque Nosocomijs, Orphanotrophijs, seu denique Leprosorum Domui apud Amstelodamēses legarentur in perpetuum rata firmaque essent.

Numerus & habitatio. Leprosorum, hodie qui sunt, numerus circiter quadraginta duorum censetur. His sua seorsim habitatio. Nam peregrinis, qui forinsecus accedunt, ultra triduum manere non permittitur; ijsque sua quoque peculiaris, & a ceteris disjuncta mansio. Nec ijsdem præter potum, focum & lucernam, aliaque similia, cum cubili, præbetur quidquam. Omnesque aut singuli, aut bini, aut quocunque numero, sive ostiatim eleemosynam petāt, *Habitus.* sive alias in publicum prodeant, licio sive candida fasciola pileo obvoluta manuque crepitaculum habentes, eoque moto sui signum dantes, a reliquis mendicabulis dinoscuntur.

Ministri seu famulitia. Præest toti Domui Mater, quæ domestica & quasi Oeconoma est, cum famulis duobus & ancillis tribus: Quib⁹ culina & res villaticæ curæ sunt. Adest & ludimagister, qui legere & literas exarare leprosos adhuc adolescentiores docet; Peregrinorum quoque, qui accedunt & abeunt, rationem idem habet.

Præfecti et Matres. Sunt alias Præfecti non tantum, sed & Matres externæ ex oppidi primoribus civibus ac matronis: Quibus totius oeconomiæ inspectio omnisque gubernatio demanata est.

Villa. Stabulum additum est tanta nitiditate, ut non stabulum, sed diversorium aliquod, aut tersum domicilium videatur. In eo hiberno tempore viginti duæ vaccæ stabulātur, quæ sub æstatem in prata ac pascua dimittuntur: ex quibus aureos circiter quingentos in lacte & caseis, præter quod in usum quotidianum cedit, quotannis confici a fide dignis relatum habeo.

Ædificij totius ratio Porro ædificia quæcunque sunt, lateritio in quadratum constituto muro fossisque ex Amstela ductis ambiuntur: Nisi quod a parte, qua est lata illa platea Portæ Antonianæ, ædes nuper exterius additæ fossam eo loci, & pontem quoque sublicium, per quem olim adibatur, nunc adimpleant. Adestque Amstelam versus viridarium seu hortus non *Viridariũ.* inamœnus intra illud ipsum lateritium septum a reliqua structura, interfluente amniculo, separatus.

Lepræ exploratores seu Critici. Et quantum ad ipsam ægritudinem, quum difficilis admodumque cognitu obscurus affectus sit, constituti sunt Haerlemi censores & veluti Critici quidam, qui leprosos, quibuscunque in Hollandia, Zelandia ac Geldriæ Ducatu ad publicas ejusmodi ædes accessus permittitur, certis quibusdam in consilium adhibitis tecmirijs, inspiciunt, deque lepra vera vel non vera infectis pronunciant. (a) Livinus Lemnius Medicus Zyrezeus ex lotio se experimentum capere solitum refert, cui plumbi usti cineres inspergerentur: ijq; si subsiderent atque in imum urceoli devolverentur, nullum subesse morbi contagium: sin superfluerent atque in urinæ superficiem hærerent, infectum esse statuebat, sumpta indicatione ab humorum crassitie atque adusta corruptaque & per corpus undique diffusa melancholia: Alij exploraturi an sanabile sit malum, incidunt cutem, aut acu pungũt; Si sanguis exit, remedio locus est; sin humor albidus, sanari non potest.

(a) Libro de occultis Naturæ Miraculis

De LEPRÆ morbo quædam accuratius disceptata.

PORRO Leprosorum cœnobia extra urbium, utplurimum, pomœria collocantur, quamvis Amstelodamense istud, intra oppidi septa, pomœrijs urbis anno 1585 ampliatis, receptum nunc sit. Causa vero, cur extra urbes habeantur, tum præcipue constabit,

bit, si de affectu toto accuratius aliquid hoc loco addidero: idque ut rectè atque ordine 1
fiat, de ipso morbo eiusque prima veluti origine repetendum nonnihil: Deinde an pris- 2
ci seculi, & præsertim Iudæorum lepra, eadem cum illa fuerit, quam olim Medici, & ho 3
die nos agnoscimus; Et ultimo denique an Contagium statuendum. Quibus positis facile simul elucescet cur ab urbanorum consortijs separati jam olim fuerint.

Variæ apud varios lepræ appellationes, & primo apud Hebræos.

HEBRÆI hoc malum, quod interpretes passim Leprā transferunt, suo idiomate *tzaraath* indigitarunt. Vnde & Græcorum ψώρα indubie defluxit, qua scabies atque asperitas summæ cutis cum furfuribus albescentibus, cumque pruritu ac corporis colliquatione, denotatur.

Apud Græcos.

Ipsis GRÆCIS lepra olim scabiei quoddam genus erat inter psoram & elephantiasin medium, dicta quasi λεπιρὰ, hoc est, squamosa, ἀπὸ τῆς λεπίδος, id est, squama. Scholiastes Nicandri deducit ἀπὸ τοῦ λεπρύνεσθαι, quod scabrescere & albescere significat. Siquidem in illa scabie è cute multæ squamæ albæ decidunt. Ijdem & *leucen* vocant.

Apud Romanos.

LATINI modo *impetiginem*, modo *elephantiasin*, modo *vitiliginem* nominant: quamvis Celsus Elephantiæ, impetiginis ac vitiliginis sub diversis capitibus ac libris meminit. Seneca libro tertio Naturalium Quæstionum *vitiliginem* nominans *fœdam eam ex albo varietatem* interpretatus est.

Apud Arabes.

At ARABES, teste Avicenna, ab elephantiasi lepram vix distinguunt. Ejus nominis Aratæus de diuturnis affectibus hanc rationem reddit, quod eo infecti cum elephāte multa habeant communia. Distinguenda hic tamen ea Arabum elephantia, quæ pedum tumor & nimia crassities intelligitur, cum aliquo figuræ vitio, ut patet ex Avicēna Canō. 3 Fen. 33. tract. 2. cap. 16. Avenzoar lib. 2 cap. 26 sic appellatam eam elephantiam vult, quod assimiletur cruribus elephantis ratione crassitudinis.

Apud Gallos & Belgas.

GALLI hodie hos affectus *Ladrerie* appellant: Gallosque secuti BELGÆ Batavique vocis originationem propius reddentes, *Lazarie*, & Nosodochium ejusmodi malo contaminatis destinatum *Lazarishuys* subinde indigitant; vulgi tamen opinione magis dicendique consuetudine, quam veritate inducti, cum Lazarum hoc affectu proprie laborasse asseri nequaquam possit, præsertim cum Lucas ulcerosum eum simpliciter dicat, canesque linxisse ejus ulcera: ubi in Græco ἕλκη habetur. At ulcera & ἕλκη Leprosis nulli medicorum tribuunt.

De lepræ ortu veterum sententia.

Inter omnes gentes hujusmodi affectu vexatos præcipue Iudæos, etiam prophani aliqui authores prodiderunt, licet genuinam rei veritatem fabulis ac figmentis corruperint. Trogi enim abreviator Iustinus, necnon & Tacitus, Ægyptios referunt à Iudæis scabiem pruriginemque contraxisse, eamque ob causam Mosem eorundem ducem Ægypti eos terminis pepulisse, & quoniam metu contagionis pulsos se ab Ægyptijs meminerāt, ne eadem de causa invisi apud accolas forent, cavisse ne cum peregrinis communicarēt; atque ita quod ex causa factum, in disciplinam religionemque convertisse. Tacitus insuper sue abstinere eosdem ait, memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat; cui id animal obnoxium. Quorum posterius nequaquam abs re jactatum antiquitus putem, præsertim cum sus luto ac sordibus delectetur cœnique volutabra appetat: & maxime si siliquis pabuloque sordido saginetur strumas contrahere ac scrophulas, totoque corpore grandinosam effici, sic ut caro illius prorsus insalubris existat ac vitiosa, totumque corpus inficiat, vulgò æstimetur. Scrophulas autem ac strumas eas, ut plurimum, circa collum contrahunt, quoniam voraces sunt citraque delectum in sterquilinijs quæque devorent. Belgæ hujusmodi vitio infectos porcos *Gortich* cognominant, à comminutis zeæ aut farris albicantibus granulis; quamvis Lemnius non incommodè ad grandinem cæli respiciens grandinis nomine reddendum affectum eundem credidit; quod caro partesque internæ passim ramentis candidis, velut grandine perfusæ videantur. Occupant enim singula membra eminentiæ quædam subalbidæ, hinc inde consperfæ; cujus certissima se indicia in lingua proferunt, quando porcarij immisso in fauces ferramento eos explorant an tutò cædi ac laniari atq; in usum alimoniæ adhiberi debeant. Nec aliud fere elephantiaci sive leprosi nostrates in facie totoque corpore exhibent: nam pustulæ, quæ in extima cute erumpunt albescunt ex melancholia in cinerem quasi adusta.

lib. 5 Hist.

At quod solis hæc Iudæis affingant Iustinus ac Tacitus, præter rem atque æquum facere puto, cum de Ægyptijs quoque ipsis Herodotus narret suem eos spurcam belluam arbitratos; quam si quis vel in transitu tetigisset, illico abijsse sese lotum cum vestimentis; multò min⁹ suem gustare ipsis licuisse; ut videre est partim in Euterpe, partim in Mel

 pomene.

Ægyptus ejusmodi affectuum proprie parens.

pomene. Et constat ex Lucretio etiam eosdem Ægyptios non, ut ex Tacito Iustinoque retulimus, a Iudæis hoc malum per contagium accepisse, sed ipsis Ægyptijs peculiarem quasi affectum fuisse, cum ait:

Est elephas morbus qui propter flumina Nili,
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam.

Ait nusquam præterea, nisi in Ægypto, gigni, cum tamen clarum tum esset Iudææ ac Hierosolymæ nomen. Idemque lib. 26. cap. 1. quasi repetens Plinius ait Elephantiasin esse malum Ægypto peculiare, & ante Pompei Magni tempora non accidisse in Italia, & celeriter inde restinctum. Vnde etiam Cornelius Celsus suo tempore pæne ignotum Italiæ dixit. Quibus & Galenus accedens, qui claruit, anno Christi 142, sub Pio Antonino, durasse adhuc ad sua usque tempora in Ægypto asserit lib. 2 ad Glauconem, nec in Germania, Schytia, Mysia frigidis regionibus unquam grassatum.

De elephantiasi seu lepra Ægyptiaca.

Plinius quoque, loco, quem dixi, elephantiasin eandem a facie sæpius incœpisse ait, in nare prima veluti lenticula; mox intabescente per totum corpus, maculosa, varijs coloribus, & inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura ceu scabie aspera: ad extremum vero nigrescente & ad ossa carnem apprimente, intumescentibus digitis in pedibus manibusque. Quibus ad extremum addit: *Ægypti peculiare hoc malum:* & cum in Reges incidisset, *populis funebre: quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eā.* Nec absimilia fere sunt, quæ eodem capite de lichenijs, seu mentagea, commemorat, his obiter adjicienda. *Gravissimum*, inquit, *ex his lichenas appellavere, Græco nomine; Latine, quoniam a mento fere oriebatur, joculari primum lascivia (ut est procax natura multorum in alienis miserijs) mox & usurpato vocabulo mentagram, occupantem in multis totos utique vultus, oculis tantum immunibus, descendentem vero & in colla pectusque ac manus, fœdo cutis furfure. Non fuerat hæc lues apud majores patresque nostros. Et primum Tiberij Claudij Cæsaris principatu medio irrepsit in Italiam, quondam Perusino equite Romano Quæstorio scriba, cum in Asia apparuisset, inde contagionem ejus importante. Nec sensere id malum fœminæ, aut servitia, plebesque humilis, aut media, sed Proceres veloci transitu, osculi maximè; fœdiore multorum, qui perpeti medicinam toleraverant, cicatrice, quam morbo. Causticis namque curabantur, ni usque in ossa corpus exustum esset, rebellante tædio. Adveneruntque ex Ægypto genetrice talium vitiorum medici, hanc solam operam afferentes magna sua præda. Siquidem certum est; Manlium Cornutum ex Prætorijs Legatum Aquitanicæ Provinciæ H-S C C elocasse in eo morbo curandum sese.* Hæc Plinius; Cui addendus affectus, quem pæne geminum germanum Æschines Rhetor Philocrati describit epistola, in qua navigationis suæ in Delum meminit. Verba, ut reddita latine sunt ab Hieronymo Mercuriali integra adscribam: *Vespere ex Atticæ portu Cauro valde claro perflante, solventes, circa meridiem Chium pervenimus: ibi dies novem (erat enim adversus ventus) morati; deinde rursus aurora solventes, Delum venimus. Laborabant Delij pestifero quodam morbo. Vultus quidem vitiligine* (λευκῆς est in Græco) *plenos, capillos pariter albos habebant: ipsorum autem collum & pectus erant tumida. Febres vero non aderant, neque dolores insignes, neque inferiores partes quidquam permutatæ fuerant.* Quibus in verbis similia nonnulla, nonnulla dissidentia a Plinij mentagra habentur; sicuti & ejusdem Plinianæ mentagræ descriptio cum elephantiasi, quam antea ex eodem Plinio retulimus, communia quædam, quædam etiam discrepantia ostendit. Hoc in universum convenit, quod contagium egisse uterque existimet. Nam & Æschines de eodem illo malo ibidem porro sic addit: *Nos tanquam externas gentes, vel tanquam insulam in externo mari accedentes hominumque diversorum colores inspicientes, nocte fuga capta discessimus, mutuo nos ipsos inter abeundum percunctantes, an quisque colores & pilos, quos domo gestaverat, haberet.* Adeo ut si quis differre ab elephantiasi Plinianam hanc lichenam & Æschinis leucen seu vitiliginem urgere velit, ei haud refractarium me præbuero, modo utramque Elephantiasis quandam speciem fateatur. Et vero apud plerosque in confesso jam est Iudæorum quoque *tzaraath* seu lepram nihil fuisse aliud, quam ea vitiliginis species, quam Græci *leucen* vocant: Quapropter & Philo Iudæus *tzaraath* Hebræorum, quam vulgo lepram interpretatos fere omnes diximus, *leucen*, hoc est *vitiliginem albam* transtulit. Arnobius adversus gentes lepram similiter a Christo curatam vitiliginis vocabulo aliquoties exprimit. Nam lib. 1. de Christo agens, & ad gentes orationem convertens sic loquitur: *Unus fuit e nobis, cujus fœdæ vitiligines jussioni obtemperabāt pulsæ statim?* Et iterum; *ille notas albicantium vitiliginum manu admota abstersit.* Quin & in *tzaraath* seu lepra Iudaica cutem fuisse albam legimus Levit. 13. & clarius Num. 12 ver. 10; ubi de Mirian Mosis sorore dicitur, quod leprosa fuerit sicut nix. Nec non 2. Reg. cap. 5. versu 27 scriptum exstat Gehazi egressum esse ab Elizæo propheta infectum lepra sicut

De Judæorum Græcorumq; lepra & ea quam Christus sanavit.

pra sicut nix. Et deniq; in eadem Iudæorum lepra pilorum colorem in album fuisse mutatum refertur Levitici eodem 13 capite. Quod iterumque in leuca Græcorum seu vitiligine fieri Celsus fatetur cum inquit: *Leuce albida est, in eaque pili albi sunt & lanugini similes.* Sicuti & in ea quoque vitiligine, quam ex Æschine modo recitavimus, idem usu venisse patuit, pilos nimirum in album mutatos.

Nunc in singulis discrimen videamus. *Vitiligo*, seu Leuce Græcorum Latinorumque, 11
sanguinis statuitur vitium Medicis: Iudæorum autem *tzaraath*, sive lepra, exanguia etiã corpora invasit, ut vestes cum laneas tum lineas, itemque pelles aliaque; sic ut maculæ essent subvirides & subrufæ; de quibus præcipitur Levit. 13 versu 47, ad finem capitis. Quin etiam ipsas ædes & parietes lepra Iudæorum infecit, fossulas virentes & subrubras excitans, ut videre est Levitici 14. a versu 30 usque ad 48. Eæque domus immundæ atque inutiles ad inhabitandum a sacerdote iudicatæ, deserebantur. Quamvis apud nos multarum hodieque ædium parietes, quibus aut calx aut tigna madore aut alias computruere, similibus fortasse ijsque indelebilibus ex rufo & viridi subinde maculis inficiantur; in utensilibus quoque, ut vestibus lineis ac laneis, itemq; libris ac papyro, si quid etiam tale compareat, id *ysermael* vulgo, id est, ferruginis maculam nostrates indigitãt; nec ædes interim ejusmodi inhabitare, aut uti rebus talibus, cuiquam nunc religio, ex quo non umbram rei, sed rem ipsam, Christum nimirum, teneamus; cujus sanguine sublata ejusmodi omnia mundataque credimus. Præterea Lepra Iudaica non semper albo sese colore in hominis corpore prodidit, sed interdum subrubra quoque apparuit, ut in cicatrice, ambustis & calvitie, de quibus Levitici cap. 13 vers. 18. 24 & 42. Contra in Leuce Græcorum Latinorumque vitiligine alba, color perpetuo albidus fuit. Denique Paulus Ægineta lib. 4 cap. 5 testatur, *Vitiliginem, quæ plures corporis partes occupaverat, magis periculosam, quam quæ paucas:* Contra Lepra Iudæorum sese habuit. Nam in omnem sese cutem ubi diffudisset universamque a capite ad pedes contexisset, homo mundus judicabatur; Sin iterum appareret caro viva, immundus judicabatur, Levitici 13. versu 12.

Discrimen Lepræ Iudaicæ ab ea quam Medici olim & nos hodie agnoscimus.

Sic ejusdem etiam vitiliginis & elephantiasis Ægyptiorum a Plinio relatæ discrimen hinc patet, quod vitiligo alba nascatur vitio facultatis nutritivæ, sanguinem pituitosum & pallidum gignentis, quo dum caro nutritur, paulatim albo colore inficitur, atq; imprimis cutis, quamdiu natura ad expellendum malum vires habet. Elephantiasis vero ex bile fit atra, teste Galeno in Aphoris. 41. sect. 2. Et ad Glauconem 2 cap. 11; adeo ut Paulus Ægineta eam pro cancro totius corporis habeat. At contra de vitiligine, ejusque speciebus, ita Celsus libro quinto capite ultimo; *Vitiligo quoque, quamvis per se multum periculum adferat, tamen fœda est, & ex malo corporis habitu fit: Ejus tres species sunt; Alphos vocatur, ubi color albus est, fere subasper & non continuus, ut quædam quasi guttæ dispersæ esse videatur. Interdum etiam latus & cum quibusdam intermissionibus serpit. Melas, colore ab hoc differt, quia niger est, & umbræ similes, cætera eadem sunt. Leuce habet quiddam simile alpho, sed magis albida est, & altius descendit, in eaque albi pili sunt & lanugini similes. Omnia hæc serpunt, sed in alijs celerius, in alijs tardius.* Alphos & melas *in quibusdam varijs temporibus & oriuntur & desinunt.* Leuce, *quem occupat, non facile demittit. Priora curationem non difficillimam recipiunt: ultimum vix unquam sanescit, ac si quid ei vitio demptum est, tamen non ex toto sanus color redditur.* De elephantiasi quoque quid idem senserit verba ostendunt libro tertio capite vigesimo quinto: *Totum corpus in elephantiasi afficitur, ita ut ossa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet. Rubor harum paulatim in atrum colorem vertitur. Sũma cutis inæqualiter crassa, tenuis, dura, mollisque quasi squamis quibusdam exasperatur, corpus emacrescit, os, suræ, pedes intumescunt. Vbi vetus morbus est, digiti in manibus pedibusque sub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem consumit.* Quã tamen in descriptione intercurrere nonnulla ac confundi cum Arabum elephantia video; præsertim de pedum tumore ac febricula quæ afferuntur.

Vitiliginis & elephantiasis Ægyptiacæ discrimen.

Iudaica itaque Lepra quamvis aliqua cum elephantiasi, plurima vero cum vitiligine illa, quam leucen Celsus dixit, communia habuerit, quantum tamen a singulis, & ab hodierna quoque nostra differat (quæ inter *melan* & *leucen* Celsi fere media est, nisi in elephantiasin perfectam degeneret) hinc liquet quia res etiam exangues, ut dixi, Iudæorũ lepræ obnoxiæ fuerunt, ut vestes & ædes: Quin & multi apud eosdem sola sacerdotum imprecatione & votis vel inficiebantur vel mundabantur, ut patet Num. 12. vers. 19. Et Reg. 2. cap. 5 in Giezi, qui imprecatione Elizæi lepra infectus est; & Nahamo leproso Syro qui jussu ejusdem Elizæi in Iordane se lavit & mundatus est. Atque ita aliam eã a nostrate & illis superioribus a Medicis Celsoq; relatis fuisse hac parte manifestum fit: ut omittam

Iudaica lepra quæ similia & quæ dissimilia cũ superioribus habeat.

ut omittam repetere mundum Iudæis habitum, quem totum lepra texisset; immundũ, quem aspersisset pro parte. Nam ita habent verba textus Levitici 13. vers. 12 & 13:

Quod si omnino efflorescit illa lepra in cute ejus, tegetque illa lepra totam cutim plaga affecti, a capite ejus usque ad pedes ejus, quacunque inspicient oculi sacerdotis:

Si viderit sacerdos ipse, quod ecce texit lepra illa totam carnem ejus, tum mundum declarabit plaga illa affectum; tota mutata est in albam: mundus est igitur. sed qua die apparebit in ea caro viva, immunda erit.

De contagio & quomodo id iudæi intellexerint. Iam ad *Contagium* quod attinet, Iudaicam lepram contagionis expertem existimatam probabile hinc est, quod ille cujus corpus totum lepra texerat, nequaquam alias mundus fuisset habitus: nec ille vicissim, in cujus cute viva caro rursus apparuisset, immundus. Ejusque rei admiratione ductus Philo Iudæus in libro, *Quod Deus sit immutabilis*, hanc legem vocat novam, & a vulgo recepta opinione diversissimam, quod ex parte leprosum pronunciet impurum: eum vero, qui a capite ad calcem usque lepra teneatur, purum judicet. *Quilibet enim*, inquit, *probabili ductus conjectura diceret contrarium, nimirum lepram, quæ ultra parvam aliquam corporis partem non diffunderetur, minus impuram; per totum autem diffusam, impuriorem videri.* Et in libro, qui inscribitur, *de Plantatione Noe; In lege*, inquit, *de lepra decretum est, eum, in quo nondum varietas colorum exstitit, sed alba vitiligine a capite ad pedes occupatur, purum esse.*

Et sane si lepra Iudæorum per contactum in alios transijsset, eosque corporali, ut sic loquar, contagio infecisset, quomodo ergo ijs, quibus totum corpus a vertice ad talos usque operuerat, cum mundis habere consuetudinem lege licitum fuit? Nec id tantum sed hoc etiam in veteri Iudæorum historia observatur, quod nec eorum, qui extra fœdus erant, lepra, quasi contagium in alios agens, vitata fuerit, uti patet ex Nahamo Syro 2 Regum 5 capite versu 1: qui, Centurio & leprosus cum esset, magna nihilominus non autoritate solum; sed familiaritate apud Syriæ Regem pollebat, interque aulæ honoratos regiumque famulitium habebatur; adeo ut ipse rex, se inclinasse ad ejusdem dextram eique innixus legatur, quotiescunque templum idoli Remmon adoraturus intraret. In novo quoque fœdere ipsum Christum, Math. 8 leprosum, quod lege vetitum erat, manu tetigisse legimus, atque ita sanasse: eundemque nec refugisse apud simonem leprosum diverti uti Mathæus idem & Marcus memorant. *Cap. 26.*

Sed dicat hic quispiam, cur ergo ex legis præscripto immundi a conversatione populi arcebantur & extra castra habitatum ire jubebantur, si caruit contagio lepra Iudæorum? Cur etiam tegmen eorundem leprosorum ori addi præceptum, ut habet Levitici caput 13, nisi quod exspiratione quodammodo aerem atque astantes inficere crederentur? Quod ad prius, dicendum eandem legis rationem valere in gonorrhœa ac mensium profluvio laborantes. Nam & horum consvetudine lex interdixerat; non quod fluxuum suorum fæditatem in alios transfunderent alijsque communicarent. Atque hac ratione immundus quoque habitus fuit, quisquis aut cubile aut sedile gonorrhœa affecti, vel fæminæ menstruatæ, nedum ipsasmet personas immundas tetigisset, ut videre est Levitici 15 cap. Nec aliter immundum pronunciabat lex, qui domum leprosam a sacerdote occlusam ingredi ausus fuisset levit. 14 vers. 46. Quod si solus ille ingressus in domum immundam polluere potuit, quanto magis personarum rerumque immundarum contactus, quemadmodum de cubili ac sedili diximus? Et quod amplius est, supellex si e domicilio de lepra suspecto ante introitum sacerdotis exportaretur, munda fuisset habita; sin in ea relinqueretur usque ad sacerdotis ingressum, immunda fieret, ut colligitur ex vers. 36 cap. 14 Levit. De quo operæ est audire Philonem eodem in libello cujus superius meminimus sic differentem: *Huic simile quod etiam de domo præcipitur, quam aliquando lepra infici contingit. Ait enim legislator: si domus lepra infecta fuerit, ibit ejus dominus & nunciabit sacerdoti dicens. Quasi plaga lepræ videtur mihi in domo mea. Moxque subdit: Et præcipiet sacerdos, ut efferantur universa e domo, priusquam ingrediatur eam, ut videat, & non erunt immunda quæcunque in domo sunt. Post hæc intrabit sacerdos, ut consideret. Ergo priusquam intrat sacerdos, pura sunt, quæ domus continet: illo autem ingresso, impura omnia. Atqui contrarium erat verosimilius, post introitum viri purificati, soliti pro cunctis ceremonias obire, & vota sacraque facere, res in meliorem statum mutari, & ex impuris puras fieri. At nunc ne in eadem quidem conditione permanent, sed superveniente sacerdote deteriores redduntur.*

Nec aliter de tegmine, quod ori leprosorum obdebatur, judicandum. Nam ob contagij metum id minime factum, ratio est, quia semoti & a mundis omnibus seperati septimo quoque die a sacerdote invisebantur. Legalis ergo non corporalis contagij indicium *Levit. 13.*

um quoque fuerit, ficuti & reliqua, quæ eodem levitici loco recenſentur, ut *caput intectum & veſtes laceræ*, quibus amiciebantur.

Satis elucere ex his omnibus arbitror lepram Iudæorum legali præſertim ac ceremoniali contagio, quod ſpiritualem reſpectum haberet, alios polluiſſe. Quod & ſummus ille Theologus Iohannes Calvinus ad quintum Caput Numer. Hiſce verbis innuit: *clare oſtendit hic locus Deum minime functum eſſe medici officio, ut ſanitati populi conſuleret, dum voluit leproſos e caſtris arceri; ſed hoc externo ritu populū exercuiſſe in ſtudio puritatis, quia leproſos, ſeminifluos & immundum ſuper mortuo coniungens ſimpliciter populum ab omni immunditie remotum eſſe iubet.*

Eorum vero lepræ affectuum, quorum ex Græcis Romaniſque autoribus teſtimonia citavimus, nequaquam eandem rationem fuiſſe vel hinc intelligitur, quod in elephantiaſi Plinius, non quidem diſertis verbis, haud obſcure tamen, contagium ſubintelligere videatur, præſertim cum ex Ægypto in Italiam hoc mali delatum Pompei ævo tradat celeriterque reſtinctum: Quomodo & idem ſed clarius eodem capite, lichenas egiſſe contagium, oſculi tranſitu, diſerte memorat, ac ſtatim addit: *adveneruntque ex Ægypto* GENETRICE TALIVM VITIORVM *medici*. Quæ omnia apte cum Lucretio conveniunt; qui ante ætatem Pompei in vivis agens negavit elephantem tum morbum in Italia, ſed tantum Ægypto in media, neque præterea uſquam, gigni ac graſſari. Et poſt hos omnes Celſus (qui a Plinij ævo non multum abfuiſſe videtur, uti ex eo colligo, quod ſe Themiſoni medico, cujus & Iuvenalis meminit, fere coævum faciat) *elephantiam* ſimiliter *morbū ſuo tempore pæne ignotum in Italia* dixit. In Ægypto interim perduraſſe ad ſua uſque tempora Galenus lib. 2 ad Glauconem teſtatur, aſſerens hunc morbum Alexandriæ familiarē, in Germania, Schytia, Myſia frigidis regionibus tum nondum graſſatum, ut & ſupra poſuimus. Vnde colligere cuivis facile eſt, cum nec Galliæ, nec Germania aliæve vicinæ gētes ab hac lue immunes hodie ſint, morbum, qui unius olim gentis ac regionis fuerat, per commercia & communionem, & veluti contagione quadam nec abſque nutu numinis, pluribus ac varijs regionibus populiſque familiarem redditum. *De Græcorum Romanorumque lepra: eiusque cōtagio quid ſtatuendum.*

Hac vero noſtra tempeſtate an contagium magnopere agat, dubitari poſsit, præſertim cum ij, qui leproſis in Noſodochijs adſunt, quique lodices ac linteamina aliaque ſupellectilia emundare & tractare ſolent, nihil unquam vitij ſenſerint; Nec ſanas mulieres (cujuſmodi nonnulli novere) nuptas leproſis contaminatas conſtet, ſed ſanas & integra perpetuo valetudine agentes, liberos etiam ſanos procreaſſe, cujuſmodi illuſtre etiam exemplum apud Valeſcum, referente Schenckio, exſtat libro ſeptimo cap. 39: Vbi ſe vidiſſe mulierem refert Veleſcus decenti ſatis forma, a leproſo & matre ſana genitam. Sic econtra exempla ſunt, quæ contagium adſtruant: & adfert unum Gordonius de Comitiſſa quapiam leproſa, quæ cum Montem Peſſulanum veniſſet Gordonij curationi commendata, factum ut medicinæ candidatus, qui Gordonio in re medica miniſtrabat, cum eadem comitiſſa ſe miſcuerit eamque impregnaverit, ſe vero totum lepra infecerit. Nec abſimile eſt quod narrat Philippus Schopffius libro de lepra Germanice edito, fabrum quēdam lignarium in Marchia Badenſi cum leproſa muliere commercium habuiſſe, nec ita multis a concubitu diebus leproſum ipſum inventum, & ad locum peculiariter ejuſmodi labe infectis dicatum fuiſſe amandatum. Quibus addi poſsit, quod Apuleius primo Metamorph. Socratem ab unico congreſſu Meroes annoſam ſeu *anatem* contraxiſſe memoret. Quod tamen quid ſit a nullo adhuc explicatum comperi; quamvis in Gloſſario invenerim, *ανασγῆρας; κατ' ὀργὴν θεῶν*. Et ſane non omittendum, hac occaſione, hominum id genus præ cæteris urigine ac venere concitari; adeo ut Ætius, Archigene teſte, tradat non temere inveniri ullum aliquem caſtratum elephantiaſi laborantē; ideoque & quoſdam olim ex audentioribus medicis manum nonnullis admoviſſe & caſtratione eoſdem liberaſſe. Vnde fortaſsis nec abs re eſſe nonnulli putarunt quod Michael Epheſius, in Commentario ad libros Ariſtotelis de generatione animalium, notarit hunc morbum ab Ariſtotele ſub nomine ſatyriaſis intellectum; licet diverſum hac parte ab Epheſio ſentire me fatear, cum ſatyriaſin ipſam, quam & ſolam eo loci Ariſtoteles nominat, ſimpliciter intellectam ibi philoſopho perſuaſum habeam. *Vide obſervat. Schenckij.*

Quandoquidem igitur utrimque, id eſt, & pro contagio & contra contagium teſtimonia exemplaque luculenta non deſint, quid ſtatuendum cenſebimus? An dicendum affectibus hiſce, haud aliter ac ſcabie cætera, iſtos infici, illos non infici? & præſertim, quod attulimus ex Gloſſario, ὀργὴν θεῶν, quam numinis iram interpretor, peccata punientis, plurimum hic valere, &, utrimque, quod dicitur, paginam facere? Quicquid ſit, id ratum eſto, Chriſtianæ charitatis haud poſtremum officium habendum homines cum

 egenos,

egenos, tum lurore ac fœditate ejusmodi despicabiles, a mortalium promiscuis cœtib', ac ministerijs semotos legitimis vitæ subsidijs non juvare modo,sed ædibus quoque certis ac tecto recipere. Deus ille omnipotens, ac Legislator sapientissimus, qui omnem a populo suo immunditiem segregatam perpetuo voluit, illam quoque spiritus ac mentis puritatem benigne nobis præstet, ut MVNDI præcipue CORDE cum filio ejus in æternum beati vivamus: Hi enim sunt, ut habet ipsius Servatoris oraculum, qui Deum videbunt.

Math. 5 vers. 8.

CAP. IV.

AVLA D. Georgii: Sint Ioris Hoff vulgo dicta.



PRIVSQVAM ad reliqua progredimur, non omittendum,quod vel inter vetustissima habetur,Aulæ nimirum D. Georgij institutum: In ea namque cives ætate provectiores, certa pecuniolæ summa semel numerata, de victu reliquisque necessarijs, quoad vivunt sibi prospiciunt; in hoc nimirū a Gerontocomio discriminata,quod in eo gratis alijsque legibus vivatur, ut mox dicemus. Scopus itaque primæ hujus aulæ institutionis, quæ hodieque, quantū potest, sarta tectaque servatur, iste præcipue fuit, ut cives ac jure urbis utentes, quibus res, ac mercatura præsertim minus ex voto cesserit; quibusque curta domi supellex; ac viaticum ad perficiendum reliquum vitæ iter, varijs eventibus ac procellis,ut res humanæ sunt, expositum, vix superesse videatur, exiguo hic pretio, quoad in vivis sunt, victū & habitationem honestam ac commodam una cum conjugibus, si superstites fuerint, sibi pacisci queant. Præbetur victus, isque satis dapsilis, in communi cœnaculo, mensis aliquot ordine ac separatim dispositis. Carnes ter in hebdomada, præter diem dominicum, & ter insuper pisces exhibentur. Famulæ quæ ministrant ac mensæ inserviunt,duę adsunt; excepta Oeconoma, quæ mater familias usitatius dicta. Senes seu præbendarij, vel, ut nunc appellant, provenarij, tam mares quam fœminę erant, cum hæc commentaremur, pæne septuaginta.

Aulæ Georgianæ institutum.

Ædificij ratio: Locus atque ædificium universum satis commodum atque amœnum hodie est,inque membra ac cubicula circumquaque distinctum: Et præter cœnaculum ipsum(quod amplum ac spatiosum, modoque commodiore, dum hæc scriberemus, formabatur) porticum insuper habet circuitu in quadrum distincto, cujus in meditullio hortus est,bifariā divisus; Quorum alter floribus ac arboretis varie ac decenter exornatus; alter prato æquabili ac gramine delectabilis est: Olim Paulinianorum cœnobium fuisse constat una cum templo, nunc Gallicæ Ecclesiæ dicato. Et antequam huc transferretur, in novo latere secundum viam Vitellinam, prope clarissarum cœnobium, nunc Marium Ergasterium, sub nomine quoque Capellæ D. Georgij,ubi nunc est Scriniariorum propolium, stetisse patet ex verbis Anonymi,qui annos ante cētenos, anno nimirum circiter 1500, de ea in hunc modum scripsit: *Est & Capella S. Georgij, ubi olim fuit domus Leprosorum, & nunc multa sunt prebendæ pro civibus senio debilitatis, qui ibidem pro parva pecunia expensas vitales comparare possunt.* Quando autem ex eo loco in vetus hoc latus, inque istud Paulinianorum cœnobium proprie translata hæc aula sit, exacte referre non habeo; nisi quod certum sit,rebus ac religione mutantibus id demum factum. Nam quod innuunt archiva, quæ apud Præfectos D.Georgij hodieque servantur,hunc locū fuisse,ab anno 1417, D. Nicolai hospitale, & intra urbem & Oetenwalam tunc collocatum stetisse, ad diploma Comitis Wilhelmi, cuius superius memini, referendum, aut saltem cum eo conferēdum accuratius judico.

De ejus antiquitate, & translatione ipsius aulæ nonnihil dictum.

Præfecti. Præsides ex civibus honoratis quatuor, arbitrio Magistratus,constituuntur: Matres, quas vocant externas,duę.Hæc cum scriberemus præfecti erant,*Jacobus Florentius Cloeck, Nicolaus Iacobi Haerinck Raspel, Albertus Lucæ, Martinus Adriani Boom*; Matres, *Elizabetha Petri, Elizabetha Henrici.*

De D.

De D. GEORGIO, & quis is fuerit, antidoti vice, paucula quædam superioribus addita.

Non collegia modo facellaque pafsim Georgio, ut divo, dicata; fed regna quoque ac provincias, Papifmi olim nænijs inefcatas, eundem ut patronum agnoviffe palam eft. Quapropter optimo iure, quis & quando exftiterit, inquirendum hoc loco propofui. Non quod hodie, fugatis Pontificiorum nebulis, apud nos, & ifto, quem enarravimus, loco, eiufce fuperftitionis metus ullus, aut reliquiæ fint; Qui nomen & appellationem tantum, tot annis ufurpatam, non rem tenemus; verum ne alijs quoque hæc noftra lecturis, feculi præoccupatis erroribus filentio quafi noftro affenfum præbuiffe, aut ignoraffe res videamur, quæ vel maxime Antichriftum, id eft, infcitiæ illud ac tenebrarum regnum in aperto ponunt, hæc, ut dixi, accuratius paulo enucleanda cenfuimus.

Narrat, inter alia, Iacobus de Voragine, Archiepifcopus Genuenfis, qui claruit temporibus Adolphi imperatoris, anno 1290, autor fabulofæ Sanctorum hiftoriæ, quæ propter excellentiam inter Pontificios *Aurea Legenda* nuncupata eft, narrat inquam, Georgium lancea fua Draconem vulneraffe virginemq; mortis periculo liberaffe, quomodo etiam pingi vulgo ac fingi pafsim videmus, additque & alia fimilia perpetraffe, quæ ejufmodi funt, & præfertim illa de Georgio, quæ apud nullum ufpiam probatorũ aut gravium hiftoricorum legi in confeffo eft. Nam apud Paficratem (qui fe Georgij fervum fuiffe fcribit) & Simeonem Metaphraftem in hiftoria; quam lipomanus probatam ait teftimonio Orientalis Ecclefiæ, id fane nufquam reperias; fed Georgio *conflictũ* tribuunt *cum Athanafio mago*. Idem faciunt Occidentales, Vincentius Belvacenfis fpeculo hiftor. lib. 12 cap. 131. Antoninus hiftor. part. 1. titul. 8 cap. 1. Quibus accedit quod utrique, & Orientales & Occidentales, fuum Georgium Cappadocem fuiffe aiunt: in Oriente Paficrates, Metaphraftes, Nicephorus Ecclef. hift. lib. 7. cap. 15 & Menologium Græcorum apud Baronium, Notat. in Martirolog. Romano; in Occidente ipfe Voraginenfis, Vincentius, Antoninus & Breviarium Sarisburienfe; Atque adeo Angli eum in æde Collegij Anglicani Romæ depingendum, ut Cappadocem, Curarunt, cum hoc elogio: GEORGIVM CAPPADOCEM ANGLIA SIBI PROTECTOREM ELEGIT ET MAXIMIS BENEFICIIS TVM PACE TVM BELLO RECEPTIS SEMPER RELIGIOSISSIME COLVIT. Ita ut idem Georgius loco Martis apud Pontificios fit habitus, uti oftendit Baptifta Mantuanus eum hunc in modum invocans 4 Faftorum: *Maxime bellorum rector, quem noftra iuventus pro Mavorte colit.*

Vide Suriũ de probatis Sanctorum Hift. Tom 2.

Lib. infcrip Ecclefiæ Anglican. Trophæa.

Quibus pofitis prefsiufque penfitatis, non erit difficile ad veri cubilia pervenire. Nam primo cum omnes fere conflixiffe eum cum Athanafio mago uno quafi ore, referant, ac denique finguli natione Cappadocem fuiffe confiteantur, ecquis ambigat amplius quifnam hic fuerit Georgius, qui res & ævum modo Athanafij, quem Arrianj vocaverunt magum, confideraverit? Et præfertim cum ipfemet Athanafius in Apologia de fuga fua, fub Conftantio, diferte referat Georgium Cappadocem, hominem improbum, Arrianũ, malum genere, peiorem animo, cum militarj manu & fatellitibus Alexandriam a Conftantio miffum, pro epifcopo ejus urbis fe egiffe: Repetatque id ipfum Nazianzenus Oratione in laudem Athanafij, expulfum nimirum Alexandria Athanafium fedemque eiufdem invafiffe Georgium: Et ante omnes Ammianus Marcellinus fcriptor Ethnicus, qui res ejus ævi, quibus etiam interfuit, veraci ftilo perfecutus eft, commemoret Athanafium Alexandriæ Epifcopum magiæ fufpectum habitum, vel, ut ipfe loquitur, *fatidicarum fortium fidem, quæve augurales portenderent alites, fcientiffime calluiffe, aliquotiefque prædixiffe futura*: Georgium vero apud Epiphaniam ciliciæ oppidum in fullonio natum, Alexandriæ poftea Epifcopum ab Alexandrinis, hominibus ethnicis, crudelifsime tandem peremptum, cadaverque ejus igne crematum, & cineres in mare proiectos, ne honorifice tanquam martyr a Chriftianis fepeliretur; a nonnullis tamen pro martyre exinde coli cœptum; quamvis immerito, uti eos redarguens docet Epiphanius Hæref 76.

Lib. 15.

Lib. 22.

Vnde cuivis effe manifeftum poteft, Pontificiorum hunc Martyrem, Georgium Cappadocem haud alium fuiffe quam Arrianum, Athanafij & Ecclefiæ hoftem; delufofque ab Arrianis Pontificios commenta exinde de Dracone confoffo & virgine liberata affin xiffe: quæ, ut dixi, nullo hactenus autore, qui alicujus nominis fit, probari potuerunt: Adeo ut ipfe Baronius, Notationibus in Martyrologium Romanum Aprili 23, dum in omnes fe partes verfat, fateri cogatur hanc de Georgio hiftoriam, Draconem confodiẽ te, virgi-

te virginemque liberante, merè symbolicam esse nihilque veri continere. Sed præstat ipsiusmet verba apponere: *Pictura illa S. Georgij, qua effingitur eques armatus, qui hastæ cuspide Draconem interficit, juxta quem etiam virgo posita manus supplices tendens implorat auxilium; symboli potius quam historiæ alicujus opinor esse expressam imaginem: in nullis enim antiquis actis quidquam ejusmodi legitur; sed à Jacobo de Voragine absque aliqua maiorum autoritate ea ad historiam referuntur.* Hæc Baronius: Et tamen Georgium sanctum martyrem, etsi Draconem nō occiderit, contendit Bellarminus de Ecclesia triumphante lib. 1 cap. 20. quod hoc approbet cōsuetudo universalis Ecclesiæ, quia semper Georgij memoria celeberrima fuit. En verba lapsantia & vaga! en argumentum Gigantis plumbeum! Semperne Bellarmine Georgij memoria ex consuetudine universalis ecclesiæ celeberrima fuit? An etiam Athanasij & Nazianzeni ævo, qui nullum novere Georgium, nisi Arrianum; & suum atq; ecclesiæ orthodoxæ hostem? An etiam Epiphanij, qui, ut diximus, reprehendit eos, qui Georgium ut martyrem colendum volebant? An denique Gelasij Papæ tempestate, qui *Can. Sancta Romana* distinct. 15, historiam S. Georgij inter apocryphas numerat, utpote ab hæreticis confictam; qui & Synodum Romanam, quæ habita circa annum Domini 495, haud aliter sensisse disertè innuit, verbis à Baronio citatis sub finem anni 295, Tomo Annalium secundo: Vt ita ne Romanæ quidem Ecclesiæ judicio, nedum universalis, ut vago modo loquitur Bellarminus, pro sancto semper sit habitus Georgius. At que ita necessario sequetur, Pontificios, cum nullum, uti audivimus, probare possint Georgium, qui Draconem interfecerit, virginem liberarit, nisi fictitium ac symbolicū; omninò se Arriano hoc (cujus Ammianum ceterosq; illius ævi meminisse ostendimus) deceptos ac delusos confiteri debere. Et sanè delusos fuisse argumento insuper est quod hodieque Alexandrini præter Michaelis Archangeli, & Marci Evangelistæ ædem, ruinosam præterea habeant & vetustam *ecclesiam martyris magni sancti Georgij extra urbem ad littus maris salsi* (ut habent verba (a) Epistolæ Iohannis chorepiscopi Alexandrini ad Clementem VIII nuper missæ) eo nimirum loco positam, ubi Georgij Cappadocis Arriani *cadaver crematum* ex Ammiano jam modo retulimus, *cineresque projectos in mare.* Verum ipsa chorepiscopi Alexandrini verba non abs re fuerit ex eadem epistola integra adjicere, quæ ita habent: *Alexandriæ tres sunt ecclesiæ catholicæ, una nomine principis Angelorum sancti Michaelis, secunda sancti Marci Evgāelistæ Catholici; ac tertia nomine martyris magni sancti Georgij extra urbem ad littus maris salsi.* Quæ contendenda censeo cum hisce Ammiani, quæ similiter hunc in finem subjeci: *Ecce autem repente perlato letabili nuncio indicante extinctum Arthemium, plebs omnis elata gaudio insperato, vocibus horrendis infrendens Georgium petit: raptumque diversis multandi generibus proterens & conculcans divaricatis pedibus. Cumque eo Dracontius monetæ propositus, & Diodorus quidam veluti Comes injectis per crura funibus simul examinati sunt: ille quod aram in moneta quàm regebat recens locatam evertit: alter quod dum ædificandæ præesset ecclesiæ, cirros puerorum licentius detondebat, id quoque ad Deorum cultum existimans pertinere. Quo non contenta multitudo immanis, dilaniata cadavera peremptorum camelis imposita vexit ad lacus: iisdemque subito igne crematis, cineres projecit in mare, id metuens ut clamabat, ne collectis supremis, ædes illis extruerentur ut reliquiis, qui deviare à religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas, adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, & nunc martyres appellātur. Poterantque miserandi homines ad crudele supplicium ducti, Christianorum adjumento defendi, ni Georgij odio omnes indiscretè flagrassent.* Diserte enim in ijs dicitur cineres Georgij in mare dispersos; ut appareat haud vanam esse Chorepiscopi istius Alexandrini narrationem, hodieq; ruinosam Georgij ædem ad maris eiusdem littus exstare tanto temporis postliminio suaque sponte ac libere in universum profitentis: denique animadvertendum hic est, summum fuisse inclinantis iam Ecclesiæ in sanctis confingendis cacoethes; & præcipuè in hanc classem referendum Voraginensem illum, quem indicavimus, Genuatum quondam episcopum, quem profundissimarum tenebrarum verè voraginem dicere liceat; utpote cujus ex cerebro, ut olim Iovis, plurimi tales Dij Deæquæ Ecclesiæ Romanæ mirabili fæcunditate pullularunt. Nam de Catharina, (a) Christophoro alijsq; hoc loco dicere supersedeo: quos tamen omnes, si quis accuratius excutiat, *Patrimos* solummodo inveniet, id est, patris tantum ejuscemodi prolem.

(a) Epistola hæc tota est apud Baronium Annal. Tomo 6 in corollario de legatione Alex. ad Clementem 8. sub fine dicti Tomi.

Lib. 22.

(a) Vide de singulis ipsum Baronium in Martyrologio, adhibita præsertim Reinoldiana face de idololatria Rom. Eccles. lib. 1 cap. 5.

APPENDICVLA *alia seu disquisitio super origine instituti Aulæ Georgianæ.*

Porrò origo instituti superioris referenda videtur, aut repetenda potius ab antiquissimo

simo illo, sed vere laudabili vereque pio Græcorum more pauperes amicos sublevandi. Fuit enim apud illos morib⁹ receptum, ut cum adversam fortunam passus esset aliquis, amicorum atque sodaliũ facultatibus sublevaretur, accepta ab illis pecuniæ aliqua summa, ea tamen lege, ut si Deus aliquando meliora daret, quantum illi erogatum esset, tãtundem ipse restitueret. Hanc stipem collectitiam vocabant ἔρανον, & factum ipsum ἐρανίζειν respectu, ut plurimum, accipientis, vel ἔρανον συλλέγειν; dantis vero ἔρανον εἰσφέρειν. Huius moris passim apud Graios veteres mentio. Theophrastus in ethicis characteribus ita eius meminit, capite de arrogantia: *Cum amico collectam seu eranum ab ipso petenti nihil se largiturum dixerit, postea ipse ultro afferet, dicetque, velle se hanc quoque pecuniam perdere.* Quem ad locum consulenda quæ adiecit in Commentario ad eundem Theophrastum clarissimus Casaubonus. Qui inter alia Antiphontis quendam locum adducit, ex quo ostenditur conferri etiam solitum eranum si quis sentẽtia iudicis omnibus suis bonis fuisset evolutus: Additque ex Demosthenis oratione in Nicostratum constare pro captivis amicis eranum similiter olim dari consvetum, ut esset unde se redimerent. Præcipuè verò apud Athenienses hujusmodi sodalitates viguisse ait, & in nonnullis insuper alijs Græcorum civitatibus, quæ communem quasi arcam habebant, in quam mensibus singulis certum quid deferretur, quo juvari poterant, qui ex illa sodalitate fortunam adversam aliquo modo fuissent experti. Confirmat id autoritate classicorum scriptorum, & præsertim Pollucis ac Platonis: qui etiam litium & legum eranicarum in Græciæ quibusdã urbibus institutarum mentionem injiciant. Apud Romanos quidem nihil tale factitatum observatur: quin existimandum potius vetitas istas sodalitates fuisse à Romanis in plerisque Græcorum civitatibus, postquam ad illos summa rerum pervenerit: Colligiturque id fere ex Plinij Secundi quadam epistola, qua Traianum consulit super libello supplice civitatis Amisenorum ad eranos pertinente: Nam Traianus Cæsar respondens, Amisenis quidem permittit eranos habere, *si nimirum tali collatione non ad turbas & illicitos cœtus, sed ad sustinendam tenuiorum inopiam uterentur*; in cæteris vero civitatibus quæ jure Romanorum tenerentur, rem huiusmodi prohiberi voluit. *Epist. 93 & 94. lib. 10.* Discrimen verò & similitudo utriusque huius instituti, illius inquam Græcorum, & huius nostri de quo locuti superius sumus, hinc liquet, quod apud Athenienses amici amicis inque sodalitate eadem agentibus sinistraque aliqua re aut negotiatione oppressis hæc invicem præstare solebãt: hic vero urbis indigenis ac civibus adversa similiter fortunâ usis, aut alias depauperatis, ad vitæ riliquæ tutius transigendæ subsidium, isto beneficio succurritur, sicut latius commemoratum est superius.

CAP. V.

NOSOCOMIVM,

Vbi de institutione eiusdem ac ampliatione: deque Pestis DOMO & PTOCHODOCHIO *eidem adiunctis.*

NOSOCOMIVM, quod nunc dicimus, Hospitale appellavit Anonymus; deque eo, annos ante centenos, sic locutus est: *Est quoque in eadem parochia Hospitale totius Hollandiæ celeberrimum, habens in annuos proventus plus quam mille Florenos, ex duobus hospitalibus confectum Sancti Petri & sanctæ Elizabethæ ex novo latere eo translatum.* Quibus in verbis parochiam veteris ecclesiæ, quam *Templum* nunc vetus appellamus, intelligit, & locum Hospitalis huiusce fuisse tunc in Nessa vico; prius vero à latere novo; ubi hodieque secundum curiam vicus est, qui nomine adhuc rem eam indicat, dum *Gasthuys-steghe*, viculus iste vulgò nominatur. Quam diu autem in eo Nessæ vico Noscomium hoc haberetur, virorum tantum contubernijs destinatum reperio; Nam novo à latere, aliud tunc erat, quod fœminis serviebat, idque *Hospitale Dei Genetricis* Anonymo eidem seorsim nuncupatur. *Gasthuys steghe, prope Curiam.* Plurimum verò virorum istud, dum eò loci, in Nessæ nimirum vico consisteret adauctum exornatumq; fuisse, & acta & archiva Nosocomij loquuntur. Nam anno 1501, peste laborantium DOMVS accessit, præfectura fungentibus tunc *Gisberto Lapsekero, Florentio Johannis, Franco Nicolao & Johanne Gisberto:* Et, anno exinde 1504, officina cervisiaria, una cum *Ptochodochio*, vulgariter *de Beyert*, nominato, de integro constituta, aliaque ædificijs melioribus restaurata, quæ recensere hoc loco longum nimis esset.

Translatio Nosocomij ex Nessæ vico in locum capaciorem. Postmodum, anno 1578, & annis exinde sequentibus, maximeque 1582, in universum translatio facta Hospitalium seu Nosocomij utriusque, tam marium, quod in Nessa constitisse, & eius, quod D. Mariæ nominatum, in gratiam atque usum fœminarum à parte lateris novi collocatum antiquitus, jam indicavimus. Transiatio inquam tunc circiter facta; electumque huic usui monasterium, quod in urbe universa capacissimum maximumque fuisse constat, *novarum veterumque monialium* nomine. Harumque mutationum facta prior videtur sub præsidibus *Florentio Theodori Ottero,& Iacobo Cantero:* Nam illis, ubi res Pontificiorum in peius indies fluerent, urbe excedentibus, surrogati in eorum locum *Ioannes Persinius & Waltherus Verhee.* Et tunc præcipue ex Nessa vico in istud novarum veterumque monialium cœnobium, virorum Nosocomium translatum fit, at-

1582. que altera, fœminarum vidilicet Nosocomij lateris novi, in idem monasterium translatio exinde cōtigerit anno circiter 1582, quomodo iam ante quoque innuimus obiter.

Reditus Nosocomij adaucti anno 1584 & sequentibus Monialibus, quæ tunc utrumque adhuc cœnobium possidebant, honestè, sed extra monasterium, annuis reditibus prospectum: Plurimumque incrementi latifundia ac bona universi Nosocomij ceperunt, rebus exinde provinciarum urbisque prospere cedentibus: nec non adspirante singulari magistratus munificentia, qui præter vectigalium solennes, ac Ordinum decreto sancitas immunitates ex alijs insuper Ecclesiæ aut monasteriorum reditibus liberali subvenit manu, adeò ut collectæ vix ullæ huius nomine fiant, præterquam in publicis Nosocomij concionibus.

Legatum Margaretæ Nicolaę Corsię *amplissimū,* Inter legata, cuiusmodi annis superioribus à diversis civium opulentiorum facta sunt, unum præterire non possum quod, annis ab hinc paucis, *Margareta Nicolaa Corsia,* coniunx *Wilhelmi Barentsonij,* deposuit. Erat quidem sterile horum coniugium, sed amici tamen non deerant: interea nihilominus ex bonis suis, seu potius bona sua in universum delegavit pijs hisce ædibus summam nimirum Florenorum; 140595, qui sunt centies quadragies quingenta & nonaginta quinque Floronorum Carolinorum millia. Constabantque hæc bona syngraphis, reditibus pręsentique pecunia. Nosocomio ex summa universa duæ quintæ cessere, Floreni nimirum 56238. Orphanocomio quinta una, Floreni videlicet 28175: Pauperibus domi sedentibus à parte urbis antiqua similiter Flo. 28175; & totidem pauperibus à parte oppidi nova. Hæc bonorum divisio celebrata anno 1602, cum marito quem dixi, *Wilhelmo Barentsonio* qui uxori superstes relictus. Cum primum connubio iungerentur, res haud ita amplas fuisse, & vix decem aut circiter florenorum millia in dotem utrimque simul collata comperio, sed hæreditate paulatim atque alias attentâ ac mirâ parsimoniâ, ad quam natura quasi utrumque finxerat, in immensam ac tantam opulentiam, labentibus annis aucta sunt omnia.

Margaretæ Corsiæ & Wilhelmi Barentsonij *mira parsimonia: eorundemque characterismus.* Facetum, sed dignum memoratu est, quantum utrique horum rei suæ augendæ unum perpetuo, ac concors studium fuerit, ut appraeat in omni vita atq; in omni gente variorum existere hominuū characterismos, nec ullo deesse seculo Euclìones: Ad forum itura, sæpenumero vacua domum redibat, cara nimis conquerens omnia: ubi obsonij quid præstinasset, & obolos aliquot lucri atq; auctarij vice pollicerentur vicinæ, illa acceptis, cum pecunia exposita, duobus insuper aut tribus illis obolis, vicinæ, quod emerat pisciū aut carnium, totum tradebat: Maritus quoque, quid in dotem attulisset & quantum suum esset computabat; cumque maiores multo uxorjs esse opes non ignoraret, ad rem suam non minus attentus nihil uxori gratis præstare animum induxit: Si enim apocha esset conficienda, hanc quidem ejus nomine scribebat, sed hac conditione, ut illa vicissim pro scriptione duos obolos, pro syngrapha, quatuor numeraret. Rationes quoque uxoris in codicillos relaturus pretium ac salariolum certum paciscebatur, magnam quotannis hæc parva summam efficere reputans. Si quid liberalius festo die erat insumendum, symbolam quisque suam tribuebat, sed uxor marito maiorem; utpote cujus res, ut innuj, maiores lautioresque maritus sciebat; Si placentulæ faciendæ, maritus farinam; lac & reliqua uxor conferebat: Et denique calceamenta, aliaque jam usu detrita, ad forum scrutarium ferebātur, ut venderentur quammaximo. Quis hic aridi atque avidi illius apud Plautum senjs veram ideam non agnoscit? qui aquam plorabat, cum lavaret, profundere; quique rem suam perisse existimabat, si qua fumus suo de tigillo foras exiret; Quemque hisce verbis loquentem inducit idem Plautus.

Vt ui animum tandem confirmare meum,
Vebene haberem meæ me filiæ in nuptijs.
Venio ad macellum, rogito pisces, indicant

Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia;
Atque eo fuerunt cariora, æs non erat.
Abeo illinc iratus, quoniam nihil est, qui emam.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
Occœpi, festo die si quid prodegeris,
Profesto egere liceat, nisi peperceris.
Postquam hanc rationem cordi ventri edidi,
Accessit animus meam ad sententiam,
Quam minimo sumtu filiam ut nuptum darem.
Hunc tutulum emi, & has coronas floreas,
Hæc imponentur in foco nostro larj,
Vt fortunatas faciat gnatæ nuptias.

Hæc de Euclione suo Plautus. At nostra illa Margareta, duobus diversissimis actibus, vita nimirum adeo misere ac perpacè transmissa; & hac tam inusitata in egenos munificentia tamque pio duraturoque officio, plus bonæ quam malæ famæ apud posteros merebitur.

Vtrumque porro monialium hoc cœnobium nunc, ut dixi, virorum fæminarumque area ac porticu longa separatum Nosocomium, duplicem quoq; aditum habet, a parte enim fori cespitij introitus est in valetudinarium, quod viris destinatum est; a parte Burgwalli, prope pontem Nosocomij, in alterum, quod mulierum est. Aditus interim uterque formatus in eum modum, ut ex altero Nosocomio in alterum liber transitus atque exitus utrimque pateat. Nec virorum modo fæminarumque seperata hic habentur valetudinaria, sed additis novis amplissimisque ædificijs, etiam militum in bellis vulneratorum, aut alias ægrorum, locus est, itemque & *Ptochodochium*; ac *peste* denique *infectorum Domus*. Quod in universum si consideretur spatium, vix vesopo aut Muda, vicinis oppidis, minus censebitur. *Nosocomij positus ac situs.*

Oeconomia fere talis est: Præest cuique valetudinario mater domestica, quæ famulas sibi adiunctas duas habet in omnem eventum ac ministerium ægrorum paratas. Virorum Nosocomium, itemque Fæminarum unum quodq; lectos habet circiter centenos amplis longisque cœnaculis Militum, quinquaginta duos; nec in Ptochodochio aut peste laborantium ædibus pauciores sunt. Et patet insuper in omnem eventum parte superiori locus grabatis collocandis aut spondis volubilibus, aut, ut vulgo fere usurpant, ex vimine contexitis. Lecto cuique, etiamsi clinico aut ægro vacet, operimenta sua, pulvini & stragula addita, itemque utensilia alia ut matula & cantharus ex stanno decore splendentes. Culina seorsim, & quasi in meditullio collocata, Matrem insuper cum famulis duabus habet, quæ rei cibariæ curam tantum modo gerit. Est quoque seorsim intra tamen Nosocomium, ad panes pinsensos pistrinum cervisiæque coquendæ officina; nec non & stabulum bobus saginandis paratum. Suntque nitentia sic omnia, ut id solum modo agi videatur; vel non videatur potius, ita quocunque te intuleris servitia nulla aut ministeria sordibus fæda occurrunt, sed splendore coruscantia omnia, ac rite sine operis veluti disposita, ut Psyches Apuleianæ regia animo se quodammodo offerat, ubi servitia conspiciebantur nulla, sed munda tamen & ad nutum parata singula, eaque vocibus tantum & famulis spiritibus ministrata. *Oeconomia Nosocomij.*

Præter hæc officina est pharmaceutica & hortuli medicinalis aliaquæ viridaria; ijsque pharmacopæus & Medicus præfecti, quorum intra Nosocomium uterque agit. Adiuncti & chirurgi, qui in omnem eventum adesse præsto tenentur. Singulisque salaria ex ærario Nosocomij honesta attributa, exceptis pharmacis, quæ summam subinde bis mille florenorum vel sola superant, & ad idem hoc referuntur ærarium. *Officina pharmaceutica* intra Nosocomiũ itéq; *Medicus. Chirurgi.*

In Zythum quoque ceteraque ejusmodi, quæ expenduntur, si quis inire rationem velit, fide maiora reperiet. Boves, exceptis ovibus & vitulis, mactantur quotannis octuaginta circiter: Quorum aliquot peculiariter saginatos, intestinis & pelle demptis, ultra quatuordecies libras pependisse constat. Cervisiæ tonnæ 36 singulis octiduis ex officina cervisiaria inferuntur: Quæ unam in summam collectæ plus minusve quam tonnas bis mille quotannis efficient. Lactis in universum heminæ 61444, annuo spatio, requiruntur; *hemina pro mensura quam een mengel dicimus*, accepta. Butyri tonnæ 70; ova 25000. Vnde & panis ac Zijthi quantum requiratur, quisque per se facillime colligat. *Expensæ.*

Cespitum præter ligna aliaque ad focos circumquaque instruendos necessaria, haud infra duodecies mille corbes in annum sub tecto conduntur. Atque horum ex archivis ipsius Nosocomij nonnullum hîc specimen apponere libuit, quò de reliquo totoque in universum Nosocomij impendio conjectura fieret; simulque & maiorum quanta simplicitas, aut frugalitas potius fuerit, qui magnum hîc possidere se crederent, si ultra millenos florenos, annuo reditu, pollere nosocomium dicerent; quemadmodum ex Anonymo jam modò relatum est.

Ptochodochij forma ac ratio.

PTOCHODOCHIVM autem, ut de eo seorsim aliquid addam, nostrati lingua *Beiert* appellari supprius indicavi. Aliàs Grecanica vox est à Πτωχὸς. deducta, quod *mendicum* notat. Aperitur incipitque patere sub hiemis initium, mense nimirum Novembri; clauditurque sub Maium, Admittuntur in illud homines egeni peregreque accedentes, triduique hospitium conceditur, potus ac cibus ministratur. Habetque circiter lectos quinquaginta. Viris ac fæminis locus & focus lectique seorsim præbentur. Priusquam cubitum conceditur, coguntur cultellos singuli, aut si quid tale penes se habuerint, oeconomo in manus tradere: vestes quoque singulorum, ubi dormitum eunt, uno corbe colliguntur ac curriculo protrusorio impositæ extra cubiculi fores, quæ statim occluduntur, in crastinum mane servantur: maneque mox facto eodem curriculo ad locum suum referuntur. Oeconomus seu pater domesticus idem hîc est, qui militum valetudinario curat:

Valetudinarium Militum.

De quo etiam hoc scire interest, conditum nimirum anno 1587 in usum præcipue causariorum militum, qui vel in bellis calamitate aliqua, utpote vulneribus, vel alias corporis ægritudine affecti sonticam causam adferunt, cur demissionem impetrent. qui etiam antiqui instituti mos fuit, & passim apud veteres occurrit ægri corporis causatione vocationem cõcessam: ipsumque Hadrianum Imperatorem, cum in Gallias venisset, refert Spartianus Causarios omnes liberalitatibus sublevasse. Quod sive de ipsis Galliæ civibus, quos casus aliquis aut calamitas oppressisset; sive de militibus capiendum, qui causaria, ut Livius loquitur, missione morbum simileque commodum vacationis aut infrequentiæ rationem adferebant, huc sanè pertinere videtur. Quamvis interim non me fugiat tria missionum in universum genera veteres intellexisse: Quorum prima missio erat *honesta*, quæ emeritis stipendijs dabatur; secunda hæc, de qua loquimur, *causaria*, cum ob senectam, invaletudinem aliamve legitimam causam miles mittebatur: Tertia *ignominiosa*, quum delicti ac criminis ergo militia quis solvebatur ab imperatore. De secunda, & ad rem, de qua agimus, accommodatè lib. 4 Milef Apuleius: *Rebar me jam prorsus examinatum & debilem mereri causariam missionem.*

Domus peste laborantium.

Denique peste infectorum Domus, amne intermeante, à reliquo Nosocomio per pontem sublicium seperatur; ità tamen ut eodem cum Nosocomio septo contineatur; Habet in medio aream quadratam concinnè dispositam. Lecti circumquaque plurimi sunt. Annis superioribus, grassante peste, quingenti & ultra hospitio simul excepti sunt.

Oeconomiâ totiusque Nosocomij interiorj ratione explicatâ, Præfecti nunc & veluti primi motores seu moderatores potius, qui clavo assident, recensendi: Hi, sicut & de reliquis dictum fuit, *Patrum*, ut plurimum, nomine veniunt, ex civium primoribus à magistratu huic muneri deputati. Sex præcipuè numero hîc sunt; quorum, cum hæc scriberemus, nomina erant, *Cornelius Iohannis Geelvinck*; *Iohannes Caroli iunior*, *Lambertus Petersonius*; *Isbrandus Harmannj*; *Petrus Egberti Vinckius*; *Iacobus Bicker.*

Præfecti Nosocomij.

Matres quoque externæ, ex oppidi primarijs matronis, seorsim leguntur, separatumque habent synedrium: Earumque curæ suppellex linea ac lanea, aliaque nonnulla ad domesticam inspectionem attinentia permittuntur. Erant cum hæc commentaremur; *Gerharda Lamberti*; *Iohanna Leonardi*; *Anna Harmanni*; *Maria Iohannis.*

Patres hebdomadibus singulis bis conveniunt alternisque quatuordecim diebus ceteras inter curas, delectum instituunt eorum, qui vel dimittendi vel de novo recipiendi.

De peste paucula addita deque eiusdem causis & contagio.

Invitat hic locus, & DOMVS præsertim, de quâ diximus, peste laborantibus dicata, de morbi ac mali istius indole, unum hîc parergicῶs adijcere, ob eos præsertim, qui hodie curiosius quærunt, num mediantibus, aut immediantibus potius causis, in regna & gentes à Deo pestis immittatur, & simul an sua natura contagium habeat. Alij enim mediate,

mediate, & per causas secundas, Deum hîc agere censent, alij immediatè. Qui immediate, & Dei telum manumque esse pestem simpliciter statuunt, nec contagium simul agere, nec ullas in pestis definitione secundas causas agnoscendas existimant, sacrarum scripturarum, ut volunt, fulti autoritate ac testimonio: cum tamen secundas causas in pestis definitione minimè omittendas, etiam sacrarum Scripturarum autoritate, vel inde pateat, quod Deus mediate nunc operetur: Deinde quod ipse Moses malorum eiusmodi, & præsertim pestilentialium febrium secundas causas disertè pronunciet cælum, & aeris inde immutatam qualitatem. Nam Deut. 28. manifestè legere est: *Percutiat te dominus egestate, febri & frigore, ardore & æstu & aere corrupto & rubigine, & persequatur donec pereas*, quo loci pro *aere corrupto*, nonnulli eòdem respicientes *ariditate* reddiderunt, Nam omnia hæc frigora, ardores & siccitates in hisce inferiorib⁹, nunc hoc, nunc illo se modo habent, prout cælum & sidera se habuerint quomodo & sequentibus ibidem versibus innuitur, ubi & inter alia *cæli ænei* & *terræ ferreæ* mentio fit. Itemque Paralip. cap. 7 vers. 12. Deus dispositis prius ijsdem medijs pestem aliaque mala in populum suum se missurum minatur: *Si clausero*, inquit, *cælum & pluvia non fluxerit, & mandavero locustis ut devorent terram & misero pestem in populum meum.*

Pestis causa, ex sacris literis.

Si quis tamen hisce adversetur, ac regerat seperatim hæc singula accipienda, nec ad cæli aut aeris jmmutatam qualitatem referenda, ille velim respondeat ac doceat, quod nam ergo corrupti aeris, seu ariditatis desuper descendentis, de qua loquitur Moses, effectum statuendum sit? Nam nullum esse vix existimem quemquam posse asserere. Fruges ergo atque aquas si quis infici cælitus dixerit, ecquid homini omnibusque animantibus magis ad vitæ usum necessarium, quam fruges & aquæ. Quapropter maximam fatendum est esse cæli, soli & aeris in peste constituenda, etiam sacris attestantibus literis prærogativam. Hinc regiones quædam sunt, à quibus aut nunquam aut rarò ità pestis avellatur, quin eius aliqua perpetuò appareant, aut nova pullulent semina. Sic econtra certi referuntur historiographis orbis terræ tractus, huius fere semper expertes maleficij. Talis perhibetur ora illa occidentis Æthiopiæ, quæ Nigir fluvio contermina est. Hæc enim à peste perpetuò jmmunis est. Sic etiam Lucretius indicat certos morbos certis regiònibus esse familiares. Nam inquit:

Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam.
Attide tentantur gressus oculique in Achæis
Finibus, inde alijs alius locus est inimicus
Partibus ac membris.

Quibus accedit, quod Plinius, *Locris & Crotone pestilentiam nunquam fuisse, nec ullo laboratum terræ motu*, annotatum dicat. Causam horum si quærimus, de cælo referet Lucretius, ac dicet: *Varius concinnat id aer.* Quamvis nos ità aeri & cælo tribuemus, quatenus illa vel disponit vel immutat causa prima. Quis enim elephantem morbum, quod ait Lucretius, intra Ægyptum constitisse dixerit, cum eum Italiam invasisse circa Pompei ævum & inde, aliquot jam seculis, Alpes transisse sciamus? Quis Crotona & Locros à peste perpetuò immunes affirmarit, cum toties, post Plinij ævum, universam Italiam afflixerit? Abfuêre ista quamdiu vitia & causæ non fuere. illis accedentibus illorum quoque pænas misit Deus, & quoque mittet. Hinc frigidum Boream & ignotum axem calentia hæc mala perurunt; & nostra vicissim ad Æthiopes migrant.

Lib. 2. Cap. 96.

Quomodo cælo & aeri attribuenda pestis,

Statuendum igitur, cum præter autorum prophanorum testimonia, ipsæ præsertim sacræ literę non tantum primam & principem causam Deum, sed etiam hac parte secundas, cælum videlicet & aera, silentio non prætereant, rectè etiam nobis definiendam pestem, aliaque talia à Deo mediantibus causis, quomodo indicavimus, in regna & gentes cælitus immitti.

Quibus & ratio multifariam suffragatur, quod nimirum spiritus & calidum innatum si non sint elementaria, sed cælestia (ut nonnulli etiam Medicorum coryphæi crediderunt) possunt & spiritus tetra quapiam atque analoga sibi qualitate contaminari. Iam autem constat substantiæ, non qualitatis simplicis, labem contrahi à cælo potius, quam ab elementis aut alimentis, cum temporum morbi, ut verni, æstivi atque autumnales à Sole & cælo presertim ortum habeant. Vnde & comicus in Trinummo præsentaneum ac lethale quoddam ægritudinis genus *Solstitialem morbum* appellat: Et Maro,

Præmissorum rationes aliquot.

solstitium pecori defendendum monet, id est, à pecore arcendum. Et satyricus Iuvenalis autumnales morbos funestos ut plurimum, haud nesciens, medico tamen Themisoni passim emorientium culpam satyrice impingit, cum ait, *Quot Themison ægros autumno occiderit uno*, ita ut verisimile etiam hinc fit, pestilentiæ causam, inter secundas, præcipuam à cælo derivandam. Nam ut eius origo occulta admodumque remota est, nec facile etiam usitatis remedijs cedit, ità Deum idque iusto providentiæ suæ decreto, cælestium magis, quam elementarium rerum immutatione, veluti ministris ac medijs ab usitata nimirum medicorum ac rerum naturalium ratione perplurimum dissidentibus, in exauriendis ac castigandis cum opidis tum regnis ac regionibus, uti, haud dissentaneum vero videatur.

De Contagio. Quod deinde disputatur de contagio, argumentari quis possit si nullum id esse constaret, vix aut exiguum mortalibus terrorem incuteret pestis, at incutere terrorem, & naturaliter absterrere homines testatur experientia: tum etiam velle quodammodo id omnipotentem Deum colligere fit, quia flagello & telo isto populis comminatur. Nihil ergo absoni consequeretur, etiamsi doceretur agere contagium, sed ità, ut ne capillus quidem cuiquam decidat sine summi numinis voluntate: Nam & manifestè quoq; contagiosi morbi haud quaquam promiscuè omnes, qui contaminatis communicant, continuò inficiunt.

Rationes pro cõtagio. Rationibus vero si quis certet ostendere esse aliquod eiusmodi contagium non minima inter cæteras sit, quod promiscuam multitudinem vitiosè fere ac sordide victum vitamque transfigentem præcipuè affligi ac tolli constet, principes verò ac magnates, &, ut refert Plinius, senes quàm rarissime. Qua de re consulenda etiam, præter nostram memoriam, cum prophana tum sacra historia: ubi semper populum affectum legere est, regibus ac præsidibus, ut maximè intactis: adeo ut Græcis etiam hinc dicta pestis *Epidemia* quod in populum præcipuè grassetur, sive hoc ad victus rationem referendum qua utuntur fere principes, quàm exquisitissima; sive ad aeris puritatem cui student, quantum potest, vel summa cura, vel celerrima ex opidis & à populi frequentia secessu ac fuga, nunc non libet excutere.

Gentium consensus, exceptis Turcis. Clamant denique sordes, ulcera & teter ille ex ore, ac omni corporis parte, halitus aliaque talia contagionem nequaquam abesse; ut omittam historicorum testimonia, & gentium fere omnium consensum, si unum Turcam excipias, cuius hac de re iudicium adscribi meretur, cuiusmodi id ab Augerio Busbequio, Ferdinandi olim, Regis Romanorum, apud Turcas Legato, annotatũ repperi in Epistola quapiam eiusdem de legatione ista Turcica: Vbi hæc ad verbum habentur: *Pestis vitandæ gratia mitto ad Rustanum Bassam, rogatum ut mihi eius permissu aliquo migrare liceat, ubi sim extra metum aeris contagione infecti &c. Respondit Rustanus se relaturum ad Principem* (Turcarum scilicet). *Postridie renunciat eum sic respondisse: Quid mihi vellem, aut quo cogitarem: an nescirem pestilentiam sagittas esse Dei, quæ à proposito scopo non aberrarent? ubi ubi delitescerem, ut ab eius teli jactu tutus essem? Si me percussum vellet, nihil fugam, nihil latebras profuturas, frustra vitari, quod evitari non possit. Suas ædes ne nunc quidem peste vacuas, in quibus nihilominus maneret, me quoque facturum rectius, si me loco non movissem. Sic mihi in domo funesta & peste contaminata manendum fuit. Et paulo post: Turcas à peste securos, sed non tutos præstat opinio, qua mortis tempus & genus uniuscuiusque fronti à Deo inscriptum persvasum habent. Si mori fatum sit, frustra declinari; sin contra, stulte metui. Itaque vestes & lintea in quibus peste ægri animam exhalarunt, etiamnum à mortifero sudore madentes, contrectant, imo ijs perfricant faciem. Si Deo, inquiunt, visum ut sic moriar; fieri necesse est; sin minus, obesse non poterit. Sic contagioni latus patefit aditus, totaque interdum familia ad unum emoriuntur.*

Romani verò veteres quàm fugerint anxiè vitarintque, ex Ammiano Marcellino libro XIV licet colligere: ubi populi Romani mores vitiaque seculi sui graphicè depingens, ità, inter cetera hac de re loquitur. *Credi vix potest, qua obsequiorum diversitate coluntur homines sine liberis Romæ. Et quoniam apud eos, ut in capite mundi, morborum acerbitates celsius dominantur, ad quos vel sedandos omnis professio medendi torpescit: excogitatum est adminiculum sospitale ne quis amicum perferentem similia videat, additumque est cautionibus paucis remedium aliud satis validum; ut famulos percunctatum missos quemadmodum valeant noti hac ægritudine conligati non ante recipiant domum, quàm lavacro purgaverint corpus. Ita etiam alienis oculis visa metuitur labes.*

Iudæos similiter fugisse nonnulli probare conantur ex Levitici 26 vers. 25, ubi minatur populo Deus si gladium ultorem fæderis declinaverit in urbes munitas fugiendo, se pestem

pestem submissurum; ut conclusi atque obsessi intra mænium septa, nec effugere valentes se in hostium potestatem dedere cogantur, quò, obsidione soluta, per fugam, qui reliqui fuerint, dispersi tandem liberentur. Addunt & Davidis testimonium, Psal. 28. quo se desertum ab amicis queritur pestilentia affectus; nam ita interpretandum exstimant.

Sed ut cumq ue se ista habeant, ita contagium admittendum fatendumque hîc iudico, ne interim Christianæ charitatis deserantur officia, nisi barbaris ipsis, & Turcis, de quibus dixi, bar bariores haberi cupiamus. Quin & bono civi honori erit in statione sua fortiter perstitisse, aut fortiter cecidisse: Malo ac fugiturienti, etiam utrumque ridiculum fuerit. Præstiterit itaq; Imperatori suo FORTEM se quàm METICVLOSVM approbare. Ille Deum, ut decet, veretur & sequitur, hîc superstitione, id est, inani usq; adeo metu agitur, ut etiam propriæ ac debitæ stationis partibus posthabitis, omni in re offensionem numinis expavescat. *Quid statuendum.*

CAP. VI.

GERONTOCOMIVM.

Initium & occasio institutæ Domus senum seu Gerontomij, ex archivis ipsius Domus per annorum succedentium seriem deducta,



ANNO millesimo quingentesimo quinquagesimo volente ac decernente HAESIA NICOLAA cognomento *Paradys*, dum in vivis esset, urbis huius Amstelodamensis cive ac matrona honorata, certus pecuniæ modus in usum ac fundationem Gerontocomij, seu publicæ Domus, in quâ alerentur fæminæ aliquot annis graves atque egenæ, delegatus fuit. Cuiusmodi etiam Gerontotrophium statim ab eiusdem *Haesiæ* excessu cæptum ex eâdem pecuniæ summâ excitari loco ac solo ab ædificijs vacuo, quod erat è regione Capellæ, quam hodieque *de heyliger-stede* id est locum sacrum nominamus. Vnde & idem xenodochium nominatum exinde fuit S. sacramenti xenodochium. Cumque iam ad umbilicum Gerontocomij huius ædificium perductum feliciter esset, reliqui fuerunt ex legata pecunia aurei duodecies centeni: Verum cum egentium vetularum numerus haud ultra duodecim in primogeniâ institutione, ab *Hasia Nicolaa* profectâ, nominatus esset, nec in eâ marium ulla mentio haberetur, factũ, curante *Johanne Bernardo* præsbytero, urbisque Magistratu annuente, ut præter mulieres nominatas, seneciones insuper duodeni unà cum sacrifico in idem Gerontocomium admitterentur, Atque ita in universum vigintiquinque numero redditi: quorum mares cum flamine uno, tredecem; fæminæ duodecim fuêre. Eaque de causa Gerontocomium ipsum reditu septuaginta octo aureorum annuo Iohannes Bernardus, quem diximus, presbyter adauxit. „

Anno 1597 viginti quinque, quos recensuimus, mares fæminæque, augescente indies egentium senum multitudine, Præsidumque, qui tunc curam Gerontocomij gerebant, miseratione, spem bonam de civium munificentia foventium, ad quadraginta quinque numero adaucti fuêre. „

Hinc anno 1600 Præsides denuò qui tunc rei præerant, animadvertentes numero quadragenario & quino senum egestatem ne dimidia quidem parte posse sublevari omniumque inopiæ satisfieri, curarunt; assentiente ac favente urbis senatu, idque in commodum atque utilitatem dictorum pauperum, ut publicum institueretur sortilegium, quam *Loteriam* vernaculo idiomate nominamus: Vnde annis subsequentibus, ædificium istud, in quo nunc universi agunt, exædificari cæptum perfectumque die Augusti nono anni 1602. Inque id recepti statim mares fæminæq; centum. Atque anno demum 1604 centenario isti numero quinquaginta additi. „

Hæc fere sunt, quæ ordine ac serie annorum servata, ex omnibus instrumentis harum præcipuè ædium institutionem, ampliationem ac deniq; ad præsentem statum deductionem spectantibus, colligere licuit. Ædificium autem, cuius loco postremo mentio fit, proximè nunc nosocomio adsitum est, habetque aditum sive introitum duplicem è regione sibi respondentem porrectumque à Burchvallo Nosocomij ad alterum Burchvalli alveum, qui secundum Sagittariorum colubrinorum hortum in Amstelam fertur: ità ut mag-

ut magnum hoc modo ſpatium compleat. In meditullio duplex eſt ſepimentum ſive hortus: quorum alter floribus & arboretis areoliſque non incócinne diſtinguitur; Alter viridario ornatur, quod gramine ſolummodo conſitum, aſpectum vel hoc ipſo delectat. Vtrimque à lateribus, & à fronte quoque, porticus & laquearia ſunt, ambulacri vicem præbentia: Et proximè ſub his conclavia virorum mulierumque ſeperatim ac ordine diſpoſita, lectiſque & alia ſupellectile decenter exornata. Interſtitium quod eſt intra viridarium & hortum, quem dixi, recto in ipſum ædificium ac lato aditu ducit, haud levibus impenſis nec ineleganter fabrefactum: Præter enim atria magnifica nitentiaque, cænacula ſunt bina, quorum alterum fæminis, maribus alterum patet; culina his addita; & omnia eum in modum aptata concinnataque, ut non pauperum ſed procerum palatium apparatumque dicamus.



Miraris Regum ſplendentia culmine tecta? Hoc Pauperum eſt Palatium.

Præfectura omnis viris fæminiſque urbis honoratis, arbitrio magiſtratus, demandatur: Quorum Præfecti *Patres* vel *Regentes* nominantur: Fæminæ *Matres* externæ dicuntur. His moderatio & cura totius Domus incumbit. Hi Patrem ſeu Matrem familias conſtituunt qui oeconomi atque oeconomæ vices præſtant aſſidueq; præſentes adſunt. Et denique accepti expenſique rationes ijdem Patres curant, omniaque agunt ut ſarta tectaque oeconomia univerſa perſiſtat. Catalogus præcipuorum infra ſubjectus eſt.

LEGES ac STATVTA *Domus hæc ſunt.*

I.

PRIMO fæminarum mariumve nullus in Gerontocomium hocce admittitor, niſi in id, ſuum in uſum, intulerit lectum unum, ſtragula tria, cervicalia bina, lodices ſex cum thecis cervicalium totidem, indusia ſena, ſedilia bina & binos item pulvinos, amphoras duas maiorem & minuſculam, cortinam integram; Et denique aureos duos Matribus, quas vocant externas, pendendos.

II. Nullus

II.

Nullus etiam, sive mas sive fæmina, in idem Gerontocomium, nisi solutus ac cælebs civitateque Amstelodamensi donatus, intromittatur.

III.

Quicunque similiter marium fæminarumve admittuntur annis quinquaginta majores sunto; Bona quoque ad eosdem pertinentia, dum Gerontocomium intrant, morteve obita post se relinquent, quocunque ea locorum & qualiacunque fuerint, indubitata hæreditate ad Gerontocomium devolvuntor inque perpetuum ad ipsum pertinento. Nec fas esto de bonis ijsdem ratione testimentaria statuere, legare, vel donare aut denique celare ac supprimere quidquã in dicti Gerontocomij vel præjudicium vel detrimentum.

IV.

Omnes quoque ac singuli huc intromittendi tam mares quàm feminæ, apud Præsides, qui tunc rei præerunt, status ac conditionis suæ rationem reddere, idque verbis quæ iuramenti vicem erunt, tenentor: sicut & aliàs, quandocunque de eo interrogabuntur, ad idem obstringuntor. Qui secus fecerint bonorũ celatorum non modò multam ac publicationem subeunto, sed Gerontocomio quoque in perpetuum eijciuntor.

V.

Quicunq; etiam, sive mas sive fæmina, huc recipiuntur, transferre ac tradere in Præfectorum Gerontocomij potestatem, quascunque introitus sui tempore vel ædes vel hæredia habuerint, aut, dum in eo agunt, hæreditate adire eosdem contingat, tenentor, idque in usum Gerontocomij; reditibus interim frui unicuique fas esto, si ità Præfectis è re videbitur.

VI.

Si quid item lucri privatis operis vel vir vel mulier Gerontocomij huius fecerit, id quisque & singuli suum in usum honeste convertunto; nec cui quam vel consanguineorum vel peregrinorum de eodem quidquam vel donanto vel ipsi inhoneste decoquunto. Pænam qui aliter faxint, eliminationis è dicto Gerontocomio incurrunto.

VII.

Quodcunque vel domicilium vel conclave cuiquam ex maribus fæminisq; per Præfectos aut Matres designabitur, eo contentus quisque esto; etiamsi aliquoties de loco in locum migrare aliquem Præfecti imperaverint, cum prærogativa nulli sit.

VIII.

Vbi mensę accubitum precesque dictæ fuerint, singuli se modestè ac honestè habento: sermones pudicos ac probos, eosque sine clamore aut jurgio, serunto: Cibum qui infertur, decenti modo sumunto: nec quisquam sive panem, sive obsonium, aut quidquam alias ad Gerontocomium spectans seponito aufertove; semelque hoc nomine castigatus qui se nihilominus contumacem præbuerit è Gerontocomio eliminator.

M Qui-

IX.

Quicumque porrò marium fæminarumque intra Gerontocomium agunt, hibernis temporibus ante septimam, æstivis verò ante octavam domi adsunto: perpetuòque pater aut mater domestica, aut quicumque id in mandatis habuerit, lucernas ante horam nonam extinguito ignemque condito. Nec quisquam ex dictis maribus aut mulieribus intra conclavia sua prunas extinctas, aut intra thermiteria ignem, post horam nonam habeto. Qui non paruerint exclusione hebdomadarum sex multantor. Hora quoque æstatis nona, hiemis verò octava Gerontocomij portæ occluduntor, nec post id temporis intromittitor quispiam.

X.

Omnes quoque, tam viri quam fæminę, intra Gerontocomium existentes honesta ac decenti conversatione invicem utuntor: Et quidquid insuper per Gerontocomij præsides matresque imperabitur obsecundanto atque exsequuntor reverenter. Pro multâ, qui secus fecerint, in aggerem ad hebdomadas sex, in commune Gerontocomij commodum, demandantor: Qui detrectaverint in perpetuum Gerontocomio excluduntor.

PRÆSIDVM, *qui vel primum institutæ Domui præfuerunt, vel ad primam institutionem aliquid contulerunt* CATALOGVS.

ANNO 1550, quo primum hanc domum institutam supra diximus, ei præfecti fuerunt *Jacobus Henrici*, & *Nicolaus Graeff Nicolai filius*: Matres externæ, tunc erant *Catharina Theodora Pauli filia*, *Aletheia Duynen*.

Anno 1597, cum senum numerus ad quadraginta quinque compleretur, præsides fuere *Peregrinus à Dronckelaer*, *Wibrandus Adriani*, *Henricus Henricius*. Matres erant, *Elizabetha Laurentij* filia, *Matthea Cattenia*.

Anno 1600, quo publicum sortilegium seu Loteria celebrata est, excitatumque præclarum ædificium, de quo diximus, numerusque ad centenarium adauctus præfuêre Patres, *Peregrinus à Dronckelaer*, *Wibrandus Adriani*, *Henricus Henricius*. Matres *Elizabetha Laurentij* filia, *Maria Cantia*.

Anno denique 1604, cum numerus ille centenarius ad centum & quinquaginta adaugeretur, præfectura functi ijdem *Peregrinus à Dronckelaer* & reliqui, quos nominavimus.

Puteus Gerontocomij. Atque hactenus de Gerontocomio. Cui, uti & alijs xenodochijs, vectigalium aliæq; immunitates, Ordinum decreto, permissæ. Quapropter & propriam habet pani conficiendo cervisiæque coquendæ officinam; atque huic adiunctum *puteum*, qui maximis impensis sub terrâ quàm altissimè miroque artificio defossus, cænosum ac paludosum solum superando, aquæ incorruptæ ac limpidissimæ scaturiginem subministrat.

CAP. VII.

GYRGATHVS *seu mente captorum Domus, vulgo*, het Dolhuys.

DOMVS mente emotorum duplici ædificio veteri ac novo constat, in priori, seu veteri cellulæ sunt undecim: Quibus accesserunt anno 1592, cũ novo ac splendido ædificio, sedecim aliæ. Prior Domus exædificata anno 1562. Habet præter opidi insignia, Bolensium insuper familiæ arma ac clypeos introitus seu liminaris januæ antipagmentis superinsculptos, quod *Henricus Pauli*, ex Bolensium stemmate, vir ac civis honoratus, instituti huius primus autor atque ædium fundator exstiterit, quomodo ex senatusconsulto quoque, quod de vernaculo latinè redditum subieci, plenius patebit, isto nimirum:

Quod

"Quod Gyrgathi, seu Domus mente captorum, institutum spectat, postquam de eo in pleno Senatus consessu deliberatum esset, simulque mens & sententia HENRICI PAVLI piæ memoriæ eiusdem Domus primi institutoris fundatorisque publicè fuisset proposita, decretum tandem statutumque fuit; ut in eam & cives & incolæ mente laborantes, nec-non & peregrini, sed ij præsertim admitterentur, quos urbem incolumes ingressos, dum vel artem hic mechanicam exercent, vel aliàs negotiantur, simili affectu percelli contigerit. Eoque excipi volumus, hoc saltem tempore, peregrinos omnes atque exteros eos, qui amentes ac furiosi aliunde huc deportantur: Hac semper cautione servata, ut incolis nec ius Civitatis habentibus Cives; Et incolæ peregrinis vicissim atque exteris; quique intra urbem vel operantur vel negotiantur, perpetuò præferantur. Datum XV Iulij cIↃ IↃ LXII."

Inspectio & præfectura totius Domus civium honoratiorum duobus aut tribus, magistratus arbitrio delectis, demandatur: ijque ex legum præscripto omnia agunt, totiq; in id sunt, ut commodo Domus miserorumque hominum in ea agentium, quatenus instituti ratio sinit, præcipuè consulatur. His & *Matres* quoque additæ, quas externas appellant. Præerant cum hæc commentaremur, *Henricus Bukius, Gerhardus Wolphardus à Diemen, Iohannes Henrici Soop*. Et præsertim, fato nuper functus, *Hermannus Henrici Ververus* quadraginta annorum diligenti cum collegis præfectura ad Domus universæ illustriorem statum ac restaurationem plurimum contulit.

De Gyrgathi voce aliaque nonnulla ex veterum monumentis super eodem instituto obiter addita.

GYRGATHI vocem pro loco eiusmodi, in quo mente emoti, aut vincti, aut inclusi tenentur, Pollucis aliorumq; autoritatem secutus, expressi; præsertim cum & adagium apud paræmiographos reperiatur, γύργαθον φυσᾷς, id est *gyrgathum spiras*: in eum nimirum jaci solitum, qui vel insanus, vel ut insanus, frustraque ac tumultuosè vociferatur. Belgæ proverbiali similiter modo quamvis alia forma, non minus tamen amæna, dicere solent, *hy dinct nae de dood-kist*. Proprie autem ipsa *Gyrgathi* vox canistrum Græcis, & qualus è vimine textus, itemque *reticulum*, Glossario præsertim, exponitur. Erasmus in Adagijs lectum interpretatur in quo paralytici, menteque capti, quique vocantur dæmoniaci, vincti se iactant. Belgicum adagium, quod posui, subministravit Iohannes sartorius Amstelodamensis, qui tres adagiorum Græcorum Latinorumque chiliades paribus proverbiorum Belgicorum formulis olim reddiderat; Opus si pro merito æstimetur, non delectabile modò, sed in omni scientiarum genere magni quoque usus. Quo & demonstretur, nihil pene in Hellade aut latio toto solenni adagiorum modo jactatum, quod non pari fere elegantia similiq; paræmiarum usitata apud Belgas formula eorumq; sermonibus vulgo usurpetur.

Cæterum apud veteres, & plurimum, vinculis coercitos, inque vinclis assiduè habitos mente motos hominesque furiosos reperio, indeque & vincula Hippocratis nomen obtinuisse apud medicos. Plautus in Captivis acto. 3 scen 4. *Mente capti in vinclis olim habiti.*

Iam illic hic nos insectabit lapidibus, nisi illum iubes
Comprehendi. Ardent oculi, fune opus Aegio.

Vulgo apud Plautum eo loci pro *fune opus*, editum video, *fit opus*. At manuscriptum exemplar, quo in Anglia olim adolescens usus sum, *fune opus*, disertè habet. Cui & convenit illud eiusdem Comici, in Menæchmis act. 5 sc. 2. *Ibo adducam, qui hunc hinc tollant, & domi devinciant*. Vnde & Cicero Philippica secunda, *Tu mentis es compos? tu non constringendus?* Quin & ex eodem Plauto colligere est, omnes commotæ mentis voce propria *larvatos & cerritos* antiquitus appellatos. Nam in Menechmis ità loquentem introducit medicum, *Larvati & Cerriti cur antiquitus dicti.*

Quid esse morbi dixeras? narra senex,
Num larvatus est ille, aut cerritus? fac sciam.

Respicit enim hunc Plauti Iocum Festus cum ait, *Larvati sunt furiosi & mente moti: quasi larvis & spectris exterriti. Cerritos* verò dictos existimant docti quasi *Cereritos*, quia Attici olim eiusmodi appellabant δημητριακὰς. Nonius *larvatos & cerritos* coniungens malè sanos, aut Cereris ira & larvarum incursionibus animo vexatos intelligi ait. Horatius libro 2 satyra tertia, *Cerritus fuit: an commota crimine mentis Absolves hominem?* Et ipse Plautus

Expiationes veterum super furiosis conspectis.

in Amphitruone: *Quæso quin tu istanc jubes pro cerrita circumferri.* Quo loci verbum *circumferri* pontificiale est, pro *lustrari & lustratione curari*, ut notat Servius ad illud Virgilij 6 Æneid. *Idem ter socios pura circumtulit unda.* Quamquam & superstitiosuli isti antiquitus etiā aliâ ratione sese expiare solebant, si vel læsos mente, aut alio quopiam graviore malo affectos forte fortuna conspicerent. Hoc enim si accideret in more positum habebant in terram aut sinum exspuere, ut ità à se quasi malum averruncarent. Hinc est illud Theophrasti in morum notationibus, ubi superstitiosi characterem inter alia exprimens, ita loquitur: *Quod si quem mente captum aut comitialem viderit, solet inhorrescens in sinum sibi despuere.* Quo & Plautus respexit in Captivis istis versibus.

Hegio, hic homo rabiosus habitus est in Alide.
Ne tu quod istic fabuletur aures immittas tuas:
Nam istic hastis insectatus est domi matrem & patrem.
Et illic isti qui sputatur morbus interdum venit.
Proin tu ab istoc procul recedas.

Nec absimile est quod de Achi Rege in Iudæorum rebus legitur, eum nimirum, Davidem insaniam simulantem procul à domo sua arcuisse. Ita enim scriptum habetur Regum capite xx versu ultimo. *Et immutavit os suum David coram eis, & collabebatur inter manus eorum & impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ eius in barbam: Et ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum; quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum ut fureret me præsente? Hiccine ingredietur domum meam?*

Anticyras navigare quid.

Quod denique Anticyras olim, vulgari etiam dicterio, sic affecti relegandi dicerentur, ut apud Horatium in sermonibus, *Naviget Anticyras*, & alios, hinc factum, quod in Anticyrarum insulâ alterâ, quæ est post Crissam opidum elleborum lætè proveniat, in altera eiusdem nominis, quæ est ad sinum Maliacum & Oetam montem, optime temperetur, ut tradit in geographicis Strabo, qui & addit in eam quàm plurimis è regionibus adnavigari sanitatis gratia. Plautinus medicus nō insulam, sed radicem in ea provenientem respexit, ubi ait in Menæchmis; *Non potest hæc res ellebori jugere obtinerier.* Horatius utrumque coniunxit 2 Sat. 3. *Danda est hellebori multò pars maxima avaris: Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.*

Ad superiora in universum nova APPENDIX, *ubi de publicarum piarumque eiusmodi ædium immunitatibus, etiam antiquitus lato decreto; deque* BREPHOTROPHIIS *nonnihil, & immani veterum liberos vel abyciendi vel necandi consuetudine.*

PRIUSQUAM ad Ergasteria progredior, de quibus ultimo loco dicere constitui, paucula hîc interponere necessarium judico. Nam quod obiter innuisse nos superius memini, vectigalium omnium donationumque immunitatem orphanotrophijs, Nosocomijs reliquisque pijs huiusmodi contubernijs hodieque, Ordinum generalium decreto, concessam roboratamque, haud nuperum eum morem consuetudinemque esse ex veterum insuper memorijs colligo. Nam & Iustiniani ævo idem factitatum, eius ad Mennam & Demosthenem Præfectos prætoriorum duplex decretum indicat: Quod utrumque ut apponam, multa me movent. Nam in ijs non modò *Nosocomiorum, Orphanotrophiorum* & *Gerontocomiorum*, sed & *Brephotrophiorum* & *Ptochodochiorū* mentio talis occurrit, ut inde de eiuscemodi institutis eorumque prærogativis atque antiquitate æstimare cuivis liceat. Sed antequam id aggredior utrumque Decretum verbotenus adscribam ex Codicis lib. 1. Titul. 2 de sacrosanctis Ecclesijs L. illud 19.

I. *Imperator Iustinianus Augustus Mennæ Præfecto Pratorio.*

" Illud, quod ex veteribus legibus (licet obscurè positis) à quibusdam attentabatur, ut
" donationes super pijs causis factæ, licet minus in actis intimatæ essent, tamen valerent,
" certo & dilucido iure taxamus, ut in alijs quidem casibus iura vetera super intimandis
" donationibus intacta maneant: Si quis vero donationes usque ad quingentos solidos in

in quibuscumque rebus fecerit vel in sanctam Ecclesiam, vel in *Xenodochium* vel in *Nosocomium* vel in *Orphanotrophium*, vel in *Brephotrophium*, vel in ipsos pauperes, vel in quamcumque civitatem, istæ donationes etiam citra actorum confectiones convalescant: sin verò amplioris quantitatis donatio sit (excepta scilicet imperiali donatione) non aliter valet nisi actis intimata fuerit. „

2. *Imperator Iustinianus Aug. Demostheni Præfecto Præt.*

Sancimus res ad venerabiles ecclesias, vel *Xenones* vel *monasteria*, vel *orphanotrophia*, vel *gerontocomia*, *vel ptochodochia*, vel *nosocomia*, vel *brephotrophia*, vel denique ad aliud tale consortium descendentes ex qualicumque curiali liberalitate, sive inter vivos, sive mortis causa, sive in ultimis voluntatibus habita, à lucrativorum inscriptionibus liberas immunesque esse; lege scilicet quæ super huiusmodi inscriptionibus posita est, in alijs quidem personis suum robur obtinente: in parte ecclesiastica, vel aliarum domuum, quæ huiusmodi pijs consortijs deputatæ sunt, vigorem suum, pietatis intuitu, mitigante, &c. „

Quibus in verbis notandúm primò, eo adhuc ævo, cum nondum monasteriorum in urbibus frequentia atque ædificationes insanæ passim increbuissent, verè piarum eiusmodi ædium fuisse usum frequentissimum, & autoritatem quoque præcipuam eamque imperatorum immunitatibus atque indulgentijs variè communitam: Nec egenorum atque ægrorum modò in Procodochijs & Nosocomijs, ad id institutis, curam tunc diligentem habitam; sed pupillis quoque, in Orphanotrophijs; & in Gerontocomijs; senili ac causariæ ætati, remotis lucrativorum, ut tunc appellabant, omniumque publicanorum inscriptionibus alijsque exactionibus, liberaliter prospectum fuisse, adeò ut in superstitionem degenerante postmodum religione, & accrescentibus opibus decrevisse videatur illa pietas, & in eorum locum larvæ cerimoniarum & histrionum successisse; in quibus, veræ pietatis operibus quasi neglectis, summa propemodum religionis constituta fuerit.

Quod autem eadem illa decreta *Brephotrophiorum* quoque mentionem faciant, fatendum eorum usum haud alium fere hodieque apud nos esse, quàm in Orphanotrophijs, ubi pupilli minores, atque infantes adhuc, seorsim enutriuntur. At alius illorum brephotrophiorum antiqui temporis locus erat, infantibus præsertim expositítijs educãdis destinatus: Nam veterum olim, tam Græcorum, quam Romanorum, pessimus atque abominabilis longo jam ævo mos invaluerat liberos passim, & præsertim recenter natos, vel exponendi vel abijciendi, vel necandi denique; mos inquam, non à ratione tantum, sed ab ipsa quoque natura ac storge parentali prorsus alienus: Cui ut occurreretur, invalescente mox Christianismo, non legibus modò (quæ coercendo vix erant) sed eiusmodi præcipuè ædium instituto obviam itum. Primi fuerunt, quantum colligere licet, qui legibus vetuerunt Valentinianus, Valens & Gratianus. Nam eorum lex in utroque Codice Theodosij & Iustiniani extat, ad legem Corneliam de Sicarijs, huiusmodi: *Si quis necandi infantis piaculum adgressus adgressaque fuerit, erit capitale istud malum.* Hinc Christiani scriptores ut Tertullianus, Ambrosius, Arnobius sæpe Romanis obiecerunt, & imprimis Arnobius adversus Gentes libro 7. *Vos enim (Romani) video procreatos filios, nunc feris & avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere.* Et si qui inter eos pij haberi volebant simplici expositione à se abdicabant. Hinc Lactantius in eosdem invectus ait libro 5 cap. 9: *Non de nostro sed ex illorum numero semper existunt, qui vias obsideant armati, maria prædentur &c. Qui natos ex se pueros aut strangulent, aut si nimium, pij fuerint, exponant.* Vnde & ipsam hanc expositionem bifariam intellectam animadverto. Nam aut feris, aut aliàs in solitudine aliqua, exponebant; aut in publico urbis loco: De prioris expositionis modo Arnobij citatus jam modò locus capiendus, & illa præsertim Suidæ, qui plenius explicat, ἐκτιθέναι τὰ βρέφη; ἀντὶ τοῦ εἰς βορὰν θηρίοις, ἢ καὶ ἄλλοις εἰς διαφθορὰν παρατιθέναι ἐπ' ἐρημίαις. id est *exponere liberos, pro eo quod est feris in cibum, aut aliter in exitium, solitudine aliquâ deponere.* Alterius expositionis præter Lactantium jam laudatum; Tertullianus meminit, Apologetici cap. 9, ubi ità loquitur, *Imprimis filios exponitis suscipiendos ab aliqua matre extranea.* Et Ambrosius, *Pauperiores abijciunt parvulos, & exponunt, & deprehensos abnegant.* Et huic nimirum expositioni brephotrophia ista Iustiani seculo servierint. Athenienses veteres Cynosargen appellasse videntur, ut patet ex Suida, qui tamen non ad quoslibet, sed ad spurios præcipue abiectitios trahit, cum inquit, *Cynosarges locus in Attica, ubi spurios infantes ponebant*; & causam addit, quia Herculis ibi templum, qui & ipse

DE BREPHOTROPHIIS.

lib 5 Hexam. cap. 18.

inter spurios fuit, Romani *Lactariam Columnam* huic usui destinarunt, teste Festo, qui *Lactariam Columnam in foro olitorio stetisse inquit, ad quam infantes lacte alendos deferrent.* Hodie in nonnullis etiamnum Christianorum Provincijs atque urbibus, ubi corrupti nimirum moris istius exponendi liberos reliquiæ adhuc superant, Brephotrophiorum quoque eiusmodi usus durat: sed feliciores illi, qui ut rem, ità usum, non habent. Nostrates sanè penitus ignorant, Iudæorum in eo, Deo electam gentem, æmulati, quibus nefas semper fuit, teste Tacito, tollere quemquam ex liberis, qui adnascerentur, vel potius ipsos Germanos veteres, maiores suos, imitati, id prisco ac laudabili ritu servarunt. Nam de ijs ita idem Tacitus: *Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, nefas habetur.* Quo loci Tacitus, præter receptam Romanorum consuetudinem, aspexisse videtur verba Aristotelis libri octavi Politicorum: ubi de prolium procreandarum certo definiendo numero leges ferendas monet, exemplo quarundam gentium; aut saltem, priusquã in vitam veniant, abortũ esse procurandum quasi id mitius foret, quã jam natas abijci ac necari. Consuetudinem verò, seu legem potius, Romanorũ idem Tacitus respexerit cum vocabulo, *adnascendi* utrobique, & de Iudæis & Germanis loquens, usus sit. Romuli enim lex fuit, omnem masculã prolem educari, & è fæmellis primogenitas. Nihil autem quod natum esset occidere ante triennij tempus, nisi aliquid mutilum, aut monstrosum statim à partu esset. Hæc enim talia non vetuit exponi; sic tamen, ut parentes prius quinque viris è vicinia ostenderent si & ijs ità videretur. Quæ quidem lex benignior ac mitior aliquatenus videtur eã sequentium temporum inveteratã consuetudine, quã passim abiecisse, nec sexus, nec ætatis ratione habita, jam ante monstravimus. Quo etiam respectu ille apud Lucium Apuleium pater peregrè proficiscens, mandavit uxori suæ, ut si sexus *sequioris* edidisset fætus, protinus, quod esset editũ necaretur; *protinus* nimirum adjiciens quò innueret nequaquam expectandum triennij illud tempus à Romulo præscriptum, quasi & liberum & licitum id cuique simul indicans. Atque ità optimo iure in illam sive legem, sive consuetudinem Romanorum præposteram, cum legibus, tum eiusmodi, quas dixi, ædium institutis, à principibus exinde Christianis itum est: de quo cum affatim jam dixisse me existimo, vela hîc contraham, si unum hoc addidero, minus jam respectu illius apud Græcos Romanosque olim detestandi moris, barbaram & immanem hac parte Turcarum gentem dicendam, qui soli imperatori hanc vitę necisque potestatem in filios fratresque concedunt, ut imperio nimirum hoc modo consulatur, ipsi privatim proli augendæ studentes, & procul ab hac sævitie, totoque animo ac factis alieni.

lib. 5. Hist.

Tacitus de moribus Germanorũ

Vide Nannij Miscellaneorum lib. 10 itemque Lipsij Epist. centu. 1. ad Belgas epist. 85.

lib. x. Metamorpho.

Vondeling-huysen.

Quod ergò innui, beatas esse respublicas illas easque civitates, quæ Brephotrophiorum eiusmodi, qualia veterum ista fuerunt, neque nomen, neque usum habent, ità improbare, aut saltem silentio præterire non possum, pium illud institutum scholarum pauperum, cuiusmodi vidisse me cum in Flandriam nuper excurrissem, clarissima in urbe Brugarum memini: Sunt enim duæ ibi Scholæ: puerorum una; puellarumque altera: quibus singulis rectores seorsim, viri honorati, præsunt. Deducuntur in eas civitatis pauperes minoris adhuc ætatis, & pæne platearum fæces: qui ibidem aluntur, vestiuntur, docentur, & pro natura atque ingenij dotibus instituuntur, donec adoleverint. Adulti verò, alij traduntur mercatoribus, alij opificibus mechanicis; alij, liberalioribus studijs; postea altioribus facultatibus & disciplinis. Puellæ in familias honestas servituræ amandantur. Nec ab his in universum manus auxiliares Rectores amovent priusquam ad matrimonium elocentur aut ad statum perfectionis provectæ fuerint. Quod institutũ ab Orphanotrophio nostro in hoc differre videtur, quod promiscuè hic admittantur singuli, non habita ratione, si vel cives vel defuncti parentes fuerint, nec eodem etiam contubernio aut tecto, sed seperato habeantur. Veniendũ nunc ad Ergasteria, si de pauperib[9] in universum, & ijs præsertim, quos domi sedentes vocant, prius nonnihil interseruerò.

CAP. VIII.

De Pauperibus *domi sedentibus, vulgo Huyssittene-armen.*

Pauperes domi sedentes qui intelligantur.

Explicatis cum infantiæ tum senum aliorumve in omnem eventum egestati ac valetudini dicatis ædibus ac statutis, unum etiamnum superest de *Pauperibus domi sedentibus* dicere. Intelliguntur isti, qui familiam alunt, coniugem & liberos habent, manibusque atque operis quotidianis victum sibi parare, student, sed temporum iniquitate aliaque calamitate oppresi victui comparando familiæque in totum susten-

sustentandæ sufficere nequeunt. Nec alios intellexisse videtur Decretum Cæsareum à nobis jam ante positum, in quo non modò *Nosocomy*, *Orphanotrophy* ac *Gerontocomij* ceterorumque eiusmodi locorum, sed ipsorum etiam in universum *Pauperum* mentio injicitur. Horum ergo inspectioni atque alimoniæ curandæ à magistratu urbis ex civium optimatibus Eleemosynarij certi, ijque à parte lateris novi ac veteris seorsim, delecti, reditus ac collectæ adiectæ, ædes quoque atque horrea concessa, in quibus commeatus aliaq; ad millenas aliquot alendas familias necessaria conduntur depromunturque. Est inter cetera, hodieque eiusmodi ædificium è regione fori pomarij, à parte lateris novi, cum inscriptione, quæ annum præfert 1486. Quamvis institutum ipsum antiquius & ævi anterioris & plus ducentis annis in usum ac consuetudinem receptum fuisse archiva Cameræ Eleemosynariorum disertè subindicant: Nomina tamen Præfectorum haud ultra annum 1536 superesse inveniuntur; præfuisseque tunc à novo latere viri honorati quatuor, qui postmodū consulatu functi sunt: Quorum hi fuerunt; *Iohannes Duvenius senior*, *Nicolaus Heynius junior*; *Theodorus Hillebrandus Otterus*; *Johannes Duvenius junior*. Postmodum, anno 1578, cum urbani status conversio fieret resque religionis mutarent, quatuor præsidum loco, sex electi: eorumque tum primi fuere, *Henricus Ebbensonius*; *Baertius Out Theodori filius*; *Iohannes Faber*, alias *Smit*; *Iohannes Verburchius*; *Iohannes Petri Reaell*. Eaque Politiæ forma Præfectorumque numerus hodieque manet. Suntque modò Eleemosynarij anni huius 1610, *Johannes Caroli senior*; *Iohannes Witzius*; *Albertus Simonis Jonckheynius*, *Iohannes Cornelius Gheelvinckius*; *Wilhelmus Hooftius Iohannides*: *Henricus Lens*. A latere autem veteri eodem hoc tempore præsidebant, *Johannes Poppen*; *Jacobus Wilhelmi Warmont*; *Arnoldus ab Erp*; *Arnoldus Grotenhusius*, *Petrus Gerhardi Krudenier*; *Theodorus Hem*.

Elemosynarij seu Præfecti eorundem Pauperum bifariam cōstituti à novo & veter urbis latere.

Instituti antiquitas.

Horum præcipuè munus circa Pauperum curam versatur, ut nimirum Eleemosynæ in publicis concionibus colligantur; cives quoque seorsim, idque vicatim, annis singulis quater aut quinquies, ad pauperum egestatem sublevandam, solenni modo compellentur, ædes, reditus ac latifundia recte elocentur, nominaq; debito tempore exigantur expunganturque; & denique ut promptuarijs de Zythô, frumentatione, butyro, caseo & ad focos exstruendos de lignis cespitibusque rite prospiciatur; Eleemosynæque in egenos veros distribuantur.

Præfectorū officium ac munus.

Frumentatio aliaque ad commeatum spectantia.

Ædificium quod dixi, à parte lateris novi, exstructum anno 1486, cespitum receptaculo destinatum proprie fuit, capitque corbes 17000: at hodie plusquam dimidia sui parte exile nimisque angustum est, cum ultra 34000 corbes, illo nunc tantum urbis latere requirantur.

Butyri sportula, seu, ut nunc vocamus, Eleemosyna, anno demum 1562, initium habuit, conferente reditum annuum Florenorum 50 *Geertruda Barnartia*, muliere pia atq; in egenos singulariter benefica; ea lege, ut quotannis tres butyri tonnæ egenis prædictis distribuerentur: verum hodie tres tonnæ hebdomadibus singulis vix sufficiunt, præsertim cum caseus non datur. Eodem etiam anno Casei distributio cæpit, munificentia præcipuè civium: quorum alij centum, alij ducentos florenos contulere: Et præsertim annis ab hinc paucis *Margareta Nicolaa Corsia*, cuius jam ante quoque est facta mentio, magnum momentum contulit, summa multorum florenorum millium in pauperes etiam hosce mirabili liberalitate semel translata, uti & supra indicasse distinctius memini pag. 28.

Augmenta Eleemosynarum.

Butyri & casei dandi origo & occasio.

Hæc fere initia ac progressus Instituti huius. Quod verò ad numerum ac multitudinem frumentantium seu pauperum, qui hodie sunt: Ad latus novum nunc ultra 1611 familiæ computantur; Quarum si singula capita censerentur, id est, si fæminæ, mares, adolescentes infantesque in numerum seorsim, & quilibet per se veniret, ultra 6000 calculus excrescat. Qui & tanto maior fiat, si familiæ insuper lateris antiqui adijciantur, quas ultra 900, esse constat, ut ita in universum familiæ cum veteris, tum novi lateris bis mille & quingentæ aut sexcentę reperiantur.

Pauperum & familiarū numerus

A parte autem lateris novi, ubi dixi familias esse 1611, vix 200 indigenas seu Hollandicæ nationis reperiri ex Elemosynariorum certa relatione constat, esseque reliquos, Gallos, Artesianos, Brabantos, Flandros, Chaucos, Frisios, Anglos, Vestphalos, Ditmarsos, aliosque peregrinæ gentis, sedibus suis, flagrante bello, aliaque necessitate excitos. Idemque & de veteri quoque latere intelligendum: ubi, & præter enumeratos populos, etiam Lusitani confertim ab hinc annis aliquot habitare cæperunt.

Gentium variarum hi pauperes

Et omnibus hisce ministrantur communicanturque Eleemosynæ hæ, religionis cui se addixerunt,

Sine delectu religionis

omnes admitti, conditionibus certis. addixerunt, ratione non habita, modò non emendicare aut stipem ostiatim cogere, sed intra oppidi pomeria certam fixisse sedem pedemque constet; conditione hac adiecta, ut si emori eosdem contingat, liberis nullis post se relectis, bona, quæ reliqua fuerint, ærario vindicare Eleemosynarijs, Senatus decreto, concessum sit.

Quando distributio fiat. Intelligendum autem distributionem Eleemosynarum hiberno præsertim tempore fieri, excepto, quod Eleemosynarum Præfecti à parte lateris novi centenas insuper ædiculas gratis habitandas nonnullis eorundem pauperũ concedant; ut omittatur pupillos & orphanos, qui passim, defunctis parentibus, relinquuntur, enutriendos impensis eiusdem ærarij elocari, cum in orphanotrophium non nisi civium liberis, quorumque parentes jus civitatis habuerint, receptus pateat.

Alij domi sedentes pauperes Diaconorum curæ commissi. Atque hæc de promiscuis pauperibus domi sedentibus; Sunt & alij, quorum omnes Ecclesiæ reformatæ membra censentur; quibus, cum in veteri tum novo latere, Diaconorum inspectione ac dispensatione iuxta ritum primitivæ Ecclesiæ Eleemosynæ aliæ erogantur: observaturque & idem in reliquis oppidi Ecclesijs, utpote Gallica atque Anglicana: adeò ut universim si in egenos expensarum annuarum inire quis calculum velit tonnas aliquot auri ultra reperiet.

Largitones Magistratus extraordinariæ. Nec prætereundum hoc loco, utpote singulare pietatis exemplum, quod, sæviente per oppidum superioribus annis pestilentia, constituti seorsim à Magistratu fuerant viri honestiores aliquot, qui comperta circumquaque civium incolarumque inopia, largitionibus extra ordinem succurrerent manumque auxiliarem quovis modo commodarent: ut meritò his collati veteres illi, laudati aliàs, Romani Senatores excusationem vix mereantur, qui populari sæpenumero levitate ducti, mimis, athletis, gladiatoribus alijsq; huiusmodi generibus hominum patrimonia tota largiebantur, aut prodigebant potius, ut unius horæ vulgi favorem acquirerent. Nec scio an eorundem Romanorum frumentationes largitionesque in plebem, cum istis Amstelodamensium cõferendę, si opes Romanas, & urbem Orbis dominam cum unâ Hollandiæ contendamus. Nam ex veterum memorijs constat, Augusto imperante, frumentantium civium numerum plusquam millia hominum ducenta Romæ fuisse, cum Amstelodamum, ut posui, inter familias *mille sexcentas* vix ducentas indigenas, aut suæ gentis, habuerit: quod de reliquis etiam *nongentis*, quas à parte antiqui lateris dixi, similiter intelligendum: ut omittam familias singulas in capita singula resolvere, ijsque addere qui in Nosocomijs, Ptochodochijs, Orphanocomijs, Gerontotrophijs, Ergasterijs cæterisque similibus ædibus, & illis præsertim domibus, quarum Diaconis cura concredita, seorsim agunt. Sanè si calculum hunc instituerem ad Romanam fere magnitudinem progressio fieret: & eò laudabilior, quod non civibus, ut innui, aut indigenis, qui sibimet sufficiunt, sed externis præcipuè ac peregrinis hæc pietas præstetur; ita dico; & finem si spectemus, nostratibus palmam deberi inficias nemo iverit. Quid enim Romani? Nonne annonas & largitiones eiusmodi, ut hamos, seu, ut Livius loquitur, veluti blandimenta quædam ad conciliandam plebem adhibebant, cum pietatis solius officia sint? Ideoque & displicuisse easdem liquet gravi autori Salustio, cuius, de ordinanda Republica, præceptum hoc ad Cæsarem extat; *Provideas* inquit, *oportet, ut plebs largitionibus & publico frumento corrupta habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur*. Etiam Augusto ipsi, qui aliquoties cogitavit de tollendo, si recte intelligo Suetonium cap. 42. *Vt tandem annona convaluit, impetum cepisse se scribit frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret*. Vbi & causam addidit; Quamvis non agricultura tantum, sed & artes pæne omnes atque opificia honesta hinc cessarent. Nam Romani cives hæc omnia à se spernebant, & servis solis digna judicabant, ipsi bellis vacabant: unde exactis stipendijs, egeni plerumque, largitionum fiducia, quod supererat vitæ transigebant. Quò ergo ignavum illud otium ad negotium transferret imperator, hanc illius causam, frumentationem nimirum, tollendam existimabat: sed non perseverasse, ex eodem Suetonio, constat, quia certum haberet posse per ambitionem aliquando restitui.

Collatio cũ Romanorũ largitionib⁹

Finis largitionũ apud Romanos & Amstelodamenses diversus. lib. 2.

Alia in veterum & nostris largitionibus similia & dissimilia. Ex jam dictis satis liquere existimo, etiamsi effectu ac fine discrepaverint illæ veterum à nostris largitionibus, multa tamen similia fuisse. Quod ut clarius ostendatur per partes rem propius intuebimur. Et primò quidem ipsos Eleemosynarios, qui nobis vernaculo idomate, *Huyssittene-meesters*, id est, pauperum domi sedẽtium præfecti seu magistri, veteres primum *Ædiles Cereales* vocarunt, quod Cereri seu frumento in populum dividendo præessent, ut patet ex Pompònio de origine juris, itemque Dione libro 43. Mox Præfecti & curatores annonæ appellati, unde in lapidibus, CVRATOR. ANNONÆ. Et Tacitus

citus I Annal, *Sex. Pompeius & Sex. Appuleius primi in verba Tiberij Cæsaris Iuravere: apudque eos Seius Strabo & C. Turranius, ille Prætoriarum cohortium præfectus, hic annonæ,* ijsque ex verbis, & ordine præsertim jurandi, haud obscurum sit inter primas fuisse eam dignitatem. Munus verò eorundem Præfectorum notabili & nostris quoque moribus accommodato dicendi modo expressit cap. 19. de vitæ brevitate Seneca, Paulinum annonæ tunc præfectum alloquens: *Simile tu putas esse, utrum cures ut incorruptum à fraude advehentium & negligentia frumentum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur & concalescat, ut ad mensuram pondusque respondeat, an ad hæc sacra sublimiaque accedas.* Vnde & appellationes & munus ipsum à moribus nostratium haud multum abijsse patet, nisi quod frumenti ipsius divisio facta fuerit, cum nostros non frumentum, sed panem, butyrum, caseum dare constet. Verum & postea apud Romanos quoq; obtinuisse invenio ut panis daretur, ob causam, ni fallor, eandem quam & nostri spectarunt, quod nimirum commodius & facilius id esset egenæ multitudini; quæ hac ratione operas & impensas pistorias faciebat lucri. Pertinet huc illud Iuvenalis: *Atque duas tantum res anxius optat Panem & Circenses:* Sed præcipue Cassiodori verba in formula Præfecti annonæ, ubi ità loquitur: *Tui siquidem studij est ut sacratissimæ urbi præparetur annona, ubique redundet panis copia, & tam magnus populus tanquam una mensa satietur.* Quin & oleum insuper distribuisse Romani eidem videntur, vel antiquissimo ævo, si Livium huc accommodemus lib. 25. ubi ait, Scipionem Africanum, cum ædilis esset, congium olei in vicos singulos dedisse. Et denique Vopiscus, posteriorum Cæsarum temporibus, eò largitionem progressam ait, ut Aurelianus statuerit etiam Vinum populo gratuitum dare, ut quemadmodum panis & porcina gratuita præbentur, sic etiam Vinum. Porrò frumentantibus tesseræ traditæ, sive symbola quædam in ligno aut Plumbo; quibus acceptis, ad horrea, & condita in ijs participanda, admittebantur, quod hæc à nostris hodieq; moribus alienū. Locus deniq; ubi distributio fiat (exceptis cespitibus & eiusmodi, quæ ex publicis, & ad hoc, ut dixi, destinatis, ædibus depromuntur) circa Præfectorum Curiam seu cameram, ut vocant, in templi certa quadam parte habetur. Romani ad Minutiam ibant, ut verba videntur velle Apulei, obscura: *Alius* inquit, *ad Minutiam frumentatum venit; & alijs in judicijs dies dicitur.* At panis postea, in gradibus distribui solitus; unde & panis ipse gradilis dicitur, ut liquet titulo libri XIV Codicis Theodosiani, *de annonis civicis & pane gradili;* ut rectè olim eruit clarissimus Iustus Lipsius, adhibito, ac rem illustrante, Prudentij versu lib. I contra Symmachum.

Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus,
Quique terit silicem varijs discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis:

Adeò ut coniecturam faciat idem Lipsius ex alio eiusdem Prudentij loco, singulis urbis regionibus, quarum 14 fuerunt, gradus erectos fuisse, ubi hæc divisio fieret; suadente id ipsa re, ut scilicet in loco altiori exempti & secreti distributores essent à premente turba. Sed de Gradibus, qui volet, videto insignem locum, Act 21. vers. 35 & 40.

Postremò & pueros reperio apud eosdem veteres ad publica frumenta admissos: Quorum numerum, Traiani ævo, qui & primus instituisse videtur, quinque millia fuisse commemorat in Panegyrico Plinius: Quomodo & nos superius in largitione nostrate familias 1611, à parte tantum lateris novi, sex millia capitum continuisse indicavimus; quorum maximam partem & ad minimum quatuor millia, puerorum puellarumque fuisse ambigendum haud est; ijsque si liberi nongentarum illarum à parte antiqui lateris familiarum adijciantur, nonne supra Romanum numerum excrescat calculus? Superest, ad discrimen largitionum & sportularum, id corollarij vice adijcere, sportulas nimirum pro ijs solum alimentis atque obsonijs antiquitus intellectas, quæ à magnatibus quotidie privatim dabantur illis, qui officij gratia, aut aliàs, fuissent ipsos comitati, aut salutavissent togati. Nunc ad Ergasteria veniamus.

CAP. IX.

ERGASTERIVM MARIVM:
vulgo het Tuchthuys.

Ergasteriorũ instituendorum occasio.



VTRIVSQVE constituendi Ergasterij, tam marium quàm fœminarum præcipuè erronum atque ærusçatorum per Hollandiam passim, minoresque Frisios, non in opidis tantum, sed vicis quoque, sub egenorum ac mendicorum personâ, circumquaque vagantium populus ac multitudo occasionem præbuit. Dum enim hi quod non essent, se esse simularent, rapinis assiduè domuumque deprædationibus diu noctuque studere totique in id incumbere curæ suæ ducebant. Adeò ut anno 1595, Ordinum Hollandiæ edictum publicè ad eiusmodi compescendos planos promulgatum missumque sit ad paganorum opidanorumq; præfectos ac magistratus; qui procerum mandatis libentissimè obsecuti egêre omnia quò publicæ privatæque incolentium tranquillitati consuleretur. Amstelodami præsertim censu atque inquisitione diligentiori in Plebem paupertinam habitâ, deprehensi sunt circiter 3500 adolescentes mechanici, iisque permixta puellarum non exigua manus: Quorum ut occurreretur insolentiæ maloque venienti remedium fieret; nulla Senatui expeditior visa ratio, quam publicorum eiusmodi *Ergasteriorum* institutio.

1595.

Monasterium clarissarum in Ergasteriũ conversum

Et primò quidem *marium* ERGASTERIVM ordinatum anno statim eodem 1595, ineunte Aprili mense, fungentibus tunc consulatu *Regnero Cantio*, *Balthasare Appelmanno*, *Bartholdo Cromhoutio*, & *Iacobo Bolenscnio*. Monasterium ei rei commodissimum visum quod (*Clarissarum* nomine superius diximus à parte *lateris novi* secundum plateam Vitellinam. Præfecti cõstituti *Isbrandus Bennius*, *Isbrandus Harmanni*, necnõ *Henricus Buyckius*.



Disciplina ac ratio Ergasterij.

Conclusi hîc omnes continentur, nonnulli etiam compedibus vincti, ita tamen ut operi vacare manusque exercere liberi queant: Alij enim aut acanthinum lignum (Brasilianum vulgo appellant) in scobem tenuissimam disterere ac tyrocnesti comminuere, aut pannos denique bombasios contexere, aliaque agere atque elaborare coguntur, prout vel ingenium vel artus cuiusq; ac robur suadere videbuntur. Dominicis feriatisque diebus adesse tenentur cuncti in loco ab area semotiore, quam Scholam vocant. Hîc in sacris nonnihil prælegitur, præsertim si quid ad mores & vitæ frugem faciat. Nonnulli etiã in primis literarum elementis legendo scribendoque exercentur.

Est

Eſt & iuxta hoc ipſum, anno 1603, aliud inſuper, idque novo quodam modò, excita- *Ergaſteriū*
tum *Ergaſterium*, quod *Separatum* nominant. Detinentur in eo non cuiuſvis generis, ſed *novū exci-*
ij præſertim, quos ſecretius habendos, nec omnium conſpectui patere volunt. Nam & *tatum anno*
honeſtiſsimorum ſubinde virorum liberi degeneres atque efferi deprehenduntur, quiq; *1603.*
minore parentum incõmodo ac dedecore cicurari ac edomari nequeant. Vtriuſq; domus Præfecti tunc erant *Iſbrandus Harmanni, Johannes à Biler, Henricus Franckenius & Theodorus Flaccus*: Quorum Flaccus cum eſſet inter Præfectos reliquos ætate minimus, primum fundamenti lapidem, *Separatæ* nimirum *Domus*, poſuit, anno ut indicatum eſt. Hæc cum ſcriberemus præſides erant: *Iohannes ab Endem, Gerhardus de Beer, Theodorus Flaccus*.

Quis verò ad eiuſmodi ſtatum primus & præceps adoleſcentię gradus ſit, non legi qui expreſſerit accuratius Plauto. Is enim Moſtellariæ prologo Philolachen introducit querentem quod primum IGNAVIA verecundiam atque inde virtutem ac modeſtiam animo ſuo excuſſerit, ſeque idcirco, omnemque adoleſcentem hominem, novo ædificio, in quod hoſpes nequam, ignavus ac ſordidus jmmigraverit, comparat verſibus, quos Philoſophorum præceptis omnibus ſi non anteferendos certe conferendos, ideoque & ſubſcribendos hic cenſeo.

Novarum ædium eſſe arbitror ſimilem ego hominem
Quando hic natus eſt. ei rei argumenta dicam;
Ædes quum extemplo ſunt paratæ, expolitæ,
Factæ probè, examuſſim,
Laudant fabrum, atque ædes probant: ſibi quiſque
Inde exemplum expetunt &c.
Atque ubi illò immigrat nequam homo indiligenſque
Cum pigra familia immundus, inſtrenuus,
Hic jam ædibus vitium additur,
Bonæ cum curantur malè.
Atque illud ſæpe fit, tempeſtas venit,
Confringit tegulas, imbriceſque; ibi
Dominus indiligens reddere alias nevult
Venit imber, lavit parietes. perpluunt
Tigna, putrefacit aer operam fabri:
Nequior jam factus eſt uſus ædium,
Atque haud fabri culpa. Sed magna pars hominum
Morem hunc induxerunt, ſi quid nummo ſarciri poteſt,
Uſque dum maneant, neque id faciunt, donicum
Parietes ruunt: ædificantur ædes totæ denuò.
Hæc argumenta ego ædificijs dixi, nunc etiam volo
Dicere, ut homines ædium eſſe ſimiles arbitremini.
Primum dum parentes fabri liberorum ſunt,
Et fundamentum ſubſtruunt liberorum,
Extollunt, parant ſedulo infirmitatem:
Ut & in uſum boni, & in ſpeciem populo
Sint, ſibique aut materiæ ne parcunt,
Nec ſumptus ibi ſumptui eſſe ducunt:
Expoliunt, docent literas, iura & leges,
Sumptu ſuo & labore nituntur, ut
Alij ſibi eſſe illorum ſimiles expetant,
Ad legionem cum itant, adminiculum eis dannunt
Tum aliquem cognatum tuum,
Eatenus abeunt à fabris.
Unum ubi emeritum eſt ſtipendium, igitur tum,
Specimen cernitur, quò eveniat ædificatio.
Nam ego ad id frugi uſque & probus fui, in fabrorum
poteſtate dum fui:
Poſtquam immigravi in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum illico oppidò.
Venit IGNAVIA, *ea mihi tempeſtas fuit,*
Ea mihi adventu ſuo grandinem, imbremque attulit,
Hæc verecundiam mihi & virtutis modum
Deturbavit, detexitque me illico.
Poſt illa med' obtegere negligens fui,
Continuò pro imbre amor advenit in cor meum.
Is uſque in pectus permanavit, pemadefecit
Cor meum, nunc ſimul res fides, fama, virtus
Decuſque deſeruerunt: ego ſum in uſu
Factus nimio nequior. At edepol ità
Hæc tigna humidè putrent, non videor mihi
Sarcire poſſe ædes meas, quin totæ
Perpetuæ ruant, quin cum fundamento
Perierint, nec quiſquam eſſe auxilio queat.
Cor dolet, quom ſcio nunc ut ſum, atque ut fui.
Quò neque induſtrior de iuventute erat,
Arte gymnaſtica, diſco, haſtis, pila,
Curſu, armis, equo; victitabam volupe,
Parſimonia & duricia diſciplinæ alijs eram,
Optimi, quique expetebant eam doctrinam ſibi,
Nunc poſt, quàm nihili ſum! id vero meopte ingenio
repperi.

Addi hoc loco nonnihil etiam ſuper illis ſive impoſtoribus ſeu mendicabulis poſsit,
qualia Apuleius *fortunæ decermina, & larvalia quaſi ſimulachra*, haud inſcitè dicit; quique ſti- *lib. 1 Meta*
pes in trivijs erogare ſoliti humi ſedentes ſciſsili palliaſtro ſemiamicti, pænalique lurore *morph.*
ac miſera macie deformati, ulcera oſtentantes & partium vitia involucris obſcænis ac
faſcijs tecta, corporiſque claudicationes, aliaque eiuſmodi viſu fæda; quibus affectus ex- *Claudican-*
citent & miſerationes prætereuntium: Addi inquam de hiſce poſsit, eiuſmodi nimirum *tes & mem-*
nonnullos, itemque mutos aliquot & lunaticos ac Dæmoniacos huc introductos poſt *bris torti in-*
aliquod temporis ſpatium faſcijs & involucris bacilliſque, quibus innitebantur, alijſque *tegritati ſuę*
ſimilibus, quæ fucum populo faciebant, abiectis, agiles mox, detectâ ſcena, ad opus pro- *reſtituti.*
ceſsiſſe omnemque evanuiſſe corporis ægritudinem.

N 2 Eiuſque

Eiusque spolia, parietibus appensas conspici; quæ miraculi quodammodo veritatem omnibus asserant: Vt jam non habeat Antichristi, seu, ut loquitur Augustinus, mirabiliariorum schola quod Divarum suarum Sichemensis & Aspericollis aliarumque miraculis glorietur: Si enim fictitia illa, & ad vulgum decipiendum pia fraude composita; en veracia hæc nostra & seria illis opponimus. Sed nostrum non est jactare talia, qui sciamus cum eodem Augustino, Ecclesiæ primitivæ autoritatem miraculis inchoatam, & postmodum, ut egregie idem addit, hæreticos semper & pseudoprophetas miraculis triumphasse, secundum illud ad Thessalonicenses Apostoli, *Satanam in Antichristo potentem fore in signis & prodigijs mendacibus*. Quo eodem loco idem Apostolus non obscurè prædicit haud revelatum iri eundem Antichristum *filium perditionis*, seu ut ibidem quoq; appellat, *mysterium iniquitatis* & ἀνομίας, nisi sublato Romano imperio. Nam id si perstitisset, quomodo Romanus pontifex eò devenisset potentiæ, ut Romæ dominus fieret? Neque enim Romanus imperator rectè dici potest, qui Romam ipsam imperij metropolim non tenet. Et eundem deinde Apostoli locum respiciens quoque Chrysostomus, & Hieronymus præsertim ad Gerontiam, haud aliter intellexere quàm de Romano imperio, eiq; exinde successurâ Antichristi sede Apostatica, inanibus miraculis turgida. Et ante utrûque præcipuè Tertullianus, cuius sunt verba perspicua, & ideò ex libello de Carnis Resurrectione huc advocanda plenius: Ita enim, Apostoli quasi paraphrastes, ibi loquitur: *Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi veniat abscessio primo; huius utique regni, & reveletur delinquentiæ homo, id est Antichristus, filius perditionis, qui adversatur & superextollitur in omne quod Deus vel religio dicitur, uti sedeat in templo Dei, adfirmans se Deum. Et paulo post. Iam arcanum iniquitatis agitatur, tantum qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat: quis? nisi Romanus status, cujus abscessio in decem Reges Antichristum superinducet, & tunc revelabitur iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & evacuabitur apparentia adventus sui. Cuius est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute & signis atque portentis mendacij & in omni seductione iniustitiæ eis qui pereunt.* Quod sane Apostoli ac Patrum consentiens testimonium omni exceptione maius esse debet, cum præsertim id loquantur quod postmodum accidit; Papam nempe *mysterium illud*, ut habet Apostolus, ἀνομίας, Imperio Romano in ordinem redacto ac planè pessundato, potentiâ potiturum omnique usurum seductionis atque iniustitiæ genere; seque sublimaturum super omne, quod Deus dicitur, id est, Reges, principes atque Imperatores omnemque in universum magistratum pedibus, quod aiunt tracturum, seque tandem pro Dei Vicario in terris laturum frivolis & fallacibus miraculorum nænijs intumentem, longe seposito (aut hominum saltem innumeris traditionibus pæne obvoluto) vivificante illo & secante Dei verbo; quo ipse indies veluti spiritu oris divini conficitur. Adeò ut optimo hæc iure & præsertim quod ad istos hodiæ Romanæ hierarchiæ miraculorum venditatores, cum Hipponensi Episcopo conclusero: *Quæcunque* (miracula) *talia in Ecclesia Catholica fiunt, ideò sunt approbanda quia in Ecclesia Catholica fiunt, non ideò ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt.*

De miraculis obiter nonnihil. — *1. Thes. 2. 9* — *Cap. 24.* — *August. de Vnitate Ecclesi.*

Vt ergo institutum super mendicabulis istis, sermonem resumam, operæpretium censeo (ut constet quàm in omni republica è re esset *edicta* illa maiorum *de validis mendicantibus* in usum revocari) unum præterea atque alterum exemplum superiori haud absimile in medium proponere. Commemorat utrumque oculatus testis *Iodocus Damhouderius Brugensis*, Regius Consiliarius, in Praxi sua rerum Criminalium capite 112, ubi de priori hunc in modum loquitur: Referam quod Gandavi olim comperi, ubi ego cum aliquot
" senatoribus Brugensibus sedi ante portam domus senatoriæ: hic enim nos adoritur
" Mendicus quidam gemebundus, plorabundus, mirisque modis Iri paupertatem simu-
" lans, Eleemosynam petit, habere se latens vitium ac malum prædicat, quod pudor exhi-
" bere conspectui deterreat: Ipsius miserti singuli mendico Eleemosynam largimur. Men-
" dicus à nobis digreditur. Vnus nostrum iussit famulum suum hunc mendicum insequi:
" & propius quid latentioris vitij haberet, perquirere. Paret is mandatis, mendicum rogat
" quodnã sit illud latens vitiũ, quo se laborare dicebat. Inspicit faciem, videt pectus, videt
" brachia omniaq; nitentia & valida conspicit. Nihil (inquit famulus) in te mali video. Ah
" (inquit mendicus) longe aliud est malum quod me premit, quod à tuis obtutibus re-
" motum est, nempe tale malum, quod per universum corpus meum serpsit, quod per ve-
" nas ac medullas ita grassatur, ut nullum sit mihi corporis membrum, quod sese labori-
" bus ac operis tradere valeat, hoc malum vocari audio pigrititiam & desidiam. Quid?
" hæccine noxia admodũ sunt vitia? Famulus hic stomachabundus discedit, ad suos redit:
" Rogatur quod fuerit illud latens malum: famulus ut à mendico edoctus fuit rem expli-
cat,

Exempla adhuc alia validorum mẽdicantiũ.

cat,cognitum illud latentiſsimum malum,quod multos alios quoque premit, aperit. Reſponſum cum riſu omnium excipitur. Mox perquiritur ut capturæ piæ commendetur,Verum ſcurra aliò ſe ſubduxerat.

Huic alterum conſimile adijcit, quod ſe quoque conſpexiſſe in inclyta Brugenſium urbe,cui tum à conſilijs erat,in hunc fere modum refert,exemplum ſanè non minus lepidum quam flagitioſum : Circa annum,inquit, Domini 1536, oſtiatim commeabat quidam mendicus iuxta externam ſpeciem plane,ut apparebat, miſerabilis, mutus,elūbis; adeo ulceroſus,ſcabioſus & deformis,ut omnibus miſerationem ſui incuteret, alijs etiam lachrimas excuteret. Hic ſingulis Dominicis per ſingula parochialia templa ſe proſtraverat,ſtraminibus incubans, mutum balbutie quadam ſimulans tintinnabulum altera manu agitans atque univerſam eamque miſerabilem corporis deformitatem prætereuntibus oſtentans, adeo ut ſæpe ſingulis dominicis & feſtis diebus ex hac improba mendicitate corraſerit 5. 6. aut 8 ducatos. Quod cum æquo diutius duraſſet & in eodem ſtatu ad fores templorum ſuam trægediam iteraret: contigit ut unus ex publicis ſatellitibus in hunc oculos intentius conijciens,impoſturæ ſuſpicione tangeretur,& quibuſdam prætereuntibus diceret hunc ità deformatum,eſſe planè planum & aſtutum impoſtorem. Tandem curioſius & certius rem cognoſcere cupiens propius acceſsit,& iterum iterumque eundem preſsius intuens, cæpit aliquanto audacius aliquot faſcias, & pannos lineos purulentos digitis ſuis detrahere, quibus detractis, comperit cutem ipſius eſſe nitidiſsimam,ſanam & validisſimam:idem conſpicantibus multis. Mendicus cernens per hoc impoſturam ſuam detectam,quam ocyſsime ſeſe in pedes conijcit,cervoque velocius fugam init. Satelles clamoribus inſequitur. Tenete nebulonem, tenete impoſtorem:ob hos excitos clâmores à quibuſdam intercluditur & ab eodem ſatellite capitur, & ad carcerem deducitur, indignantibus aut miſerantibus multis è vulgo hominum hanc miſeri atque ulceroſi, ut videbatur, apprehenſionem.Porro ad eundem mox à captura acceſſerunt ipſe prætor cum duobus ſenatoribus,& uno ſcriba penſionario,qui poſt carceralem examinationem & rerum debitā diſcuſsionem factam, iuſſerunt ut purulentas illas faſcias abriperet,quo facto compererunt ipſius corpus eſſe ſanum, valens & puriſsimum nulla in parte læſum aut ulceroſum : ſed iuvenili ætate præditum, fortem & à ſummo capite uſque ad calcem ſanum. Interim fallacijs atque huiuſmodi impoſturis aperte cognitis, eundem mendicum impoſtorem admonere cæperunt, rogantes quid ipſum moviſſet,qui juvenis eſſet multis naturę dotibus exornatus,ut ad tam abiectam,vilem & dedecoroſam vitam ſeſe manciparet, & tam miſeram mendicitatem potius amplecteretur, quàm vitam per ſe modis omnibus honeſtam. Quibus hunc in modum reſpondet: Poſtquam video hanc impoſturam meam eſſe detectam, meq; infamiæ jam fore ſubiectum,univerſum vitæ meæ ordinem nudè profitebor. Parentes habui honeſto loco natos & re lauta, qui me erudiendum curarunt literis Latinis & Græcis. Poſtea ad iura & ad praxim me applicuerunt, ubi familiaritatem contraxi cum ijs, qui me ſeductum prorſus corruperunt,adeò,ut relicta honeſtiori vita,relicta patria,relictiſq; parentibus (in quorum conſpectum venire metueram)malorum conſortijs me adiunxerim,cum quibus unà in Italiam profugi, hinc in Franciam, deinde Neapolim, mox Cyprum quoque inviſi,hinc per Siciliam Romam reverſus fui:hinc Venetias,inde Germaniam peragravi : ac tandem in Belgiam hanc regreſſus, hîc ſedem figere ſtatui. Profuſis autem rebus meis omnibus, aleis atque omni voluptatum genere,tandem honeſtis civibus inſervire cæpi,quorum famulitium impatienter ferens, planis ac nebulonibus me adiunxi, cum quibus per varias civitates & Xenodochia vagatus nullum non impoſturæ genus feliciter didici,quibus mundum hunc cæcum,aſtutè fallerem, pecuniam abundè corraderem,eoque modo commodam in ocio & voluptate vitam degerem. His igitur modis multos ad commiſerationem cōcitavi,quæſtum ingentem feci, ac non raro ſingulis diebus 4.5.6. aut 8 ducatos corraſi,quos per hebdomadam(detractis purulentis faſcijs & indutus veſtibus alijs elegantioribus,quarum quatuor aut quinque genera ſeorſim habebam) in nullo non delitiarum genere inſumpſi, & vitam Epicuri aut Sardanapali commodisſimè tranſegi.Abſumpta pecunia ad priorem piſcationem meam redij,domunculam meam denuò ſubij,me ut prius ad ſpeculum,quod in hunc uſum habebam,ornavi, ſiligineam farinam ſingulis membris capiti,tibijs, pedibus, pectori,ſcapulis ſuperlinivi,quæ eadem membra mox lineis laceriſque faſcijs veſtivi,hinc ardentem candelam altera manu complectebar,altera ſulphuris partem,quam ardore candelæ per eaſdem faſciolas pasſim inſtillavi.Poſtremo columbam aut alium pullum accepi, quem

" discerpens permisi guttatim per eadem membra sulphure & farina oblita instillare, ut " universum corpus tantò apertius appareret purulentum, miserabile & conspectu horri- " dum: tandem ubi ità me probè ornatum ad speculum contemplatus fui, ex tuguriolo " meo (quod ubique locorum circa mœnia conduxi, ne quis me ibi instruentem percipe- " ret) prodij, templorum valvas repetij, atque ubi me prostravi, meamque miserabilem " tragædiam peragere cœpi, meis retibus populi transeuntis pecuniolam aucupari sategi. " Dum ità jactanter suam vitam commemorat Senatores ipsius insipientiam taxant, vitæ " inhonestatem coarguunt, indignissimè nequiterque facta improbant, damnant & con- " trarijs rationibus ipsius nequitiam convincunt. Ipse verò quasi pœnitens, veniam, resi- " piscentiam & honestiorem vitam ipsis firmiter promittit, seque in gratiam magistratus " commendat, ut is misertus juventutis suæ atque insipientiæ in se potius clementiam quā " iustitiæ rigorem exerceat, quod ijdem senatores ipsi bona fide promiserant. Interim ta- " men non desierunt repetere ipsius nequitiam, ipsumque nefarium factum commisisse, " qui tam enorme furti genus impudenter perpetraverat, veris pauperibus, veras Eleemo- " synas è faucibus præripuerat, & subdolè & fucatè oppresserat, & fortassis mortis quoq; " occasionem (ob non consecutas per eum debitas Eleemosynas) præbuerat. Quam ad- " monitionem is satis patienter admisit, & meliora promittebat. His rebus ità liquidò " cognitis, Senatores ab ipso digrediuntur, audita, comperta & conspecta ad Senatum nu- " dè referunt. Causa ipsius discutitur, trutinatur & damnatur reus, ut postridie eius diei " sese in carcere solito more exornet, ita ornatus inter satellites è carcere per Burgum fo- " rum publicum conducatur ad domum Senatoriam, percepturus ibi suæ nequitiæ perpe- " tratæ sententiam: inter deducendum verò levis judicij populus satellitibus occlamare " cœpit, & obstrepere, indignissimè fieri quod tam miserabilis hominumque omnium in- " fimus, per magistratum raptaretur ad pœnam. Interea tamen reus is impostor coram " magistratu sistitur, & hac sententia damnatur, ut ad semihoram palo affixus in theatro " populo ità ornatus ostentaretur. Deinde à carnifice omnes fasciæ sordesque tollerentur, " ut cunctis nitor cutis & corporis sanitas innotesceret; Deinde 12 virgis ad effusionem " sanguinis acriter cæderetur, & tandem extra terminos Flandriæ decem annorum exsilio " sub pœna suspendij; relegaretur. Quam quidem sententiam is alacriter (metuerat enim " suspendium) in se recepit, sed minus alacriter verbera sensit, qui ita verberibus discerptus " fuit, ut totum corpus cruore madesceret. Populus autem his dolis & imposturis conspe- " ctis, ridere cœperunt, qui prius fremuerant, & optimè dignissimeque factum esse, quod " prius imprudenter sugillaverant, suamque insipientiam detestabantur, qui tam temere Senatorum facta præter cognitionem causæ prius incessere non verebantur. Hæc Damhouderius. Quæ sane eiusmodi sunt, ut rectè atque ordine fieri omnes æstimare debeamus etiam hoc hominum genus apud Amstelodamenses ad illos de quibus dixi, Ergasterij labores publica Senatus sententia veluti ad metalla quædam damnari; postquam sacrosancta illa Iustiniani de *Validis Mendicantibus* lex, quomodo & modò tetigi, negligatur jam passim, pæneque sepulta jaceat.

Lib. 10. C. Imp. Iustin. Cui adde Vijtzium *de pauperib⁹ domi continendis.*

Est denique & hoc observatu memoratuque haud indignum, quod in eodem, de quo loquimur, marium Ergasterio annis superioribus 1602, itemque tertio, peste per oppidi omnes oras sævissimè grassante, cumq; in orphanotrophio plus trecenti, uti indicatū superius est, ea tunc lue tollerentur, ergastulariorum nullus hoc malo vel correptus vel mortuus fuerit; quò verum esset illud vetus, malam herbam haud *intercidere aut perire*, ut vernaculo diverbio solemus dicere: Aut, quod ità divinæ providentiæ placuerit, pœnæ nimirum ac pœnitentiæ reservari in illo pistrino postremissimos hominum; &, ut Græci dicebant, *Mysorum ultimos*. Nam & Græcis pestilentia laborantibus, deque remedio oraculum Apollinis consulentibus, responsum dicitur, ad Mysorum ultimos demigrandum; quasi ibi tutiores futuri apud hominū postremissimos, modo ità adagium, ἔσχατος μυσῶν πλεῖν; Varijs modis enarratum explicandū videatur: Quamvis & ijdem Græci nostrati adagio, *mala herba* nō perit, æquale habeant usurpentq;, à vase nō minus elegāti desumpta metaphora, κακὸν ἄγγος οὐ κλᾶται, *malum vas non frangitur*. Quod is qui deterior, nonnunquam vivacior, & in periculis tutior. Nunc ad fœminarum Ergasterium progrediamur.

On-kruyt vergaet niet

ERGASTERIVM FÆMINARVM.

Quod vulgo het Spinhuys.

NETORIA DOMVS.

Eādem

ADEM circiter, ut supra positum, tempestate, præsertim anno 1596, intercedentibus apud Magistratum pauperum Elemosynarijs *Egberto* nimirum *Petræo* Scabino; *Iohanne Nicolao Cloeckio*; *Simone Simonio*; *Hugone Cornelio*, & *Johanne Vees*, ordinatum constitutumque est hoc alterum *fæminarum* scilicet *Ergasterium*, seu, ut vulgò appellant, *Netoria Domus*. Eoque statim introductæ plurimæ, collectusque puellarum etiam, quas ante diximus per compita vagas ferri, haud exiguus numerus. Hæ nere & fila lanea conficere, retia texere aliaque lanificij genera exercere cæperunt. Aliæ quoque, quæ lustris atque ignaviæ studere, quæstumque corpore facere deprehenderentur, quasi è media suburra in locum hunc sanctiorem, & veluti ad disciplinatum aliquem, idque haud sine maximis urbis impensis, similiter transmissæ: Eumque in finem vernaculo idiomate hi versus leguntur inscripti frontispicio ædificij, quod in area interiori est:

Om schamele Meyskens, Maeghden en Vrouwen,
'T bedelen, leech-gaen en dool-wech te schouwen,
Is dit Spin-huys ghesticht, soomen hier sien mach;
Elck laet sich niet verweelen noch rouwen,
Wt Charitaet hier aen de handt te houwen,
Wie weet wat hem oft de zijne noch gheschien mach.

Quorum iste propemodum sensus est.

Quò simplex VIRGO, *seu* FÆMINA, *sive* PVELLA,
Et varios vitæ labyrinthos vitet & astus,
Tum quæ segnities & mendicabula suadent,
Hæc extructa DOMVS NETORIA. *Quisque faveto*
Proposito sancto, nec dextra jmmunis adesto:
Namque sibi atque suis quis scit quid mox ferat hora.

Est à parte antiqui lateris hæc Domus. Monasterium olim fuerat Virginum D. Vrsulæ, quomodo & antea, sed obiter, indicavimus. Liberalitas duorum præsertim notabilis est. Nam millenos florenos intulisse viros honoratos duos, qui tamen celatum nomen suum voluerunt, ex præsidum relatione nobis constat: Ordinum quoque Hollandiæ indultu concessum, ut ab omnibus vectigalibus, sicuti & reliqua xenodochia publica, immunis haberetur. Atque hæc primis fere annis ità fuêre. Postmodum parentes, non Amstelodami modò, sed alij aliunde quoque filias suas ob mores dissolutiores in spem melioris frugis huc introducendas, & annis aliquot continendas, assentiente Senatu ac præsidibus, non dubitaverunt. Et ipse quoque Senatus ex lustris ac popinis, dubiæque famæ similibus locis alijs, ob vitæ probra eductas nonnullas, certis hic annis, condemnarunt. Præsto sunt semper, sicut & de ceteris xenodochijs dictum est, Oeconomus seu pater & mater familias, qui omnium diligentem curam gerunt. Externæ matres, quas omnium primas Magistratus nominavit, fuere *Agatha Nicolai & Eva Harmanni*, anno 1596. Nunc præsunt *Guilielmus Iohannes Bethius, Arnoldus Episcopius, Tobias Waltheri, Egbertus Storck.*

De Veterum Ergasterijs atque Ergastulis:
Lapidicinis & pistrinis: & quid ea cum hisce
Amstelodamensium commune aut diversum
Habuerint, breve HYPOMNEMA.

Vnum hoc loco haud indignum ampliore disquisitione videtur, an & olim apud Græcos Romanosque Ergasteriorum eiusmodi usus fuerit, cum inde præsertim Ergasterij ipsum nomen mutuatum habeamus. Quod ad Græcos, videntur simpliciter ij vocem eam pro officina & loco non modò laboribus, sed studijs quoque ac Musis dicato usurpasse. Quomodo, inter ceteros, Gregorius Nazianzenus Alexandriæ dixit fuisse ἐργαστήριον πάσης παιδείας; *officinam omnis doctrinæ*. Romani verò *Ergastulum* eadem quidem origine, non tamen flexu, *locum* intellexerunt *in quo vincti operarentur*, uti definiunt Philoxeni Glossæ, in quibus est *Ergastulum*, τόπος ἐν ᾧ οἱ δεσμῶται ἐργάζονται. Et probat Apuleius, qui quindecim vinctos ergastulum constituere his verbis ait; *Quindecim liberi homines populus est*; *totidem servi, familia*; *totidem vincti, ergastulum*. Philoxeni definitio à re nostra parum abit, cum aut vi nctiaut saltem repagulis artè conclusi, ad operandum, ut & supra dixi detineantur

Quid Græcis Ergasterium.

Quid Romanis Ergastula.

Philoxeni & Isidori Ergastulorum definitio vix differt ab Amstelodamensiũ instituto

neantur hi nostri. Quomodo etiam Isidorus accepit, cuius est hæc definitio: *Ergastula sunt, ubi deputantur noxij ad aliquod opus faciendum; ut solent gladiatores & exsules, qui marmora secant, & tamen vinculorum custodijs alligati sunt.* Quam tamen definitionem vitij ac falsitatis insimulavit vir olim doctus, cum noxij rarissimè, gladiatores nunquam in ergastula Romanorum compacti legantur: Sed nec de exsulibus assentitur, nec de marmoribus secandis, quum eam minimam partem fuisse existimat ergastularij laboris; præcipuum verò finem agricultionem. Quod si admittamus, nec Philoxeni, quam tamen approbat vir idem doctissimus, definitio hic locum habebit, quæ ait, *vinctos in ergastulis* operari. At agricultura non intra, sed extra ergastula exercebatur; Itaque definitionem utriusque & Isidori inquam & Philoxeni, si accuratius examinemus, strictior erit, & ad hodiernum Amstelodamensium hunc modum & munus, primaque veterum tempora accommodatior, quam ad sequens ævum Romanorum. Nam licet verum sit, veteri illo & Plauti fere ævo, in ergastula quasi deductos nonnullos ad molendum, ad lapidem cædendum aliudve opus faciendum, non tamen *ergastula*, sed *latomiæ lapidariæ*, itemque *lapidicinæ* ac *pistrina* tum vocata fuerunt: inque ea, & præsertim pistrina, servi, qui flagitium aliquod commiserant, pœnæ loco tradebantur, ad pinsendum seu contundendum in vase concavo, cui pilæ nomen erat, frumentum; ante nimirum inventum molarum; nam postea, in usum prolatis moletrinis, ad molas trusatiles circumagendas adiudicabantur. At aliter sequẽti exinde seculo apud eosdem Romanos obtinuit, ubi avaritia magnatũ agros & latifundia pretio, fraude, vi à pluribˀ traxit ad paucos. Hinc illa divitũ spatiosa latifundia: hinc pauperum ab agris exsilia; hinc inductio ergastulorum. Vnde enim pauci illi tot agris colendis? Servi itaque & barbari passim empti ad solum sarriendum serendumque. Quod egregiè in Gracchis his verbis Plutarchus inter cetera Italiæ mala recitat: *Paulo post*, inquit, *cum vicini illi divites per suppositas personas transferrent conductiones agrorum in sese, & denique palam jam etiam & suo nomine plerasque detinerent: expulsi pauperes neque ad militiæ munus alacres se præbebant, neque ad educandos liberos. Ita ut mox Italiam universam infrequentem & vacuam liberorum capitum esse contigerit, ergastulis compleri servorum barbarorum: per quos divites agros suos colebant, civibus exactis.* quamvis in Græcis Plutarchi verbis non est *ergastulis compleri*, sed δεσμωτηρίων δὲ βαρβαρικῶν ἐμπεπλῆσθαι; quod eodem spectat. δεσμώτηριον enim carcer, seu locus in quo homines vincti continentur. Lucanus similiter, cui non ignotum erat Romanos quondam ipsos rura coluisse, & honestissimos quosque cives habuisse in agris, non ambigit hanc pauperum ab agris exactionem servorumque in eosdem inductionem inter præcipuas imperij labentis causas collocare, lib. 1.

3. Lipsius lib. 2 Elector.

Ratio Ergastulorum sequẽtis ævi apud Romanos.

Paupertas fugitur, totoque arcessitur orbe
Quo gens quæque perit. tunc longos iungere fines
Agrorum, & quondam duro sulcata Camilli
Vomere, & antiquos Curiorum passa ligones
Longa sub ignotis extendere rura colonis.

Ignotos enim colonos non alios intelligit, quàm hos in ergastulis servos, alienigenas ut plurimum, & à longinquo cælo. Plinius quoque lib. 18. cap. 3 conqueritur imminutam hoc modo agriculturæ dignitatem, cum ait; *Nunc eadem illa rura, vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent.* Et columella: *Rem rusticam pessimo cuique servorum velut carnifici, noxæ dedimus; quam majorum nostrorum optimus quisque optimè tractavit.* Quò etiã respexit Tertullianus allusione docta, ubi de Adamo sic inter alia loquitur: *Adam in ergastulum terræ laborandæ relegatus.*

Similitudo Ergasteriorũ Amstelodamensiũ cum veteribus & dissimilitudo.

Quapropter, sive Isidori; sive Philoxeni allatam ergastuli definitionem pressius intueamur, impropriè & metonimicῶs ad Romanum hunc agros per vinctos colentium morem ipsum ergastuli vocabulum referemus; & eum fere in modum, quo Plinius lib. 18. cap 6, *coli rura ergastulis*; & Seneca *sonantia laxi ruris ergastula* dixit. Propriè verò ad illam nostram Amstelodamensium, quam explicavimus, custodiam sive ergasterium faciet: in quo assiduè ad opus vel tyrocnesti, ut dictum est, vel textrina, vel alias faciendum intra septa conclusi, non ad agros ullos colendos, aut alios forinsecus labores exantlandos, custodiuntur.

Dissimilitudines aliæ.

Est etiam in eo inter hæc nostra & illa Romanorum ergasteria discrimen. Quod apud Romanos ergastulorum incolæ servi fere essent, ijque duum generum. Aut enim noxij huc detrudebantur, aut innoxij. Noxij, puta si qui è servis contumaci ingenio, fugitivi,

fugitivi,mali & malitiosi,crebri in delicto:hos dominus ex more damnabat in hanc pœnā. Qui innoxij,vel viles servi habebātur,vel captivi barbari ac corpore robusti:hos bello captos aut pretio emptos,domū vulgò ducebant in hunc præcipuè finem;ut patuit ex Plutarcho supra; & Appianus quoque primo civilium pluribus notat. At ista nostratia seu Amstelodamensium ergastula,,cum omnes apud nos natura liberi censeantur,servis non patent; tantum solutioris & degeneris ac pœne perditæ vitæ juventutem ad frugem reducere,atque illud in utroque sexu ætatis quasi fretum componere ac domare propositum sibi præcipuè habent.Quomodo & *Marium Ergasterij* primis in aditu juxta plateam publicam foribus incisum emblema indicat, currum exhibens quem tigres leonesque iuncti ac jugales ducunt, aurigatore flagellum manu vibrante,hac superadiectâ inscriptione: VIRTVTIS EST DOM, ARE. QVÆ CVNCTI PAVENT.

Atque ità hoc simul obsérvandum,quod ergastula, quæ Romanò imperio inclinationis inter alia causæ fuerunt,uti ex Lucano,Plinio,& Plutarcho retulimus, conquerentibus latifundia & agros servis ac vinctis colendos committi, exactis colonis : contrariò hîc modo haberi,dum exuberante passim nebulonum fæce,ædes,urbes ac provinciæ denique nocturnis atque ærufcatoribus, alijsque immorigeris ac planis expurgantur;publicæque ac privatæ insolentiæ modus ponitur.

ADDITIVNCVLA,

ADdi hîc clausulæ loco possit, quod de Ergastulis, quæ in Siciliæ latifundijs Romani colebant, Florus commemorat : & addi vel eò possit, ut pateat, haud frustra super istiusmodi ergastulis conquestos veteres;non quod agriculturæ modò,ut diximus dedecori essent; sed ipsi subinde Imperio terrori. Nam finito sociali bello ait Florus,exortum est Servile : in quo refractis ergastulis quadraginta amplius millium exercitum fecerat Syrus quidam Eumis:qui & regijs mox decoratus insignibus castella,oppida,vicos miserabili clade vastabat,cæsis ac direptis Manilij,Lentuli,Pisônis Hypsæique castris, donec tandem Rupilio imperatori pœnas dederit. Quin & vix respiraverat eo malo insula (quam multò cruentius vastatam eo, quàm Punico bello Florus idem addit)cum statim à Syro venitur ad Cilicem. Athenio enim pastor Cilix, interfecto domino,familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. Ipse veste purpurea, argenteoque & regium in morem fronte redemitâ,non minorem quàm ille prior conflat exercitum, acriusque multò,quasi & illum vindicaret,vicos, castella, oppida diripiens, in dominos, in servos infestus,quasi in transfugas,sæviebat. Ab hoc quoque prætorij exercitus cæsi, capta Servilij castra,capta Luculli.Sed Aquilius P.Rupilij usus exemplo interclusum hostem commeatibus ad extrema compulit, comminutasque copias armis, fame facile delevit : dedissentque se nisi suppliciorum metu voluntariam mortem prætulissent. Ad ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit; Quippe dum circa ad deprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus præda lacerata est. *Bella Ergastulariorum.*

Vnde haud temerarium est quod Columella Ergastulum ædificans, vel describens potius, præcipuam munitionis curam habendam innuit; nec fenestras, sed fenestellas indendas; cum ait;*solutis servis cellæ meridiem æquinoctialem spectantes fient; vinctis quam saluberrimum subterraneum ergastulum, plurimis atque ijs angustis illustratum fenestris,atque à terrâ sic editis ne manu contingi possint*. Vbi & discrimen servorum in villis duplex notandum,solutorum & vinctorum : quorum hi in Ergastulis. Et mox idem repetens cap. 8, ubi officia domini prescribit,*illa* inquit, *solennia sint,ut domini,ergastuli mancipia recognoscant; ut explorent num diligenter vincta sint,an sedes ipsæ custodiæ satis tutæ munitæque sint*. Ijsque moribus; quid mirum si proverbio tunc vulgò jactatum, *totidem esse hostes, quot servos?* sed Senecæ censurâ, *Non habemus eos hostes, sed facimus*. Nunc à diverticulo in viam. *Lib. 1. Cap. 5.* *Epis. 47.*

CAP. X.

Suburbana Monasteria bina, Cartusiensium & Regularium; & quid ea hodie; præmisso de Virginibus sacris, & Votis nonnihil, pro Cypriano & Erasmo,adversus Pamelium.


NARRATIS cum statutis, tum publicis illis ædibus, quæ ex oppidi interioribus monasterijs in usum meliorem atque aptiorem vel institutæ de novo, vel auctæ restaurarateque luculentius fuêre; paucis nunc insuper perstringenda sint illa suburbana loca bina, quorum alterum *Cartusiensium* fuisse monasterium libro superiori monui, extra portam Haerlemensium; alterum *Regularium*, extra portam Regularium. Quod tamen priusquam aggredior præmittendum nonnihil de illo monastico genere illisque monasterijs, quæ nunc in Ergasteria istæc cõversa indicavimus. Nam ut supra posui, alterum, quod est à veteri Latere, *Netoria* alias *Domus*, Sororum tertiæ Regulæ S. Francisci fuerit, Vrsulæ sacrũ; Alterum à latere Novo, eiusdem Francisci ordinis, Clarissarum nomine. Quorum Franciscus Asisinas in Vmbria Italiæ regione ortus, circa annum Domini M.cc & xv Mendicantium Ordinis autor fuit; eumque secuta mox Clara virgo, Asisinas etiam natione, Clarissas monachas, similiter mendicantes & pauperes, ad normam scilicet popularis sui Francisci instituisse votisque solennibus constrinxisse memoratur. Et narrat Polydorus Virgilius nullum unquam humanæ pietatis institutum magis brevi tempore crevisse totumque pæne terrarum Orbem implevisse citius; Sic ut multi jam tum stupefacti suspicarentur non tam pietatem, quam otium & ignaviam, id genus hominibus placuisse. Et sanè haud scio, qua fronte, aut quibus scripturæ divinæ testimonijs, illam mendicandi sectam tueri valeant; quando satis constat, Christum non mendicasse; nec Apostolos expectasse ab alijs victum otiosos, scribente ad Corinthios Paulo, *Et laboramus operantes proprijs manibus*. Quod & primos in Ægypto monachos fecisse vetustiores attestantur patres; ut omittam, quod adferunt aliqui, hunc ipsum Franciscum mendicantium autorem, voluisse suos monachos victum quærere manuum laboribus, nec ad mendicandum prius accingi, quàm laboris pretium fuisset negatũ. Quod quàm hodie obtinuit aliter, intelligunt illi qui crassos istos torososque, cum collativis ventribus, ostiatim commeantes quotidie conspiciunt; ut iure nunc factum dicamus ista mendicitatis atque otij conciliabula in Ergasteria apud Amstelodamenses esse commutata, id est, otiosorum eiusmodi, ac validorum mendicantium gymnasia nunc reddita.

Vide Polyd Virgilium,

De votis verò quod innuebam, satis indicatum jam ante puto, primo ac sinceriori monachatui ignotum eum morem fuisse, & vel à Serapidis atque Indis in Ægypto cultoribus, vel Iudæis, defluxisse; atque invaluisse tandem, ut sunt in superstitionem pronæ mentes, in Romana præsertim Põtificiorum Ecclesia. Nunc etiam hoc addam, si quæ in veteri ac puriori adhuc Christianitate eiusmodi vota fuerint, libera ea, nec in perpetuum obstringentia, fuisse; ideoque & rectè monitum ab Erasmo in margine Cypriani, Epistola 62, Virginibus, quæ se Christo dicaverant, suasisse ac permisisse Cyprianum, si perseverare vel nollent, vel nequirent, ut nuberent. Quod multis, & extra scopum allatis sequentium patrum testimonijs, in Editione sua Cypriani pernegare conatus est Pamelius, inveteratæ consuetudinis potius, quam veritatis, patronus strenuus. At disertè Cyprianus non modò alludit, sed ut paraphrastes, exprimit verba Apostoli, cum ait: *Quod si se ex fide Christo dicaverunt, pudicè & castè sine fabula perseverent, ità fortes & stabiles præmium virginitatis expectent: Si autem perseverare nolint, vel non possint, melius est ut nubant, quam in ignem delitijs suis cadant*, ut manifestè de ijs verba faciat, quæ semel statum suum continenter & firmiter tenere decreverant: quas & postea, eadem epistola, virgines Deo dicatas appellat, cum inquit, *Quia Christus Dominus & judex noster cum virginem suam sibi dicatam & sanctitati suæ destinatam jacere cum altero cernat, quam indignatur & irascitur!* Vnde liquidò patet vota illa virginum eo adhuc ævo fuisse eiusmodi, ut si perseverare nollent, vel non possent; nubere illis fuerit concessum, ex Apostoli præcepto. Quod verò hic ostendit Pamelius de velatis & non velatis, quasi non velatarum, & nondum ab Episcopis consecratarum, laxiora vota fuerint, locum hîc neutiquam habet, nec ex antiquissimis illis Patribus Tertulliano ipsoque Cypriano id probaverit; qui indifferenter omnes eas intelligit, qui se ex fide Christo dicaverint, cum & Tertullianus indifferenter omnes ad Apostoli (qui in Ecclesia mulieres velato capite esse vult) præceptum; non mulieres modo, sed & virgines velandas moneat, libro de velandis virginibus, ne videlicet aperto capite, & comis in orbem ac tumorem ædificatis, starent in congregationibus Christianorum, haud aliter atque in choreis & spectaculis solent, quę virum quærunt. Quo loci eruditè insuper observavit Rhenanus, nullam prorsus toto eo libello à Tertulliano mentionem fieri consecratarum aut professione initiatarum virginum, cum posteriori demum ætate id invaluerit, ut ab Episcopo scilicet consecrarentur velarenturque. Quod & ità

Lib. 1 cap. 1 supra.

De votis primitivæ Ecclesiæ.

1. Cor. 7.

Quomodo velandas virgines voluerit Tertullianus.

& ita nihilominus factum postero illo seculo, Ambrosij inquam, quo id cœpisse idem Rhenanus ostendit, ut adultæ & maturo judicio virgines viduæque, quum Ecclesiæ persecutiones Christianos de rebus seculi parum sollicitos esse iuberent, seipsas, parentum vel agnatorum consensu & consilio, peculiari quadam ratione Christo sacraverint, seque Episcopo stiterint, ut per Ecclesiæ nimirum preces Deo commendatæ rebus sacris pauperumque invigilarent. Immota igitur manet Erasmi annotatiuncula, sacris videlicet virginibus, ne urerentur, permisisse matrimonium Cyprianum; Sicuti & illa insuper eiusdem Cypriani; *si nolunt, aut non possunt*, manifestum indicant veterum virginum, & monialium hodie pontificiarum discrimen. Adeò ut quidquid præterea ex patribus, Cypriano posterioribus, quique matrimonio minus æqui fuerunt, ut, inter ceteros, Hieronymus, qui calentibus tum adhuc rhetorum studijs in laudem virginitatis pæne ad sugillationem usq; nuptiarum sæpe provectus est, ut patet ex apologia eiusdem ad Pamachiũ, qui hac de re amicè ipsum monuerat; quidquid inquam, ex eiusmodi hyperbolicum adferatur, ei vicissim opponemus, rem quasi ad principia sua revocando, dicta Apostoli; quibus hortatur, *ut quisque propter stupra vitanda suam habeat uxorem, & suum quæque virum*, 1. Cor. 7. Item *satius esse matrimoniũ contrahere, quàm uri:* Et Heb. 13 *honorabile esse inter omnes coniugium & cubile impollutum, scortatores autem & adulteros iudicaturum Deum*.

Atq; hæc pro Erasmo adversus Pamelij in eum notas. Restat de tribus illis Monasticorum votis, *Continentiæ, paupertatis & obedientiæ*, accuratius adhuc quiddam distinctiusq;, sed quàm potest brevissimè dilucideq; dicamus. Non enim in universum damnanda ea, sed ad veterem & primam suam sinceritatem, unde accedentibus indies novis Romanæ Ecclesiæ placitis, exorbitatum est, revocata cupiamus. Statuimus igitur, quod nec ipsi pontificij negent, Votum, esse promissionem sanctam Deo factam: Esseque duplex, *Generale* & *speciale*. *Generale* votum sit illud, quod Iudæi nuncupabant in circumcisione, renovantes idem quotiescunque edebant agnum paschalem: In novo fœdere vovent idipsum quotquot baptizantur; qui Satanæ renunciantes, Deo se totos addicunt. *Speciale* votum non extendit se ad omnes in genere: sed ad certos solummodo in specie ex certa & speciali causa. Cuiusmodi *primò* erant consuetudines illæ ac ritus votorum in Ecclesia Iudaica usurpati, quorum *duo* speciales *modi* in scriptura reperiuntur; *prior*, votum Nazaræorum, ut, *abstinere à vino; tondere capillos*: ad quod nemo hominum ex mandato Dei tenebatur: *Alter modus* Iudæis omnibus proprius erat, cum quis eorum sua sponte Deo promitteret se cultui divino daturum aliquid, puta hæreditatem, domum, oves, boves, agros ad conservationem cultus & ceremoniarum legalium, de quo Levit. 27. Quæ ad Iudæos proprie pertinebant, nunc sub Evangelio abrogata, una cum legẽ ceremoniali, finem faciente Christo, morte sua. Sed dicat quispiam; vovit tamen D. Paulus votum etiam in novo Testamento, idque post complementum veteris; Sed sciendum per instantiam Iudæorum fecisse id Paulum, & rem indifferentem non partem divini cultus habuisse, ut attemperaret se inferioribus eosque lucrifaceret. *Secundò* votum speciale est, quando quis liberà & spontaneà sua voluntate promittit externum aliquod corporis exercitium ad finem aliquem bonum: ut in veteri Testamento, inter alia, Rechabitæ Iere. 23 abstinebant à vini potu; à plantandis vineis & hortis & similibus; quo propositum habebant posteros suos assuefacere ad conditionem & statum captivitatis in terra peregrina. In novo quoque Testamento habentur exempla similium votorum, ut 1. Cor. cap. 6. vers. 12. item 1. Cor. 9. vers. 27. Vbi castigare suum corpus & in servitutem redigere ait Apostolus; & alibi pluria. Sed in eiusmodi votis hæc requiruntur; ut nimirum certi simus, quod vovemus, consentaneum esse verbo Dei, ut attemperatum sit ad eam facultatem, quam nobis Deus donavit; ut non tollat libertatem Christianam: ut non necessarias eas res faciat, quas esse Deus voluit adiaphoras & indifferentes: ut denique conveniat nostræ professioni, ac recto modo animique proposito suscipiatur.

Et convenire fere in hisce nobiscum Pontificios persuasum habeo, sed in eo toto cælo dissidere, quod ijdem non minus in novo fœdere Christianos, quam in veteri Iudæos, ad vota facienda externaque officia exsequenda obligatos pertendant. Nos verò dicimus Iudæis de observandis certis & pluribus ceremonijs mandatum factum; nobis non item: nisi de Baptismo & Cæna Domini. Præcipuè denique in eo dissentimus, quod Pontificij defendant vota illa solennia tria, superius posita; quæ tamen nequaquam sunt conformia regulis ac conditionibus jam modò allatis. Nam cum primum & principale *votum* faciant *Continentiæ*, quo Deo scilicet perpetuam castitatem promittunt, nec unquam se ituros matrimonium; non modò homine maiora promittunt, sed verbo quoque & *De voto Continentiæ.*

Dei mandatis repugnantia. Vult enim Dei verbum omnisque purior antiquitas, ut & modò tetigi, conditionale id esse : ideoque & Paulus 1.Cor.7. hac de re agens; ait; *si se non continent, matrimonium contrahant*. Et ipse Christus. *Qui potest capere capiat*: quasi dicat, non posse omnes, nec omnibus datum: at si quis possit, & si cui id doni datum cælitus sit, is capiat. Hoc secuti quoque, ante aliquot secula, maiores nostri, etiam sacerdotes non nisi uxoratos ad se admittebant; ut notat in Cosmographicis suis, ubi de Frisia, Æneas Silvius, postea, sub Pij nomine, Pontifex maximus; Rationem addens, quia existimarent id supra naturam & sortem humanam esse, ut homines & viri nati perpetuò se continerent. Sed verba ipsius notabila sunt : *Frisij*, inquit, *fœminarum impudicitiam severius puniunt. Sacerdotes ne aliena cubilia polluant, sine conjuge non facile admittunt: Vix enim continere hominem posse, & supra naturam arbitrantur*. Nec etiam in Anglia ante annum 1102. sacerdotibus uxores interdictæ fuerunt. Tunc enim Anselmus archiepiscopus Cantuariensis sacris literis & naturæ vim intulit; & *Anglorum sacerdotibus*, (ut habent Henrici Hontingdonensis apud Camdenum verba) *uxores antea non prohibitas, prohibuit*. Quibus & hoc continue addit : *Quod quibusdam mundissimum visum, quibusdam periculosum, ne dum munditias viribus maiores appeterent, in immunditias horribiles ad Christiani nominis dedecus inciderent*. At hodie quid fit ? concubinitatus & pellices aliaque talia permittuntur sacerdotibus, ut meritò jam olim idem Pontifex Pius dixerit, *magna ratione ademptum quondam sacerdotibus conjugium, maiori restituendum*. Nec valet, quod opponunt, posse aliquem, cui desit continentia, jeiunio & precibus eam impetrare; quia Dei dona non sunt uniusmodi, sunt enim alia credentibus omnibus communia, qualia fides, Dei timor, & cetera; alia verò sunt peculiaria certis quibusdam, quale est, de quo loquimur, secundum Apostolū 1.Cor. 7. uers. 7. *Vellem equidem omnes esse sicut ego sum : verum unusquisque habet suum donum à Deo, alius quidem sic, alius autem sic*. Si itaq; jeiunaverimus, & precati fuerimus Deū prò augmento donorum communium, hoc est, fidei, resipiscentiæ ac quorumcunque tandem, quæ necessaria sunt ad salutem, consequemur ea dubio procul certo ac sufficiente nobis modo. Nec id ipsum tamen de particularibus polliceri nobis possumus. Sic sanitas, sic divitiæ petuntur in hoc mundo; sed donat Deus quod sibi videtur conducibile. Sic D. Paulus ter Deum oravit, ut à tentatione quadam liberaretur, nec tamen voti compos factus est. Dicimus ergo, cuicunque castimoniæ hoc donum sit, ei matrimonio commodiorem cęlibatum, cum ob tempora persecutionum ad quę respexit Paulus cum diceret. *Existimo hoc bonum esse propter necessitatem præsentem: ob quam bonum est homini sic esse*; tum quia liberum magis reddit, & à domesticis alijsq; molestijs ac distractionibus expeditiorem, secundum illud Apostoli: *innupta curat ea, quæ sunt Domini*. At verò illud ubi non est, longe præferendum cælibatui matrimonium, quod institutum à Deo sit, quod naturæ consentaneum, quod denique seminarium sit cum Ecclesiæ tum Reipublicæ; ex quo & ipsi tandem Dei regno fructus uberes proveniunt : Postremò & hoc dicimus; si quis habens continentiæ donum, deo voveat se cælibem mansurum ac post matrimonium ineat, retinens etiamnum donum continentiæ, talem delinquere. Et hoc ideo, non quia matrimonio jungitur, sed quia votum suum irritum fecit : Quo & Augustinus respexit cap. 9 de bono viduitatis, castigans hoc modo nupturientes.

1.Cor 7. vers. 26.

Votum paupertatis.

Alterum votum erat paupertatis & otij : Quod, ut omittam nunc quæ dicta superius fuerunt, repugnat Proverb. 30. vers. 8. *Ne des mihi, nec divitias nec paupertatem*. Repugnat etiam generali voto semel in baptismate præstito. Eximit enim nos à multis officijs & præceptis legis moralis, evertitque finem proprium vitæ humanæ. Nam homo, quà Christianus est, vocationem duplicem habet, per quam & Deo obstringitur, ad ipsum colendum, & homini, ad præstanda officia charitatis : ut ita non primam modò mandatorum Dei tabulam, sed & secundam adimpleat, cum *dilectio* proximi sit *legis impletio*. Quamvis interea haud inficias ibimus incidere subinde tempora, in quibus omnia sua relinquere posit homo, ob vocationem specialem : quomodo Apostoli cum missi fuerint ad prædicandum Evangelium : Quomodo, & Arnobius, libro secundo adversus gentes, respiciens locum Marci, cap. 10. vers. 29, deque suæ tempestatis Christianis verba faciens, ait, *maluisse servos à dominis cruciatibus, quibus statuerint, affici; conjuges solvi matrimonijs; exhæredari à parentibus liberos, quàm fidem rumpere Christianam & salutaris militiæ sacramenta deponere*. Quæ tamen omnia eiusmodi sunt, quæ haud aliter quàm de causis atque occasionibus planè paribus intelligenda veniunt : ut ita nec solitariorum quorundam primævæ Ecclesiæ, quos manibus secundum Apostolum, laborasse indicavimus, secessum omnino damnemus; quamvis interea nec approbemus eorumdem omnia.

Postremum

Postremum *obedientiæ regularis votum* appellant quo se obstringunt ad observandum certum quendam ordinem certumque canonem ab hominibus institutum: cuiusmodi potissimum consistunt in observatione rerum quarundam externarum: qualia sunt cibus, potus, forma, color, vestitus &c. At quàm ista è diametro contraria sunt Christianæ libertati, per quam liber nobis est usus concessus rerum indifferentium, excepto semper casu atque occasione scandali, quis non agnoscat, qui vel illud Apostoli meminerit, *nemo vos judicet in cibo, & potu?* Et illud eiusdem in judaizantes Colossenses: *si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc decernitis,* NE TETIGERIS, NE GVSTAVERIS, NE CONTRECTAVERIS? *Votum obedientiæ regularis.* *Colos. 2, vers. 16.*

Verum curiosius hæc, & nimis fortasse hoc loco theologicè, differuntur: At nos hoc tantum volumus, res, ut innui, eiusmodi, ad sua esse principia fontesque revocandas. Quod si mox ab Apostolorum excessu, altero tertioque seculo, factum & seriò & fideliter fuisset; atque inde labentibus annis iterumque repetitum, non ità purum illum & simplicem Christianismi cultum tot Rituum & ceremoniarum myriadibus, partim à Iudaismo & Pharisaismo; partim à paganismo manifestè repetitarum, conspurcatum huc usque videremus. Et sanè quam id necessarium fuisset, vel illo Colossensium exemplo Apostolus ostendat, qui jam tum manibus pedibusque opponere se necesse habuit invalescentibus Iudaismi ac paganismi apud Colossenses superstitiosis ceremonijs ac traditionibus: ut nec mirum sit magis magisque introducta mox in Christianismum eiusmodi, quæ στοιχεῖα τοῦ κόσμου ibidem appellat Apostolus, cum præsertim hinc Iudæi, illinc gentes nomina Christo dantes semper aliquid, vitio mentis humanæ, suarum fæcum attulerint, novoque indito nomine vel excusaverint vel coloraverint: ut meritò hæc Tertulliani cautione consignem, QVODCVNQVE ADVERSVS VERITATEM SAPIT, HOC ERIT HÆRESIS, ETIAM VETVS CONSVETVDO. *Colos. 2. vers. 16.*

IAM quod ad illa suburbana monasteria bina; Prius, quod è regione Regularium portæ erat, monui superius circa Alberti Boij, Hollandiæ comitis, ætatem fere exædificatum, posteaque, annum circiter 1506, exustum novumque restauratum, non eodem quidem loco, sed prope Alcmariæ vicum, cui *Heilo* nomen est. Nunc rudera & reliquum monasterij spatium usibus alijs & maximè hortorum amænitatibus ac viretis dicatū est. *Monasterium Regularium.*

CARTUSIENSE verò Cænobium, cuius similiter rudera tàntummodo secundum viam, seu aggerem Haerlemensem, conspiciuntur, ejusdem non modo Alberti ævo, sed impensis ædificatum invenio, quum anno nimirum 1368 fratris Wilhelmi nomine, qui furiosus dictus est, Hollandiæ Zelandiæque præesset. Fuisse ædificium amplitudine atque amænitate præcipue commendabile, præter rudera, quæ supersunt, testantur avorum memoriæ ac relationes, qui Christierno 2, Daniæ Regi, hospitium hìc metatum memorant, hospitatumque; cum ad Cæsarem generum iter instituisset anno 1521. Eique narrationi documentum evidens est Domus, quæ etiamnum ibidem reliqua est, in qua conclave monstratur, quod hodieque Daniæ Regis conclave nominant. Postmodum anno 1567, atque exinde magis magisque invalescentibus Belgij turbis, furore atque impetu militum direptum sæpe spoliatumque est; & annis tandem sequentibus pessundatum funditus. Hodie area magnaque monasterij pars in cæmiterium conversa. Eique usui, grassante, superioribus annis pestilentia, destinatum primitus comperior. *Cartusiense cænobium.*

Ordinis autem nominisque Cartusiani occasio atque origo (quia haud omnibus hodie constat) eiusmodi fuit: Quidam singulari doctrina, anno MXXC, nomine Bruno, homo Coloniensis, cum Lutetiæ Parisiorum Philosophiam profiteretur, contigit, ut amicum quendam bonis moribus præditum & vita jam privatum, prius quàm ad sepulturam daretur, audire visus sit clamantem, iusto Dei iudicio damnatus sum: & ea re motus è vestigio eum sex socijs pari miraculi eventu territis, eremi deserta queritans, pervenerit in diæcesim Gratianopolitanam (Galliæ civitas est) ibique locum optaverit, cui hodie Cartusia nomen est; quem & assignandum ei curavit Hugo Grationopolitanus episcopus, qui statim post ad eandem se familiam adiunxit. Eo igitur loci Bruno ad res divinas intentus, primum cænobium fundavit, cum his rigidæ vitæ institutis: intima enim veste utuntur cilicina; summa, pallio nigro, subter candida toga, operculoque capitis cucullo: carnibus nunquam vescuntur, sexto plurimum hebdomadæ die pane & aqua jeiunium agunt, in cubiculis, quæ veluti sacella habent, soli edunt, certis tamen festis diebus unà duntaxat prandent. Silentium eis pæne perpetuum, in quo Pythagoram potius aliquem, quàm Christum eiusque Apostolos, quibus prædicare demandatum erat, imitantur. Porrò cænobio exire nulli fas est, præter præfectum & procuratorem, & illis *Cartusiensis Ordinis & nominis origo.*

illis tantum ad negotia loci curanda. Mulieribus ad eorum etiam templa aditus interdictus, quò ne aliquid videant, per quod ad libidinem rapiantur; Quomodo fere refert Polydorus Virgilius Vrbinas homo pontificius, qui tamen hanc insuper censuram clausulæ loco adijcit: *Bella sanè provisio, si affectiones animi possint claustris compesci, & caro solitudine ac otio domari: id quod divus Hieronymus valde laborando, ut ipse testatur, efficere vix potuit,* scilicet illud poetæ ratum habens: *Quæritur Ægistus quare sit factus adulter, in promptu causa est desidiosus erat.*

CAP. XI.

CVRIA seu urbis PRÆTORIVM. *Eius per varia receptacula distinctio: ætas aliaque.*



ATQVE hæc fere sunt, quæ exolescente monachatu, vel pietatis publicæque disciplinæ nomine, vel aliàs constituta auctaque atque ampliata in melius fuerunt: Nunc consequens est de prophanis ædificijs publicisque civitatis operibus nonnihil adijcere. Et primum CVRIA spectabili loco ad forum areamque Dammensem collocata Senatorum totiusque Magistratus veluti Prætorium est. vulgo *Stadt-huys* appellatur, quasi *Civitatis Domum* dicas. Ex coctili, ut plurimum lapide constat, præter aditum & tribunal anterius, quam *vierscharam* nominant, saxo exciso constructum. Ipsa præcipuè turris conspicua est, & in cælum altissimè educta. Quæ & anno 1601, cum in alterum latus parte sui superiori propendere atque inclinare depræhenderetur, singulari artificio in integrum ac statū suum restituta fuit: ut indicat tunc vulgo per ora pæne omnium idiomate vernaculo jactatus versiculus qui & cataractarum & domuum eodem anno excitatarum multitudinem aliaque complectitur: quem & suo mox loco ponam. Reliqua Curiæ exteriora minus illustria aut operosa elegantia sumptuosa. Ævum subodorari videor ex imaginibus, sive statuæ sunt, quæ supra cancellos Tribunalis collocatę Wilhelmum eius nominis sextum in serie Comit. 27, itemque Iacobam & Philippum, cognomento bonum, cum coniuge repræsentant. Quorum Philippus, accepto à nepte Iacoba anno 1428 Hollandiæ comitatu, aut comitatus saltem procuratione, tertiam duxit uxorem Isabellam, Iohannis Lusitaniæ Regis filiam, anno 1430: ut facile de ętate aut vetustate ędificij coniecturam hinc facere liceat. Interius, præter diversa receptacula, atria sunt bina magnifica: quorum alterum ad dextram inferius est, habens in antipagmentis introitus inscriptionem characteribus aureis signatam, quæ diem & annum, quo Curiam totam occupaverant Anabaptistæ, vernaculo rhythmo breviter refert. Quæ etiam historia tota, graphicè & ad vivum coloribus adumbrata, conspicitur ibidem in conclavi aliquo senatorio. Nos superius rem universam ordine ac distinctè suo loco enarravimus. Alterum ad sinistram superius est, amplum similiter ac spatiosum; unde ad populum edicta aliaque publica instrumenta placitaque indicium nola faciente, propalam denunciantur. Cetera receptacula aut Senatorum consessui, aut Consulum curiæ, aut Thesaurarijs secretarijsq; serviunt; Nisi quod Cameræ insuper, seu dicasteria verius, quatuor sint. Quorum unum, & inter præcipua est *Pupillorum Camera*: Alterum, *Assecurationis*; tertium, *Argentariorum mensa*; de quibus omnibus distinctius mox, ubi urbanæ politiæ typum ponemus. Quartum & ultimum Rostra sunt; Tribunal modò nominavi; hodie vulgò *de vierschale* nuncupant, sed minus emendate, cum rectius sit *de vierschare,* quomodo & ante posui. Est enim judiciale veluti forum ac judicum consessus, seu congregatio quatuor virorum cuneorumque; ut *schare,* pro cuneo & turba conglomerata sumatur. Quatuor enim sunt, qui judicialem consessum constituunt, iudex, actor, reus & scriba: vel, Prætor, iudex, accusator & reus. In Saxonia, & alijs nonnullis locis, ad tribunal complendum requirebatur olim Prætor cum tribus senatoribus seu scabinis: Quorum Scabinorum primus concipiebat sive adinveniebat, reliqui duo adsentiebantur. Iudex sive Prætor sententiam pronunciabat. Alij *Vier-schare* commodius reddunt, *quadriturbam* interpretando: quod quatuor illic personarum usus sit Actoris, ut dixi; rei, iudicis & ballivi. Sunt & alij qui *vier-schare dach, diem fastum* exponunt, morem Romanorum respicientes, apud quos fasti & nefasti dies. Sed à re & usupræsenti alienius illud. Est autem tribunal hoc Amstelodamensis Curiæ cancellis circumquaque ferreis perspicuum, quomodo & dryphacton fuisse

Ædificij vetustas.

Receptacula & conclavia varia.

Dicasteria seu Cameræ pupillorum, Assecurationis &c.

Rostra.
Vier-schare

fuiſſe Græcorum invenio. Athenienſes enim peculiari vocabulo *dryphacton* appellarunt cancellos eius loci, in quo ſenatus iudicabat, unde & dicterium : *cauſam ad dryphacta dicere*. Et denique, præter hæc omnia, annis ſuperioribus, Camera acceſsit, ubi rationes urbis univerſales excutiuntur tractanturque. Sed de eo, alijſque ſimilibus mox, ut innui; oportunius.


Vide Pollucē necnō Scaligerū Excerr 10. 6. ſect. 1. ad verſus Cardanum.

CAP. XII.

LIBRA.

Deque vectigalibus eiuſdem cum in urbis tum Provinciæ commodum.

CVRIÆ proximum ædificium LIBRA eſt, loco & plano & libero, ita ut aſpici atque in ambitum circumiri undiquaq; queat, collocatum. Opus affabrè, elaboratū, ex ſecto candenti lapide totum conſtans: formaq; quadratâ & magnitudine juſtâ, belliſsimaque ſymmetriâ. Parte ſuperiori periſtylia & loricæ ad ambulacri uſum factæ, haud minimam fabricę toti elegantiam conciliant; ut omittam æqualiter à parte una forinſecus aſcendentes gradus politeque fabrefactos. Sanè qui vident, etiam exteri, laudant & mirantur. Fores habet quadrifariam patentes, inque ſingulis magnas minoreſque lances, explorandis ponderibus aptatas. Structum invenio, aut ad colophonem deductum potius, anno 1566, ut & indicaſſe ſuperius memini; & addidiſſe, ea præſertim tempeſtate, prout res tunc erant, fuiſſe ſtatum urbis quam florentiſsimum, & eſſe etiamnum iſtud de quo loquimur, ædificium urbanæ ſeu luxuriæ, ſeu opulentiæ illius ævi certum monumentum.



Et juſti atq; æqui dum ponderis arbitra dicor, Divitias ſummas regioni urbique repono.

Præfectus qui eſt, *wagemagiſtrum* vulgo vocant, Latinis *libripens* eſt, *Zygoſtaten* Græci nominarunt. Vectigalia & reditus, qui in urbis totiuſq; provinciæ commodū hinc cedunt, maximi ſunt. Vrbis vectigal, *Excisa* (ſive cenſus potius eſt) cōmuniter appellatur, quotanniſq;

nisq; à publicanis certo pretio de novo redimitur. Provinciæ quod cedit, *Impostam* sive *impositionem* nominant, singulisq; semestribus elocatur quã maximo licitantibus. Vnum hoc oppidi vectigal annuum, aliquando florenorum 43800 summam excedit: eamque, summam Provinciæ quæ debetur colligiturque *Impositio* semestri uno longe superat: Nam sæpenumero, æstivis præsertim semestribus, quinquaginta florenorum millibus redimitur: hibernis verò 48300 & circiter fere. Publicanum autem vocavi, qui vectigal hoc conducit, veterum autoritate: apud quos etiam *manceps* seu *præs* appellatur, attestante his verbis Festo: *Manceps dicitur, qui quid à populo emit, conducitque, quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse, qui idem* PRÆS *dicitur, quia tam debet præstare populo, quod promisit, quam is, pro quo præs factus est.* Nobis vernaculo idiomate *Pachter* appellatur.

CAP. XIII.

DE SAGITTARIORVM HORTIS, *quos Doelen vulgo vocant, deque* ARMAMENTARIO.



HORTI Sagittariorum sequuntur, quos esse in urbe tres constat. Duo in unum quasi combinati junctique sunt, adiectis separatim ædificijs atque ambulacris satis splendidis: Quorum in altero ballistarum usus & exercitium viget; in altero, arcuum, quos chalybeos dicimus, collocatus uterque circa plateam Vitellinam lateris novi; & duplex utrinque exitus atque introitus singulis est: alius enim secundum plateam ipsam; & alius iuxta Burgwallum, quem *vullers Grafft* nominant, posticus est. Tertius ab his & novissimus HORTVS à latere antiquo, manuariorum sclopòrum tormentorumque, quibus Plumbeæ pilulæ sparguntur, collegium & veluti gymnasium habetur. Vnde & *Koluvers* sive *Cluveniers Doele* appellatum olim ædificium ipsum; non ut hodie fere effertur, *Claveniers Doele*, quasi ab unge, aut uncino, derivatum nomen sit, quo & respexisse vedetur qui unguem, alitis nescio cuius, frontispicio inferioris januæ inscribi atque effigiari curarunt. Certe *Koluvre*, colubrina bombarda, seu sclopus, maioribus nostris dicebatur, qui & *Coluvrier*, bombardarium, funditorem, libratorem, pyrobolarium intellexerunt, ex quo machina ea esse in usu apud nos cæpit, ut patet ex Chronico Hollandiæ veteri, in quo sæpe occurrit; & præcipue ubi de Philippo Burgundo loquitur, legas: *Zy verzagen hen van Bussen, Boogen, Koloveren ende andere instrumenten* &c.

Cloveniers Doele, & nominis ratio.

Porro in singulis hisce publicis ædificijs præter amænissima viridaria, triclinia insuper sunt & cænacula excipiendis hospitibus publicisque convivijs in honorem vel legatorum aliorumve magnatum virorum apparandis destinata. Quorum & interiores parietes exornantur passim, atque investiuntur præclaris artificum operibus ac tabulis, in quibus civium collegiorumq; corpora, cuiusmodi floruere olim armaturâ, habitu, vultu veris imaginibus redduntur: Idque ad nostra hæc tempora continuatis operis. Adhibitique schematibus hisce efformandis haud infimi pictorum, sed qui lumina tunc artis habiti; & ex quibus proficere hodieque dicuntur artifices. Sic & heri, aut nuper, qui nova opera novasque tabulas addiderunt inter principes & operis quoque absolutissimi, ut plurimum, censentur. Spectanturque hæc singula ab omnibus cum incolis tum peregrinis avidè, & omnium quidem sed intelligentium præcipuo miraculo.

De triclinijs & viridarijs.

Tricliniorũ pictura & tabulæ antiquæ.

Iam ad ipsas *Sagittariorum classes* quod attinet, quas vernaculo idiomate *Schutterien* nominamus, operæ est intelligere præcipuum eorum munus & usum fuisse & esse etiamnũ ad comprimendam seditionem, ad arcendam hostilem incursionem. Quin & huc adhibebantur, ut si ornandus esset principis adventus, vel novi inauguratio decoranda, tum verò honoratæ custodiæ ac solennis vicem præstabant. Et olim quidem pro insigni vestis eorum bicolor erat, adiecto argenteo emblemate: qui vestis honos à plebe eosdem secernebat. Vestitum nunc fere obsolevisse videmus, manente alicubi emblematis memoria. Diximus supra, ubi de rebus Caroli ad Novesium ageremus, simile quid accidisse: Nam & Amstelodamenses inter reliquos auxiliares, qui eò tunc ex oppidis Hollandiæ accesserant, quasi evocati milites, vexilla itemque vestem ità signatam coloratámque habuere, ut oppidi cuiusnam esset quisque, ex insigni ac habitu facillime intelligeretur.

Sagittariorum classes seu corpora.

Cæterum explicatione indiget vocabulum ipsum, quod hodie vulgata loquendi consuetudine

consuetudinem receptum est ut hortos istos, *Doelen* appellemus. Si veram instituti hujus originem videamus, quod ad militiam, & urbium defensionem, præcipue spectasse apparet, ut nimirum nullus in hæc collegia reciperetur, nisi qui hoc vel illo teli genere, vel denique sclopeto, ut indicavimus, exercitus, patriæ aliquando usui esse posset; videtur *Doel* agger seu aggesta illa terra interpretanda propriè, in quam sagittarij ac sclopetarij eiaculantur sagittas & sphærulas illas plumbeas. Vnde & *Doel-pinne* ipse scopus dicitur, ad quem collimatur. Alias *Dolen* errare, & à via deflectere eodem idiomate nostro notat, ut huc respexisse videantur, qui hisdem in hortis labyrinthos, seu, ut nos appellamus *Doolhoven*, efficiunt, qui multis itinerum ambagibus occursus ac recursus inexplicabiles continent. Quo in genere cum plurimum luxuriasse veteres mirandis aliquot operibus ostendat Plinius, non abs re erit unum hic addere, sed verbis Varronis, ab eodem Plinio citatis, super Hetruriæ Regis Porsennæ sepulchro, ubi & Labyrinthus eiusmodi additus fuerit: *Sepultus est*, inquit, *sub urbe Clusio, in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: singula latera pedum lata tricenum, alta quinquagenum: inque basi quadrata intus Labyrinthum inextricabilem: quo si quis improperet sine glomere lini, exitum invenire nequeat. Supra id quadratum pyramides stant quinque quatuor in angulis, in medio una, in imo latæ pedum septuagenum quinum; altæ centum quinquagenum: ità fastigiatæ, ut in summo Orbis æneus & petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pendeant excepta catenis tintinabula, quæ vento agitata, longe sonitus referant, ut Dodonæ olim factum. Supra quem orbem, quatuor pyramides insuper, singulæ extant altæ pedum centenum, supra quas uno solo quinque pyramides*, quarum altitudinem Varronem puduisse adijcere ait Plinius, detestatum fortasse Regum eorũ ambitionem, qui tam vesana dementia quæsisse gloriam ac regni fatigasse vires videntur, impendio nulli profuturo. Maronis quoque illud *Hic labor ille Domus, & inextricabilis error*, de ijsdem Labyrinthis capiendum; Sicuti & istud Ovidij; *Cum tibi, ne victus tecto morerere recurvo, Quæ regeret passus, pro duce fila dedi.* Item Metamorph. 8. ubi Dædalei Labyrinthi ita meminit: *Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis, Ponit opus, turbatque notas, & lumina flexu Ducit in errorem, variarum ambage viarum.*

Vocis Doelen etymologia.

lib. 36. 13.

Horto denique, qui à latere antiquo est, quemque Sclopetariorum esse diximus turris ad Amstelæ marginem, quà Trajectum spectat, illustri ac luculento fastigio jam olim addita est, eaque per porticum annexa ædificio reliquo, inscriptionem præfert, à parte turris Boreali, saxo incisam, eiuscemodi: SVIICHT VTRECHT: De qua, quod ad eius, cum vetustatem, tum occasionem attinet, quantum eruere potuimus, satis superque dixisse jam ante nos puto.

Inscriptio turri addita.

lib. 1. pag. 24.

Priores Horti, qui ad latus novum, intermedio à parte Burchwalli loco collocatum nunc ARMAMENTARIVM habent, quod olim in veteri latere eas ædes occupavit, quæ jam Indicæ Societati patent. Nec de eo quod dicam nunc amplius habeo.

ARMAMENTARIVM.

CAP. XIIII.

SOCIETATIS INDICANÆ DOMVS.

Deque Murrhinis veterum & Porcellanis nonnihil additum, haud protritum.

INdicanæ SOCIETATIS Domus, quod Armamentarium fuisse olim, jam dixi, à parte lateris antiqui est, prope actam sive caietam, quam ab eventu Indicam nominant; quod ibi lembi sive lintres, qui Indicana maiora navigia exonerant aromataq; omnia ac merces exoticas in Domum eam, veluti in horreum quoddam, inferunt, stationem habeāt. Ædificium ipsum oblongum spatiosumque est, altitudine iusta: habetq; in quo aeri ac dio exponi atque insolari piper, myristicæque nuces aliaque eiusmodi, ubi facto hoc opus fuerit, commodè possint. Addita nuperrimè est, à parte introitus, area & ædes novæ, magnificis adornatæ atrijs ac conclavibus alijsque receptibus in usum scribarum aliorumque, qui à secretis societati sunt. Picturæ passim exoticæ & præsertim in ipso maiori Præsidum triclinio, novi spectantur habitus ædificiaque transmarina cujusmodi præcipue Chinensium Regis aula, multiplicibus mæandris atque admissionibus, priusquam ad caput ipsumque regiæ sedis locum veniatur, interstincta. Conducit hanc domum ab urbis magistratu Societas pretio florenorum 3200, annuo. Mercium cæterarumque pretiosarum rerum, quæ in modum marini æstus accedunt receduntq;, dum

advehuntur aliæ aliæque vicissim distrahuntur, mentionem hic facere supervacaneum puto. Vnum tamen, quod ad vasa illa porcellana attinet, omitti non potest, magnam nimirum eorum copiam ac proventum intulisse provincijs commercia ista Orientis: ut de ijs verè, quod de victoria illa Mithridatica Pompei magni Plinius olim, usurpari possit, ea præcipuè ad margaritas gemmasque & transmarina ista utensilia mores inclinasse. Quin & eadem illa Magni victoria sicuti primum in urbem murrhina induxerit, primusque Pompeius sex pocula ex eo triumpho Iovi Capitolino dicaverit; sic & de Porcellanis, quorũ indies magis magisq; excrescit luxus, æstimandũ, ea his demum ex navigationibus apud nostrates ad usum pæne popularem increbuisse: ut vel eo nostrates nunc antiquis illis Romanis beatiores cẽsendi; quibus adeò hæc raro adeòq; adhuc chara habita, ut non pocula modò ex hoc genere numinibus dicarint, ut retulit Plinius, sed unica etiam trulla murrhina trecentis sestertijs emta fuerit: Quæ ut supputant aliqui, valuerint libras argenti nonaginta. Alij summam longe maiorem faciunt. Sed an eadem illa veterum murrhina cum nostris Porcellanis fuerint, quæri video. Scaliger Pater exercit. adversus Cardanum, omnino fuisse eadem contendit: Ego, quantum ex Plinij verbis colligam, & similitudinem aliquam, & dissimilitudinem reperio. Idque ut evidentius pateat primum Plinij verba, & cõficiundi rationem, mox aliorum ponã. Ait Plinius: *Oriens murrhina mittit. Inveniuntur enim ibi pluribus in locis, nec insignibus maximè Parthici regni: præcipuè tamen in Carmania, humorem putant sub terra calore densari. Amplitudine nusquam parvos excedunt abacos, crassitudine rara, quanta dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitorque verius quam splendor. Sed in pretio varietas colorum, subinde circumagentibus se maculis in purpuram, candoremque, & tertium ex utroque ignescentem, velut per transitum coloris purpura rubescente, aut lacte candescente. Sunt qui maximè in ijs laudent extremitates, & quosdam colorum repercussus, quales in cælesti arcu spectantur. His maculæ pingues placent: transflucere quidquam aut pallere vitium est. Item sales verrucæque non eminentes: sed ut in corpore etiam plerumque sessiles. Aliqua & in odore commendatio.* Hæc Plinius. Quæ ut cum hodiernis Chinensium Porcellanis rite comparari possint, apponam quid de ijs eorumque materia, operisque totius modo commemorant recentiores: Et primò quidem Hier. Cardani ac Iulij Cæsaris Scaligeri sententia in hoc consentire videtur, Murrhina illa veterum fuisse quæ nunc dicuntur Porcellana. Scaliger insuper de formandi ratione hæc addit: *Fiunt hunc ad modum: Ovorum putamina & marinorum conchas umbilicorum (Porcellanæ species horum sunt, unde & nomen) in tenuissimum redigunt pollinem, quem aqua subactum vasorum facie informant; subtusque terram condunt: centesimo anno pro perfecto effodiunt, ac venale opus habent. Quod eorum vitæ superest, hæredi testamento transscribunt. Quotannis conficiunt atque infodiunt, referuntque tempora in commentarios, ex quibus eruunt matura. Ex provincia China optima advehuntur. Alij putant non vasa, sed materiæ condi massam; qua extracta conflant vasa. Horum pretia cum & opes, & patientiam, postremo etiam fidem excederent, novo ingenio tam bellè imitati sunt in insulis Maioricis; ut sæpe difficile iudicatu sint, utra vera, utrave adulterina. Profecto nec forma, nec specie, nec nitore cedunt: aliquando etiam superant elegantia. In Italia nunc audio tam perfecta venire, ut cuivis cassitero, quod ibi vocatur Peltrum, anteferantur. Ea corrupta una litera, à Balearibus, ubi dicuntur excellentissima fieri, Maiolica nominantur.* Recentiores alij, & nostro præsertim ævo Linscotanus, alia fere adferunt. Tradunt enim duum generum apud Chinenses porcellana reperiri: id est crassioris & subtilioris materiæ. Crassioris materiæ quæ sunt, ad Indos passim, Hispanos, Lusitanos atque alios transferri. Subtiliora intra regnum servari; eaq; adeò exquisitæ ac defecatæ materiæ esse, ut cristallina omnia superent: cõfici verò in interioris Regni Chinensis partibus, ex peculiari quapiam terra, dura admodum ac solida; quæ in frusta ac partes minutissimas contusa, aqua postmodum in alveis quibusdam è lapide cavatis commaceratur ac subigitur: ubi verò satis emacerata sæpiusque in aqua subacta versataque fuerit, ex ea, quæ proximè supernatat materia, subtiliora atque elaboratiora fieri vasa, ex reliqua quæ ad fundum subsidit, minus minusque subtilia: & mox ita efformata picturis exornari ac denique in fornace, ad eam, quam videmus, duritiem excoqui.

Lib. 37. cap. 2.

An Murrhina veterũ cum Porcellanis eadem fuerint

Lib. 37. cap. 2.

Excercit. 92.

Collatio sententiarum de murrhinis & porcellanis.

Quibus in locis disparatò allatis, dissensum aliquem consensumque deprehendimus. At primò Plinius murrhina Orientem mittere, & maxime in Parthici regni ac Carmaniæ finibus inveniri: ut intelligamus eò fortasse ex Indis proximis apportari solere. Est enim Carmania, hodie forte Chirman, Persico sinui, qui in Oceanum Indiæ exit, circa Ormum contermina. Quod deinde humorem inquit sub terra densari; cum Scaligero cõveniat, qui pollinem contusorum conchilium subtus terram condi dixit: quamvis Linscotanus

ſcotanus, non conchilia, nec humorem, ſed terram durisſimam nominet, nec ſub terra, ſed in alveis ac vaſis lapideis ſubigi fateatur. De crasſitudine autē, quod tertio exinde Plinius addit, ab hodiernis Porcellanis haud multū diſsidet: ſicuti nec illud de ſplendore: nā revera nō ſplendor aliquis trāſlucens Porcellanis ineſt, ſed nitor tantū, & ille lacteus, vel ut Plinius loquitur lactis cādeſcentis. Reliqui, quos nominat Plinius colores in hodiernis Porcellanis non conſpiciuntur, cū ſolum, quod ſciam, cæruleū, intermixtū candori, habeant. Et quarto, ut patuit ex verbis eiuſdem Plinij tranſlucere quidquam aut pallere in murrhinis vitij loco antiquitus habitum; quod pugnet cum eorum relatione, qui ſubtilia illa Porcellana criſtallinis vitris ſubtiliora faciunt: Quorum tamen ego Amſtelodami inter alia Porcellana ſpecimen aliquod vidiſſe memini; & oſtēduntur etiamnum ibidem; ut haud videatur rigidè verum, non exportari hoc genus è regno Chinenſium ſolere, quod referunt. Et denique de odore, quod ultimo loco Plinius ponit, non video quò referam: & evertit pæne quidquid parallelum ac ſimile cum noſtris habere veterum murrhina jam indicavi; cum nullus Porcellanis illis, quæ apud nos væneunt, odor inſit; nec ulla ex odore accedat commendatio. De Maioricis porro ſive Maiolicis, quæ poſtmodum adfert Scaliger, dubiæ fidei exiſtimo. Hieronymus Mercurialis, clarisſimus noſtro ſeculo apud Piſenſes in Italia medicus, libro primo de Venenis ſuper ijſdem hæc habet: *Si haberi poſſint vaſa illa murrhina à Latinis vocata, à noſtris porcellana dicta, optima ſunt, quia facta ſunt cum aceto, & corticibus ovorum, ut iure exiſtimentur adverſus venena magnam vim habere.* Et Scaliger denique ait hæc vaſa quantum iuſcula intus occuparint, tantum calefieri: vicinas partes non calefieri. *Exercit. 92*

ADDITIVNCVLA.

Ad Caput ſuperius, cum explicatione loci apud Evangeliſtam Marcum, de vino murrhato.



ADDI ad diſtinctionem, ſeu lucem potius, eorum, quæ de murrhinis veterum, noſtriſque Porcellanis jam retulimus, fuiſſe quoque antiquitus potionis genus, quod MVRRHINA appellaretur: idque inter dulcia habitum, ut patet ex Plauti illo loco in Pſeudolo:

Quod ſi opus, ut dulce promat,
Indidem, ecquid habet? rogas?
Murrhinam, paſſum, defrutum &c.

Cui & conſonat id quod A. Gellius commemorat mulieres olim Romæ atque in Latio ætatem abſtemias egiſſe, hoc eſt, vino ſemper, quod temetum priſca lingua appellabatur, abſtinuiſſe: bibere autem vini loco ſolitas loream, paſſum, murrhinam: eaq; potu dulcia exſtitiſſe. Nonius eandem murrhinam *confectam potionem* appellat: Et videatur haud aliud potus hoc genus fuiſſe, quam quod Græci cyceonem dixerunt, Latini cinnum ſive cynum, ut habet Arnobius: *Sitienti ardori oggerit potionem cynum, cyceonem quam nuncupat Græcia.* Adeò ut idem etiam Seneca fortasſis intellexerit Epiſtola 95, ubi ait, *neſciſſe antiquos medicos dare cynum ſæpius:* quamvis *ſcyphum* reponendum putarit Pincianus, cum vulgo *cibum* habeatur. Sed in manuſcriptis codicibus nonnullis *civium* legitur, quod proximè accedit ad *cynum* ſive *cinnum*. Plinius verò quod alicubi ait vinum murrhæ odore condiri ſolitum, diſtinguendum ab eâ potione exiſtimo, quæ *murrhina* ſimpliciter appellata, & quam fæminis antiquitus bibere permiſſum erat, cum vinum ſevere ijſdem ininhibitum eſſet ut retulimus ex Gellio. Quin & Varro quoque diſertè diſtinxit, ubi in anthropopoli apud Nonium ita loquitur: *Non modò vinum dare, ſed etiam (ut Plautus ait) murrhinam, paſſum, defrutum.* Murrhatum autem vinum illud quod Plinius intellexit, lautisſimum fuit ut ipſemet fatetur; & expreſſerit quoque id ipſum Evangeliſta Marcus; ubi ait Chriſto antequam cruci affigeretur traditum bibere murrhatum vinum: cum tamen Hieronymus Mercurialis, Variarum lectionum libro quinto, murrhatum illud vinum Chriſto præbitum, fuiſſe putet amarisſimum atque inſuaviſſimum, ex aceto nimirum ac felle cōſtans. Sed fefellerit eruditisſimum alias Mercurialem, quod murrhatum hoc vinum exiſtimarit Chriſto propinatum jam cruci affixo; tunc enim, non reliqui modò Evangeliſtæ ſed ipſe quoque Marcus teſtatur, ſpongiam aceto impletam ad potandum Chriſto datam. At murrhatum hoc vinum jam crucifigendo non crucifixo exhibitum, eiuſq; nec Lucas nec Iohannes meminerunt, diſertè interim Marcus, ut dixi, recitat.

Lib. 10. cap 23. *Lib. 5. adverſus Gentes.* *Lib. 14. cap. 13.* *Marcus Evang. cap 15. verſ. 23* *verſ. 36.*

Math.cap. 27.vers.34 recitat: Mathæus etiam commeminit, sed murrhatum vinum non nominat, circumscribit tamen cum ità loquatur: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum*, ut habet interpres vetus, nō, ut vulgo, *acetum cum felle mistum*: cum in Græcis nonnullis exemplaribus, non ὄξος, sed οἶνον reperiatur, ut monet Beza. Qui & hoc addit: etiamsi ὄξος scripsisse Evangelistam dicamus, non significaverit tamen acetum, quod vocamus, sed vinum conditum: neque χολῆς voce, *fel* intellexerit, sed amarorem, cujusmodi est murrhæ genuinæ leniter, ut inquit Plinius, amaræ. Hæc Beza in Annotationibus ad Mathæum: vide etiam eundem ad Marcum & Iohannem. Et addas licet huiusmodi condita vina à voce ὄξος, qua usus Evangelista Mathæus, Græcos medicos *Oxycrata* & *oxymel* appellasse, & myrrham illam, quâ odoratiora redderētur eadem vina *stacten* dixisse. Plinius à reliquis speciebus eam distinguēs *odorariam myrrham* nominat lib. 12 cap. 16. Theophrastus stacten ait laticem esse ex cinnamomo aut myrrha incisâ sudantem. Vnde & Plautus Curculione; *Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa.*

Vt ergo concludamus, dicendum, cum Plinius, ut demonstratum iam superiori capite, in murrhinis vasis odorem agnoverit, aut aliud id genus vasorum fuisse: aut eiusmodi intellexisse forte condita pocula. Quamvis & Martialis ex murrhinis istis non odorem modò, ut Plinius, sed saporem quoque conciliatum vino videatur tradere in lemmate *Murrhina:*

Si calidum potas, ardenti murrha falerno
Convenit, & melior fit sapor ille mero.

Quo loci, ut obiter hoc addam, *ardens falernum* Martialis extulerit ad formam illius Horatij. *Quis puer ocius Restinguet ardentis falerni Pocula prætereunte lympha.* Sed jam ad reliqua pergamus.

CAP. XV.

Aula Principis & Admiralitatis Collegium.



AVla, quæ nunc est Principis, D. Cæciliæ cænobium olim fuisse, superius innuisse memini: Cum autem rarissimè, & non nisi destinatò, Amstelodamum accedat Princeps, Admiralitatis, ut vocant, Collegium cōsessum hic conventusque suos perpetuos habet. Huc Frisij, Transisalani, Zelandi nationesque singulæ delectos mittunt: qui maris & maritimorum vectigalium curam agunt, mandata habentes ab Ordinibus fœderatis; universalem interim Præfecturam obtinente Principe ipso Mauritio. Habet hæc aula conclavia aliaque triclinia satis magnifica ac ampla: Area in medio est quadrata tessellatis lapidibus æqualiter constrata. Ad sinistram introeunti porticus occurrit in ambulacri usum Principisque honorem à Senatu curata sub annum 1594. cum urbem tunc læte introiret. Quod etiam inscriptio seu carmen loquitur, hunc in modum additum.

Quod patribus, Marti Auraico, Batavisque catervis
Mentem, animum, robur præstas, quod & hoste fugato
Aut cæso, donas urbes arcesque potiri,
Hæc tibi, Christe, dicat votiva trophæa Senatus.

Hic Principis in urbem introitus, magna civium totiusque senatus festivitate magnaque tum gratulatione exceptus fuit. Nam, recuperata eo anno Groningensium civitate unà cum Omlandiæ universæ territorio, reformatoque in melius reipublicæ statu in Hollandiam regressus Princeps ab urbibus passim obvijs honorificè salutatus est. Amstelodamum ubi appropinquasset multis scaphis navigijsque lusorijs gratanter exceptus, à magistratu magnificentissimè in urbem introducitur. Erectum iuxta forum erat theatrum à Rhetorum camera, in quo mutis personis κωφοῖς προσώποις licebat dicere, exhibitus Rex David, in manu habens caput Goliathi; filiaq; Sion lyris, citharis, testudinibus, cymbalis alijsque instrumentis musicis suave præcinentes. Sequebatur Davidem exercitus Israel. In summitate Theatri depicta erant Nassaviorum insignia, & sub insignibus arbor malis aurantijs onerata, cum hoc symbolo: *tandem fit surculus arbor*. Hæc in foro.

Progressus

Progressus deinde Princeps, & Aulæ paulatim appropinquans, triumphalem invenit arcum honori ac nomini Nassavico consecratum: in cuius vertice Neptunus cum Tritonibus dominabatur. Inferius exhibebatur Claudius Civilis, pedibus suis aliquot premens Romanos: inter quos unus altero genu innixus erepere ac vindicare se velle videbatur; sed viribus destitutus non potuit: Inscriptio, quæ Belgicis rhythmis subjecta legebatur, hunc propemodum sensum habuit:

CIVILIS *veluti Batavorum finibus olim*
CLAVDIVS *eiecit Romam, populumque superbum:*
Principe MAVRITIO *sic nunc Hispana tyrannis*
Pellitur: ô utinam libertas Principe eodem,
Integra mox totis Belgarum floreat oris.

CAP. XVI.

RHETORVM SCHOLA seu Camera. Vulgo Rhederijcker Kamer, itemque Chirurgorum Auditorium.

PRincipis aulæ è regione est D. Margaretæ ædes in Nessæ vico, ubi novum seu minus nunc esse Macellum, in parte ædis inferiori, jam ante monui. In superiori verò tabulato Rhetorum scholam seu Cameram haberi addendum hic est, vel ea occasione, quod rhetorum nobis jam modò mentio inciderit; Estque duplex ea ac distincta Camera, Rhetorum nimirum indigenarum, & Brabantinorum, Eorum videlicet qui sedem hic atque habitationem jam pridem fixêre. Sunt autem hi Rhetores viri amæni & poetici spiritus, qui lingua vernacula aut prorsa aut vorsa oratione comædias, tragædias, subindeque & mutas, ut diximus, personas, res & facta maiorum notantes magna spectantium voluptate, exhibent. Nec alios fuisse fortasse maiorum nostrorum, seu veterum Gallorum Belgarumq;, Bardos verisimile est; cum & illi casus ac facta illustrium virorum populo similiter, carminibus ac rhythmis alijsque cantionibus ob oculos ponerent; quemadmodum id Lucanus his versibus ad memoriam posterorum prodidit:

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis ævum;
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Est & in eodem D. Margaretæ supremo tabulato Auditorium, seu locus Chirurgiæ studiosis relictus, in quo ad lectiones, sectiones aliaque similia exercitia tractanda chirurgi præcipuè urbis, stata hora statisque diebus conveniunt, præsente aliquo hiatricæ artis viro perito & ad hoc, magistratus assensu, delecto, qui Doctoris atque anatomici, ubi usus postulaverit, officio ac munere perfungitur. *Chirurgorũ Auditoriũ.*

Et præter hæc, etiam Gladiatores hoc loco exercitia sua, & veluti palæstram habent. *Gladiatorũ palæstra.*

CAP. XVII.

FORA urbis præcipua, itemque STATIONES *navium.*

DE FORIS priusquam ordine dicam; scire est operæpretium, Fori vocabulum multifariam apud veteres usurpatum: Aut enim forum negotiationis conventus ac locus, ubi res certæ vænibant, dicebatur, ut forum Boarium, olitorium, ab earum videlicet rerum nominibus, quæ in foris, ut plurimum, prostabant: aut etiam iudicij consessus habebatur, in quo jus exerceri, concionesque haberi solent: ac deniq; forum agere Romani dicebant, cum is, qui provinciæ præesset, civitates cóvocaret, deq; earundem controversijs cognosceret.

Forum Dammense Hic de primo genere loqui instituimus, cuiusmodi fora per urbem universam plurima sunt. Præcipuum & frequentissimum est, amplo vastoque spatio capacissimum omnium, quod, juxta Curiam & Libram, *de Dam* vulgò nuncupatur; Quod aggeris atque interseptimenti vicem Amstelæ ac Yæ fluentis pro parte præstet. Alias à Casei Butyrique mercatu, qui semel in hebdomada eo loci celebratur, *de Marckt* appellamus. Et tunc mercantium vendentiumque turba totum quasi undare videtur. Estque nihilominus præ cæteris, etiam extra mercatus istius tempus, ornatissimum, varijsque hominum studijs, quale olim Romæ Romanum illud, calefit ac frequentatur. De quo elegantes Plauti versus exstant, obiter hoc præsertim loco repetendi: cum in ijs Fori istius Romani ita meminit, ut simul præcipua in eo loca, & quæ in singulis hominum studia fuerint, nostris moribus foroq; haud dissimiliter indicetur, ubi ait:

Curcul. Act. 4. Scen. 1.

Qui periurum convenire vult hominem, mitto in comitium.
Qui mendacem & gloriosum apud Cluacinæ sacrum.
Dites damnosos maritos sub Basilica quærito.
Symbolorum collatores apud forum piscarium.
In foro infimo boni homines, atque dites ambulant.
In medio propter canalem, ibi ostentatores meri:
Confidentes, garruli & malevoli supra lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam;
Et qui ipsi sat habent, quod ipsis possit verè dicier:
Sub veteribus, ibi sunt qui dant, quique accipiunt fænore.
Pone ædem Castoris, ibi sunt, subito quibus credas malè.
In Tusco vico, ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.
In velabro vel pistorem, vel lanium, vel aruspicem, &c.

Cap. Act. 4. 5. 2. Quorum in tertio versu eos *sub Basilica, subbasilicanos* alibi appellat idem Plautus, cum inquit, *Quorum odos subbasilicanos omnes abigit in forum.* Dicti autem *subbasilicani*, ut *subrostrani* aut *subrostrarij* Cælio ad Ciceronem: *Te ad IX Kal. Iun. subrostrani (quod illorum capiti sit) dissiparant perijsse; ita ut in urbe ac foro toto maximus rumor fuerit.* Idque festivè sanè à *Lib. 8. Ep. 1.* Cælio prolatum. Sub rostris enim vel spaciari vel desidiabula sua habere consuebant homines Murciæ ac Vacunæ sacris operati: rumorũ alienorum aucupes, sive architectones potius. Vnde & hoc patet, varia fuisse foro isti Romano contermina loca, ut Rostra, Basilicas, Templa. Quæ & nostro huic Amstelodamensi foro accommodari haud difficulter possint. Vnum est, in quo penitus discrepamus; quod columnas foris suis interposuerint antiqui & ambitum porticibus atque ambulationibus clauserint, ut habent *Lib. 5. cap. 1.* verba Vitruvij: *Græci in quadrato amplissimis & duplicibus porticibus fora constituunt, crebrisq; columnis, & lapideis aut marmoreis epistylys adornant, & supra ambulationes in contignationibus faciunt.* idemque in Italiæ etiam urbibus fieri consuevisse addit; nisi quod non quadrata æqualiter, sed oblonga magis & spatiosiora ibi fierent; & columnæ quoque rariores magisque distantes; ob munera, quæ in foris subinde dari solent. Adeò ut foris istis nunc Bursæ nostrates similes propemodum habendæ.

Porrò Dammensi huic foro præter Dammeraci alveum, compita platearum undecim correspondent. Quorum duo ex Olitoria platea lateris antiqui; Et unum ex Burchwallo, progreditur, in quo navium olim traiectensium fuit statio, nunc Bursa est. Octo reliqua à parte novi lateris diversis huc vijs feruntur. Eminent inter cetera *Platea Vitellina*, & *Aqua* dicta, cum *Aggere novo & vico*, quod stabulum seu statio hactenus equorum fuit, qui sarcinis merciumq; fascibus huc illuc curriculo deportandis inserviunt: Offertque se ad exitum eiusdem vici, caputque paulatim cælo attollit Basilicæ sive Bursæ nova fabrica, ingenti mole, & suo mox loco dicenda.

Forum Piscarium. Huic proximum est *Piscarium forum*, quod ad Boream cataractæ Dammensi impositum maximum spatium occupat. Quadrifariam ad idem accessus patet, præterquam quod lembis piscatorijs, undiquaque pisces advehentibus, à parte Boreali bifida ac patente via adnavigetur. Locus ipse quadratus est, apte circumquaque dispositis eum in modum sub dio tabernis trapezisque, ut ab imbre ac pluvia tuti perpetuò institores sint. Exstant in Archivis urbis Senatoriæ literæ piscinarijs institoribus, seu, ut tunc appellabant, D. Petri contribulibus, anno 1514 indultæ, in quibus, præter alia, decretum invenio, ut, ex bove vel bucula intra urbem mactatis, triens solveretur eorumdem institorum

torum sodalitati: Quæ vicissim ex eadem contributione teneretur paratum semper cōductumque habere lintrem lato ac pando alveo excipiendis deportandisque cum Piscariæ, tum Macelli, in Yam, aut Amstelam similemve in locum, pisculentis alijsque purgaminibus. Et addunt eædem literæ, urbi interea fas atque integrum fore, si quid ea parte delinqueretur ex salario lintrarij id resarcire, ut vel eo quoque maiorum spectetur severa ac vigilans parsimonia.

Iam si velim, postquam huc progressa oratio est, fori huius delicias omnes recensere, longum fiat. Neque enim opsophagῶν (quo nomine insigniti olim qui piscibus delectarentur) convitiū in nostrates distringi cupiam, aut Romanæ luxuriæ nota eosdem inuri, quam nō veritus fuit attingere Cato, quando pluris venire Romæ piscem, quàm bovem quereretur; propterea quod piscibus luxum metirentur, ut inter ceteros Asinius Celer, referente Macrobio, mullum piscem octo millibus nummum emerit. Cui & attestatur ganeonum proverbium, qui, se mutuò ad indulgendum commessationi provocantes, dictitare sobebant; *σήμερον ἀκτάσωμεν*, quod est, ut verbum verbo accommodemus, *hodiè amænemus*. Iunius vertere maluit, *hodie littorisemus*. At *amænare* verbum apud Diomedem est, & Cyprianus, *oculos amænare*, dixit; tum & Glossario, *amæna, αἱ ἀκταί* sunt. Et Tacitus, *amæna littorum* extulit. Breviter captiva illius seculi gula mari quodammodo tota servijt, adeò ut hinc Romanos illos nobilissimos principes Lucullum, Philippum, Hortensium, Cicero *piscinarios* appellarit; Et Varro alijq; eandem ob causam passim eius ævi vallatam ut cum Cæcilio loquar, gulam traduxerint; dum ad urbis vivaria abusque Siculo freto, quod Rhegium à Messana dispescit, murenæ accerserentur; Acipenser Rhodo; è lacu Lucrino conchylia; è Benaco anguillæ; Alosæ & lupi è Tiberi; è Pessinunte asselli. Quin & Tiberio Claudio principe, Optatus, ut habet Plinius vel ut Macrobius Octavius classis præfectus, sciens scarum Italicis littoribus adeò ignotum, ut nec nomen Latium eius piscis extaret, incredibilem Scarorum multitudinem vivarijs navibus eo abusque Carpathio mari advectam inter Hostiam & Campaniæ littus in mare sparsit, miroque ac novo exemplo pisces in mari, quasi in terra fruges aliquas, disseminavit: Idemque, tanquam summa in hoc utilitatis publicæ verteretur, quinquennio dedit operam, ut, si quis inter alios pisces scarum forte cepisset, incolumem confestim & inviolatum mari redderet. Nec id modò, sed & Lucullus, exciso etiam monte juxta Neapolin, vivarium maiore impendio, quam villam ædificavit, Euripum & maria admittendo. Quæ aliaque veterum circa pisces studia tolerabilia fortasse fuissent, si maria sua & lacus novo & peregrino piscium fœtu locupletare, non autem ingluviem hoc modò satiare atque instrumenta luxuriæ parare studuissent. Sed ita res habet, vile censetur quod licet, & obviam patet.

Macrob. lib, 2. cap. 12.

Plinius lib. 9. cap. 17.

Ultimis ab oris
Attractus scarus, atque arata syrtis,
Si quid naufragio dedit probatur.
Mullus jam gravis est; amica vincit
Uxorem; Rosa cinnamum veretur.
Quidquid quæritur, optimum videtur.

At nostrum hoc forum parabilibus istis, & aperto atque obvio ex mari, amne, lacu deportatis prædis instructum visitur. Non scarus, non acipenser, non mullus desunt, sed pretio facili, & quod domini patrimonium neutiquam mergat. Plinius, enumerata aquatilium dote, indicare aggressus est per tot maria tam vasta, & tot millibus passuum terræ infusa, extraque circundata mensura pæne ipsius mundi, quæ & quot essent marina animalia, computu facto, centum & septuaginta omnino generum statuit. Verum idem in hoc si forum procederet multa haud dubio calculo adhuc suo deesse comperiretur. Serviunt huic panegyri plurima actuariarium navium vela, quæ solum Austrinum sinum peragrant piscesque retibus venantur. Sunt hæ lato utero alvoque panda: & medio in fundo per quadrum distincto foraminibus multis atque orbicularibus pertusæ, ut vivarium piscibus captis præstent, Vulgo Aquarias has naves, sive *Waterschepen*, indigetamus. Macrobuis, ubi de Scaris superius loqueremur, eleganti formatione *vivaria navigia* videtur appellasse. Scaros enim è Carpathio mari in Italica littora *vivarijs navibus* advectos retulit: quamvis & nostris quoque piscatoribus & illis, quas diximus, maioribus aquarijs navibus, præter istud in meditullio efformatum vivarium, in usu sunt, insuper ad formam lenunculi fabrefactæ quædam minusculæ sed intectæ circumquaque ac leviter

lib. 32. cap. 11.

Waterschepen vivaria Navigia.

viter perforatæ naviculæ addito saltem operculo, quo & condi promique, cum visum esset, pisciculi possint. Hæ veluti cymbulæ vice funiculo constrictæ actuariam, sive aquariam maiorem, pone sequuntur: Atque ita fere piscium universa genera, quæ Austrinum mare & in id illabentia flumina edunt, affatim huc indies deferuntur; Cuiusmodi sunt anguillæ decumanæ, alburni, lucij, lupi, passeres, percæ, porcelli, Trutæ, carpiones, Prasimi, auratæ, mugiles, cobites apuæ, aliaq; similia: & anni stato præsertim tempore magno proventu eodem ex sinu harengæ capiuntur, haleces alias vocant, qui recenter capti leviter sale inspersi in fumarijs, quas *bangas* dicunt, in oppidis vicinis ut Hardevici, Enchusæ atque alibi, indurantur, ubi vel auri vel æris potius micantis colorem ducunt: unde & soretum sive *harangsore* voce veteri Normannica seu Danica, id genus hodie Galli nuncupant; Quod subrufus & ad atrum accedens color ea lingua *soert*, nominatur, nos alia dialecto *swart* dicimus; Dani hodieque quicquid obfuscatum & nigrum est *soert* indigitant. Porro Mosæ atque Isalæ fluenta præter cetera, sturiones suppeditant, quos acipenseres antiqui dixerunt. Ausonius Siluri ac mitis ballanæ nomine circumlocutus est, cum Pliniano Siluro contrarium atque innocentissimum describat his versibus;

Hic tamen, hic nostra mitis ballæna Mosellæ,
Exitio procul est magnoque honor additus amni.

Hinc & Mulli eidem Ausonio Barbi, & nobis hodieque barbeli nominati proveniunt; Itemque Salmones & Fario, quem Forehel hodieque Germani appellant, Poeta idem Gallicus medium inter Salmonem & salarem facit cum inquit:

Teque inter species geminas, neutrumque & utrumque,
Qui necdum salmo, nec jam Salar, ambiguusque
Amborum medio Fario intercepte sub ævo.

Vicinus oceanus, quem rerum originem ausus est nominare Homerus, conchyliorum ostreorumque omne genus apportat, interque pisces, Raias, Rombos, sardos, scombros, soleas lingulacas, asellosque maiores, Plinio Bacchos appellatos, nobis si rectè cōjectamus, *Bolch* & *Cabbeljau*; itemque callaicas Iunio minores asellos dictos, vulgo *Schelvisch* indigitamus nos, à squamis, id est *schellen*, quibus densiuscule contectus obductusque est, ac veluti lorica munitus; eoque fit ut cum elixandus est cultro deradi ac desquamari, secus quam major asellus, debeat. Institores, qui distrahendis, cum Austrini, tum oceani maris piscibus præsunt, vix infra ducentos aut trecentos numerantur. Marinus piscis ab, ijs qui littori oceani accolunt, seorsum adfertur, cōstitutusque à magistratu est, qui per licitationis modum certum ei pisci pretium ponit; eoque facto cuique satisfacit, ipse spondetque pro emtoribus, ut expediti quam primum ad mare & lares redire peregrini isti possint. Institores verò, qui intra urbem, utpote cives agunt, licitatori vicissim cum vacat, prout emerit quisque satisfacit, addito quod urbi debetur, vectigalis pretio.

Macellum & forum Cupedinis.

Huic in Nessæ vico à veteri latere *Cupedinis forum* admodum propinquum est, Macello junctum. Olim Macellum & piscium Cupedinisque forum, haud inter se dissita multum stetere, cum adhuc sub curia ei locus est. Apud veteres quoque juncta, aut uno eodemq; loco promiscuè posita, colligendum ex illo Plauti, *Venio ad macellum, rogito pisces.* Quapropter & Plutarchus in problematibus ait in genere obsonia ibi vendita. Sed idem Plutarchus cum novam ibi Macelli notationem tradat, integrum locum adscribendum puto. *Macellum*, inquit, *à quodam Macello est denominatum, qui in urbe latrocinia exercebat: quo damnato, Censs. Æmilius & Fulvius statuerunt, ut domus eius publicaretur; venderenturque ibi obsonia.* Nec ista Plutarchus tantum, homo Græcus, sed & Varro haud absimilia habet, cum inquit: *Hæc omnia postquam contracta in unum locum quæ ad victum pertinebant, & ædificatus locus, appellatum Macellum, ut quidam scribunt, quod ibi fuerit* hortus: *alij quod ibi domus fuerit, cui cognomen Macellus, quæ ibi publicè diruta.* Verum Scaliger has veras etymologias negat, ostenditque Macellum à mactandis pecoribus & Forum Cupedinis non à Cupedio, ut ibidem Varro, sed à *Cupedijs* dictum: quod ibi cupedia omniaque esculenta lautiora venalia essent. Apuleius etiam pisces inibi venales facit, cum ait: *Forum Cupedinis peto: inque eo piscatum opiparum expositum video:* Et addit ibidem Apuleius, quæ nostris hodie moribus ac foro, quia haud inconvenienter dicuntur, temperare me nequij quin omnia adscriberem. Continue enim sequitur: *Et percunctato pretio, quod centum nummis indicaret aspernatus, viginti denarijs præstinavi. Inde me commodum egredientem continuatur Pytheas, condiscipulus apud Athenas Atticas meus, qui me post aliquam multum temporis amanter agnitum invadit, complexusque ac comiter deosculatus: Mi Luci, ait sat pol diu est, quod intervisimus te. At Hercules exinde cum à magistro digressi sumus. Quæ autem tibi causa*

peregrina-

peregrinationis huius? Crastino die scies, inquam. Sed quid istud? voti gaudeo. Nam & lixas & virgas & habitum prorsus magistratui convenientem in te video. Annonam curamus ait, & ædilatum gerimus; & si quid obsonare cupis, utique commodabimus. Abnuebam: quippe qui jam cœna affatim piscatus prosperamus. Sed enim Pytheas, *visa sportula, succussisque in aspectum planiorem piscibus, At has quisquilias quanti parasti? Vix, inquam, piscatori extorsimus accipere viginti denarios. Quo audito, statim arrepta dextra postliminio me in forum cupedinis reducens; Et à quo, inquit istorum, nugamenta hæc comparasti? Demonstro seniculum in angulo sedentem. Quem confestim pro ædilitatis imperio voce asperrima increpans, inquit; Tam jam nec amicis quidem nostris, vel omnino ullis hospitibus parcitis? Quid tam magnis pretijs pisces frivolos venditatis, & florem Thessaliæ regionis instar solitudinis ac scopuli, edulium caritate deducitis? sed non impune, jam enim faxo scias, quemadmodum sub nostro magisterio mali debeant coerceri. Et profusa in medium sportula, iubet officialem suum insuper pisces inscendere, ac pedibus suis totos obterere. Qua contentus morum severitudine meus Pytheas, ac mihi ut abirem suadens, sufficit mihi, ô Luci, inquit, seniculi tanta hæc contumelia. His actis, consternatus ac prorsus obstupidus, ad balneas me refero, prudentis condiscipuli valido consilio & nummis simul privatus & cœna &c.* Hactenus Apuleius. Apud nos hodie ædiles eiusmodi, *Keurmeesters* appellantur, & panificij quoque aliarumque rerum, ut mensurarum, ponderum & similium rationem atque inspectionem habendo, institorum avaritię præcipuè obviam eunt. Porrò urbis Macellum, de quo dicere cęperam, licet amplissimum spatium habeat, utpote D. Petri, ut indicavi libro superiori ædem occupans, tamen annis superioribus, proxima ædes, quæ D. Margaretæ quondam dicta, alteri adhuc macello patefacta: Quorum prius sub nomine *macelli maioris*, hoc *minoris* omnibus nunc innotuit. *Macellum maius. Macellum minus.*

Sequitur *Pomarium forum*, quod à parte lateris novi, juxta primariam ædem, locatum est. Pomarium & poma, cum dicimus omne id fructuum genus, ut mala, mespilia, sorba, pira, pruna, nuces, avellanas, juglandes, castaneas: itemque mora, cerasa, fraga, vaccinia, uvas & alia id genus intelligimus. Quorum nonnulla his in oris frigidis ac Boreæ vicinioribus, felicius quam in meridionalibus provenire Plinij testimonium est. Nam & cerasos, ante victoriam Mithridaticam L. Luculli, non fuisse in Italia ait; & ad annum demum urbis 580. è Ponto vectas: in Ægypto nulla cura potuisse gigni. Laudatque inter ipsa imprimis cerasa, Belgica, & in Ripis Rheni provenientia: cuiusmodi & nostratibus hodieque præ cæteris celebrantur Coloniensia. Inter malorum nostratium genera non numeraverim cytria, Aurantia, Punica, Medica aliaque exotica talia, quæ affatim & magno proventu inferuntur, passimque per urbis compita væneunt; sed cæli nostri, ut sunt, Cydonia, Cotonea, Chrysomela, orbiculata, mustea, Pulmonea, orthomastica, Petisia, Scandiana, Claudiana, sanguinea, Sceptiana, Melapia: Quorum pleraque ad hodiernum & nostrum usum atque appellationes revocare conatus est Iunius. Nam Cydonia mala, quæ Lanata etiam Plinio, à lanugine, qua vestiuntur, nostratibus, *Queappelen* Cotonea & Chrysomela *goutgheele queen*, Orbiculata, à figura orbis in rotunditatem circumacti, *schijvelingen*: Pulmonea, à tumore, *potappels*; orthomastica, mammarum effigie Plinio, *Rabauwen* vel *rapauwen*, quod raporum specie sint, Iunio: Petisia Plinio non magna gratissimique saporis, *puppingen*, Scandiana, *Winterguldelingen*, Sanguinea, *somerguldelingen*, Claudiana, Pleno saturoque rubore *Ioopkens*, Sceptiana *Kerlappelen*, Melapia, quæ sonant iuncto nomine mala & pira, *appelperen*; Sic idem Iunius, pirum volemum Virgilij, quod volam manus impleat, reddidit *Vlaemsche smoutpeeren*; pira acidula, *Tsboute*, Pirum Amerinum, *Sint Thomas peere*; Pirum ampullaceum, *Engelsche taefel peeren*; Pira cucurbitina, *lanck halsen*; Crustuminum, *Sint Iacobs peeren*; Pirum Dolobellianum, *Enghelsche braet peeren*, Pirum Falernum, quod largo succo abundet, *Fransche Kangeweelen*; Pira mustea, *Suycker peeren*; Pirum Pomponatium, *taefel peere*; Pirum Signinum, *rietpere*; Pira Regia, minimo pediculo quasi sessilia, *ooster peeren*, *mispel peeren*; nisi dicenda potius, *mandekens peeren*; quibus minimus similiter pediculus & succus ac sapor uberrimus ac gratus: quæ & alias ob idipsum *soppige groenkens*, Viridia Plinio, Oblonga, *Keyserinnen*. *Forum Pomarium.*

Vaccinia nominant hodie docti fere omnes haud ignobilem fructum, baccarum forma, quem Germania *heydel beeren*, *Druympel beeren*; Belgæ Batavique, *blauwe beesen*, *Kraeckebeesen*, & *heverbesien*, vulgo nuncupant. Proveniunt magna copia in silvulis Veluviæ Hardevico vicinis: unde & Amstelodamum navibus ordinarijs indies, dum haberi possunt, devehuntur. Nec enim ultra hebdomadas circiter sex in frutice reperiuntur: decerptis tridui aut quatridui mora est, coguntque se venundari. Interea tamen tem-

Q poris

poris solum transportationis naulum florenos subinde trecentos aut quadringentos excedere referunt. Inter bellaria secundasque mensas rite præparata haud postremum locum obtinent. Vectigal ex hoc foro quotannis colligitur haud minimum quam *impositionem* nominant, in usum non urbis sed provinciæ: Cuius summam 9 florenorum millia sæpenumero excedere memorant. Romæ non absimile in via sacra forum antiquitus erat, in qua oporopolides emptores præstolabantur. Hinc illud in Catalectis:

Pomarium vectigal Amstelodami.

Quæque tibi posui tanquam vernacula poma,
De sacra nulli dixeris esse via. Et Ovidius:
Rure suburbano dicas tibi missa licebit,
Illa vel in sacra sint licet empta via.

Est & illud Varronis de eadem *Via* capiendum lib 1 de re Rustica: *Vbi poma veneunt contra aurum.* Quo loci *contra aurum carè* notat; Ita enim loquebantur veteres, metaphora sumpta à lance momentanea, in qua appendebatur æs: Quod præponderabat, id contra esse, hoc est ἀντιῤῥέπειν dicebant; atque inde Festo æs contrarium, æs grave, scilicet ἀντίῤῥοπον, ut pluribus notat ad Varronem Scaliger.

Forum Boarium.

Boarium Forum iuxta portam Regularium est. Huc quotannis mense octobri boves undiquaque quamplurimi venales habentur, qui verno tempore ex Holsatia, Dania ac Cimbrica Chersoneso in pascua Hollandica deducti lætissimisque illis pratis in maximam opimitatem arvinæq; ubertatem excrescentes, dicto mense, ad forum hoc acti expositique, passim cædi ac mactationi destinantur. Emunt civium singuli, ut plurimum, aut duos aut tres aut plures paucioresque pro familiæ quisque modo. Hos mactant, & sale per frusta conditos, aut fumo induratos, in annum sæpe integrum servant. Conditaneam, aut cum Plauto, muriaticam hanc carnem qui dixerit, haud abs re dixerit. In ipsa venditione notabile adhibetur compendium. Nam qui vendit à civibus pecuniam non accipit, sed uterque & civis & venditor nomen suum & pretium emptionis publicano, qui in proximo adest, indicat: atque is venditori solutionem præstat; simulque impositionis seu tributi nummum de summa sibi diruit. Vectigal hoc, ut fere reliqua alia, duplex est, *impositionem* nominant, quæ provinciæ toti cadit; *excisam*, quę urbi soli: Quarum prior collecta subinde 76 florenorum millia conficere existimatur; altera vix infra florenorum tria millia censetur. Celebratur & eodem tempore *forum suarium*, cui locus destinatus est ad portam Haerlemensium, immensa à superiore spatij intercapedine dissitum. Hîc eadem quoque contractus & vectigalis ratio, sicut de bubus dictum est, locum habet.

Forum suarium.

His si reliqua fora adijciam, ut *frumentarium, Olitorium, Radicarium, Scrutarium, Lactarium* aliaque eiusmodi prolixum nimis fiet. *Frumentaria* autem plura sunt: unum est, quod Frisiorum seu Frisiabonum appellatur juxta Portam Haerlemensem veterem, nunc cataractam seu Slusam nominant: Huc frumenti secalicei omne genus naviculis ac cimbis ex pagis trans yam sitis Frisiabones deferunt publiceque venum exponunt. Præcipuum interim, quod est in *Aqua* prope pontem veterem, non quidem frumentorum institoribus, sed negotiatione tantum & frequentia mercatorum, intercedentibus pararijs, celebratissimum est. Habent hi in lintribus subinde aut navibus grandioribus, aut horreis depositas aliquot centenas lastas, quas uno sæpenumero mercatu distrahunt. Et est etiamnum anni 1599 recens memoria, quo Amstelodamum semel simulq; hebdomadę unius spatio Dantisco & illis Pruteniæ ac Boreæ ex oris appulêre naves onerariæ circiter 640, frumentariæ pæne omnes, exceptis, quæ robora, trabes, asseres, linum, picem ac ceram advehebant; Quibus pro vectura cuiusque lastæ floreni 40 tunc numerati, adeò ut nauli vectationisque solius merces 600000 florenorum summam superarit. Quibus si pretium ipsum mercatoribus redditum adijcias, quot auri tonnas summa summarum dabit!

Forum frumentarium

Cespitum forum, statio potius est navicularum fossitia gleba alendo foco oneratarum. Appellunt enim huc centuriæ aliquot eiusmodi myoparonum, eoq; loci consistunr, donec emptorem inveniant. Nam ut innuisse me superius memini, Hollandia ipsa silvarum cæduarum nec lignorum tantum habet, ut ijs ad Martialis Flaccique votum, perennem & larga manu exstructum focum ornare possit: Itaque provida rerum parens natura, eorum loco, fossitium hunc cespitem, qui è terræ fodinis erutus cauroque vento ac sole arefactus, opimam igni alimoniam præbet, longeque luculentiorem, quam nonnullis in Boreæ plaga populis, qui lignorum itidem egentes, ossibus ignes alere scribuntur. Nostratis autem cespitiæ huius materiæ plura sunt genera, quæ colore, levitate & pondere, adhæc

Cespitum Forum.

Lib. 1.

adhæc cineris,quo se obruunt; bonitate ac candore differunt atque examinantur. Primum genus uti accurate Iunio notatum,vile est,rarum, inane,fungosum,valde leve;color illi impluviatus, qui rubiginem parietum è pluviæ defluxu natam mentitur : quod genus deterrimum est,neque usu civium expetitum, servitque fere cortinis cervisiariorum inflammandis & concoquendis: quod accensum vultus è vivido colore plumbeos, cadaverosos, larvisque assimiles homines facit, terramque exhalat mephitem. Alterum densius est, furvum, segmentis virgultorum intermeantibus & palustribus cannis intercisum,gravitate mediocri, promiscui usus. Tertium ponderosum,laterum coctilium duritiam quandam imitans,quod ceteris natatu fluitantibus solum subsidit aquæ immersum, tardeque ignem concipit, sed conceptum diutissimè continet, cinerum colore, sabulosoque solo effossum. Est etiam quod è salsuginosa terra conformatur in glebas,sed Zelandiæ Flandriæque familiarius,Dariam vulgus vocat. De qua Plinium sensisse putat idem Iunius,ibi Cauchorum in æstuarijs Oceani maris degentium, inopem turbam, luto terrave (utroque enim vocabulo utitur Plinius) vento magis, quam Sole siccatis, & cibos coquere & membra frigore rigentia calefacere testatur. Sic enim ait: *captum manibus lutum ventis magis,quàm Sole siccantes, terra cibo & rigentia Septentrione viscera sua urunt.* Præter hæc est,quod verriculis è fundo aquæ extractum pingui luto constat, quæ materia in lacus quosdam quadratos,ubi aqua prius redundãs diffluxerit,affunditur & complanatur,postea àrefacta in metas rariores aggeratur, ut vento perflatæ solique penetrabiliores ad usum durentur. Habent & inopes rusticorum familiæ inter Cisrhenanos Frisios peculiare cespitum genus in tessellas,prius dictorum more, conformatum,fimo bubulo constans, intersperfis straminis, arundinum, fœni quisquilijs, ad Solem æstivum excocto : sed cuius fumus infesta acrimonia sic urit oculos,ut lippitudinem facile conciliet.

Et de lignis quod dixi,sobriè cõcessa ea Hollãdiæ,falsi me pæne arguent fora huic usui vel hac tantummodo in urbe destinata. Sunt enim trifariam aut quadrifariam hæc passim per urbis oras dispersa : Quorum ad novum latus duo sunt, & totidem aut plura à veteri, lignorum struicibus omne genus plena. Advectantur hæc tanta vi navigijs & celocibus nostris è Norwagia & Bergis,etiam Plinio nominatis,tum & Bructerorũ Westphalorumque è silvis,ut difficulter quis crediturus sit tantum robusteorum lignorum, trabium,asserumque sectilium aliorumque talium,quæ ad fabricas ædificiorum, navigiorum aut ad aggerum munimenta,adversus oceani ac maris Austrini impetum comparantur, extare uspiam posse : ut omittam, quæ Gedano & è Sarmatiæ Livoniæque illo tractu devehuntur querneæ minores tabulæ, & ligna insuper undulata, quæ vel ideò, ut arbitror,à nostratibus,quod fluctuum attolentium se tumorem imitentur, *Waegen-schott* sermone vernaculo indigitantur. Quibus accedit *Navale* seu locus, ubi naves aut ædificantur de novo, aut quassatæ reparantur : Cuiusmodi triplicia sunt à parte præsertim veteri,excepto Navali portæ Haerlemensis. Primum est Admiralitatis, seu collegij eorum,qui maris & maritimarum rerum naviumq; præsertim prætoriarum curam agunt: Alterum Societatis Indicanæ,seu eorum,qui Indicanam negotiationem omniaque eodem spectantia curant : Tertium promiscue civium omniumque nautarum est, quibus animus sit navigium aliquod,aut de integro faciendum; aut reparandum alicui addicere. Cui & quartum insuper servit,quod ad portam Haerlemensem nunc indicavi. Et hæc ipsa navigia non ex illis minoribus & oblongis sunt(pristes, sive *Damloopers* vulgo appellant)quæ intra Hollandiæ terminos passim in fluminibus,lacubus ac stagnis vagantia,ad convehendas ultro citroque merces,utensilia,cervisiam aliamque annonam;itemque epibatas & vectores,inter adiacentes ac contiguas regiones; Oceano abstinent; sed onerariæ & corbitæ sunt,quæ vehi atque oneribus ducentarum,trecentarum pluriumq; lastarum in oras remotissimas ac transmarinas deportandis revehendisq; destinantur. Nam minores illi sive lembi,sive pristes,cuiusmodi innumeri sunt,alias suæ paraturæ stationes, & extra fere oppidi pomæria,apud Frisiabones & Caninefates, atque alibi passim habent.

Fora lignaria.

Navalia lastagien.

Nec sileri hoc loco & illæ navigiorum variæ hinc inde appellentium stationes debet, circa quas vel onera celocibus imponere vel exponere vectoresque tum admittere tum dimittere, tenentur nautæ. Cuiusmodi sunt Londensium, Rochellensium, Rothomagensium,Hamburgensium, Lubecensium,Antwerpiensium, Middelburgensium, Roterodamensium,Delphensium, Hagensium, Leydensium,Haerlemensium,Traiectensium, Alcmariensium, Hornensium, Enchusiensium, Medenblicensium, Haerlingensium, Stauri-

Navium certæ stationes. Quæ Kaien vulgo.

Staurienſium, Campenſium, Swollenſium, Daventrienſium, Elburgenſium, Hardevicenſium, Amersfortenſium; itemq; Rhenenſium, Colonienſium, Gelrenſium aliorumq; quæ lembis oblongiſq; navigijs, quæ *Beytel ſchepen* dicuntur, vel Iſala vel Rheno Moſave deſcendunt. Quibus etiam Indicæ orientalis *Kaia* ſive ſtatio prope Indicæ Societatis Domum nuper acceſſit. Eæque intra urbem ſtationes omnes ſunt; extra urbem grandiorum quoque navigiorum, determinato loco, ſtatio eſt, prælongo nimirum ordine palorum exteriorum ſepta ad Yæ fluentum delectabili proſpectu prætexentium: Quorum alia utriuſque Indiæ, alia Iaponiæ, Guineæ, Ægypti, Cypri, Cretæ, Græciæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Libyæ, Galliæ, Britanniæ, Norvagiæ, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ, Boruſſiæ, Vandaliæ, Sarmatiæ ac Moſcoviæ totiuſque pene Orbis regna accedunt commercijſque ſuis paſſim frequentant; &, dum alij alijs ad rem attentiores, indies novos portus novaque cõmoda ac commercia veſtigant atque adaperiunt. Conferant in unum navigia ſua, aut claſſes etiam aliunde appellentes Regnorum aliquot, non unum, ſed plura oppida, non æquabunt indigenarum hunc numerum, ſi vel triremes in ſupplemẽtum advocent, quarum in procelloſo furioſoque pelago nullus hic uſus eſſe poteſt, ut periculo ſuo didicerat olim Druſus.

Grandiorũ navium Stationes.

Wala.

Hiberno circiter tempore, cum jam Boreale præſertim mare tempeſtatibus perpetuis horrere incipit, ſubducuntur haud paucæ, quæ pelagus illud navigant, in portum naves, ac certo loco, quam *Walam* vocant, intra palorum ſeptum concluſæ ad proximum uſque ver ſervantur. Eſt autem is locus à parte urbis veteri verſus aquilonem ortivum extremus fere atque extimus, ampliſſimi tamen ac vaſti adeò ſpatij ut navium magna vis contineri poſſit. Altera nunc inſuper & iſti haud multò inferior, inchoatur Wala à parte lateris novi, juxta portam Haerlemenſem. De voce vero ipſa dixiſſe aliquid jam ante memini ad oram diplomatis Guilielmi Comitis, pag. 71. Nam Hollandi veteres ita profundum omne & gurgitem præſertim altiorem appellaſſe videntur; ut non abs re ſuſpicari ſit, num alterum illud Rheni brachium *Vahalis* Tacito olim, nobiſque etiamnum hodie dictus, appellationis originem eidem vocabulo debeat. Ceterum præeſt huic loco nauplius unus alterve, ſeu cuſtos potius, qui in proximo habitans ſalario ac juramento magiſtratui obſtrictus, omnium, quæ in hiberna veluti iſta deductæ fuerint, navium diligentem curam habet, ut tuto nimirum loco collocentur, ut rudentes reliquumque inſtrumentum nauticum ſartum tectumque ſervetur, & cetera denique, quæ res & occaſio ſuadeant, præſtentur.

Vaal-Ridder.

Officina Lignaria d'hout thuynen.

Addi hoc loco non abs re etiam ſit, certa inſuper eſſe intra urbem loca muris lateritijs circumducta, in quibus ligna diverſi generis, ut trabes, aſſeres, ceteraque arborea robora aſſervantur depromunturque ad publica urbis ædificia, vel pontes ſublicios de integro conſtituendos, vel jam conſtitutos reficiendos neceſſaria. Cuiuſmodi hodie eſt à parte urbis veteri, ad Amſtelæ amnem è regione portæ Regularis antiquæ; nominaturque *d'hout thuyne*. Et eſt præter eam officinam etiam alia, in qua ſecti lapides ſaxaq; grandiora ac marmora cæduntur formanturque in uſum ſimiliter ædificiorum urbis. Cui Lapidicinæ publicus quoque locus proximè adſitus eſt, qui *Stael-hoff* nominatur; in quo infecti ſive tincti panni ſigillantur. Hæc ſive area, ſive officina, cum oblongis porticibus & ambulacris interioribus huic rei jam nuper, hoc loco ad Amſtelæ crepidinem, exædificata; ſed res & inſtitutum diu fuit. Nam & Guilielmus ſextus Hollandiæ Comes diplomate apud Amſtelodamenſes cautum jam olim voluit, ut novi pannificiorum præfecti ex primoribus civium taliumque rerum gnaris quotannis à Senatu legerentur, quibus lanificij cura committeretur: Idque iterato edicto à Philippo Burgundo, anno 1425, denuò promulgatum; uti & ſupra annotatum, ſuo loco memini. Et extant hodieque veſtigia huius rei haud obſcura, plurimum nimirum inclaruiſſe hinc cives, magnamque pannificij ac artis fullonicæ gloriam ac frequentiam apud Amſtelodamenſes fuiſſe. Nam circa hortum illum Sagittariorum, quem *Doelam D. Sebaſtiani* nuncupant, hodieque foſſa ſive alveus oſtenditur, qui *vullers-grafft* appellatur: ubi & muri cuiuſdam vetuſti rudera ſimul conſpicere eſt, cum marmore eidem muro, quadrata figura, impacto, in quo fullonum effigies & cupæ aliquot, in quibus panni emacerari ſolent, aliaque inſtrumenta adiecta inſculptaque ad fullonicam pertinentia. Nunc pannos, ut plurimum, Anglia ſubminiſtrat: fullonicæ verò ac tincturæ artificium aquoſa præſertim Hollandiæ ac Belgij oppida ſibi vendicant. Quin et ipſam Angliam lanificij artem à Belgis præcipuè accepiſſe annales ſubindicant, dum hi ſeditionibus alijſque inteſtinis motibus ſolum vertentes pannificij exquiſitiorem induſtriam eòdem aut intulerunt aut valde quidem auxerunt.

Officina Lapidaria.

Stael-hoff.

Et de-

Et denique nec illud omittendum, quod ad oppidi atque urbanę politiæ laudem, pręter alia, haud parum etiam faciat, fuisse olim diversis oppidi ad id destinatis locis barathra, sive colluviaria quædam, constituta; quæ annis superioribus gravissimis de causis, quod inde nimirum incendia aliaque ex fætore incommoda suboriri posse comperiretur, immutata sunt; Ita ut loco eorum nunc lintres oblongæ ac grandes per urbis oras atque alveos passim commeent remeentque purgaminibus excipiendis idoneæ. Hæ, enim nom platearum modò, sed & ædium sordes ac cineres in se recipiunt, impletæque mox ad vallum urbis terreum, aliumve quempiam locum, prout imperatum fuerit, saburram deponunt. Lintrarij ipsi; dum per urbis alveos vagantur, crotalum sive crepitaculum quoddam (indigenæ *ratel* appellant) manu tenent, eoque moto signum sui edunt: Quo audito ex ædibus famuli famulave convolant ad sordium ac cinerum receptacula, quæ intra ædes semoto loco servantur, exinanienda. Harum cymbarum impensas annuas 12 sæpenumero florenorum millia excedere, ipsasque sordes, si alijs, ad tellurem vel stercorandam vel exaltandam, divenderentur, multo pluris vænire posse commemorant: At nunc, ut dixi, ad vallum & oppidi ipsius usum cottidie impenduntur.

Lintres ac sordes & purgamina deportanda

CAP. XVIII.

Incommoda, urbi ab incendijs: deque incendiorum cura ac magistris; necnon & legibus aliquot ac statutis eodem spectantibus.



NCENDIORVM superiori Capite iniecta mentio admonet, & aurem veluti ut aliquid de ijsdem & adversis, quæ urbi exinde acciderint; & simul, quem in modum occurri ac prospici incommodis eiusmodi solet, paucis adijciamus. Et primum quidem non immorabor repetendis ijs quæ jam ante suo loco memoravimus de vi hostili, quam Gisbertus Amstelius ab exilio redux urbi, jam pridem Hollandiæ Comitatui associatæ, intulerit, cum Amstelæ Damum tugurijs adhuc tenuiorum hominum frequentatum soloque castello communitum armata manu, defuncto Iohanne principe, recuperasset, turribusq; ac propugnaculis alijsque ex ligno operibus exornasset. Confestim enim, comperta illa Amstelij molitione, accurrere Caninefates finitimi adiuvãtibus eorundem studia Frisijs alijsque conterminis, deijciunt flammisque penitus concremarunt munimenta adversus vim & impetum maiorem ludrica. Castellum quoque ipsum ita deletum dissipatumque funditus & igne ac ferro est, ut restauratum postmodum nunquam fuerit; Quomodo jam ante & locum quoque ubi steterit, superius satis indicavimus, addito etiam tempore, in quod incidisse referunt, anno nimirum 1299. Verum anno deinde 1414, cum aliqua jam oppidi facies appareret, non hostili manu, aut Martio ullo furore, sed flammâ fortuita maxima detrimenta cives passi, ut memorat Anonymus: Qui & hoc addit, aliquot exinde annis, anno nimirum 1444, totum oppidum pro parte maiori exustum fuisse. Ita enim loquitur: *Oppidum Amsterdam, licet sæpe suorum naufragijs, internis dissidijs, domorum incendijs ac peste plurimum labefactatum fuerit (nam simel anno 1414, & iterum anno 44 pro maiori parte exustum fuit) mirum tamen in modum opibus & urbanitate coaluit.* Eoque intermedio tempore, anno nimirum 1421, flammis similiter universum pæne absumptum statimque restauratum fuisse videtur ex Heda intelligendum, ubi hæc habet: *Anno 1421 ortum ingens apud Amstelodamenses incendium: quod maiorem oppidi partem absumpsit.* Nisi aberratum in calculo vel Hædæ vel Anonymi dicamus; unumque fuisse incendium, quod ad annum millesimum quadringentesimum vigesimum primum Heda: & ad 1444 refert Anonymus. Eamque suspicionem augeat, quod verbis fere ijsdem, de re quamvis diversa, uterque loquatur. Inijcit quoque mentionem incendij Anonymus idem, quo absumpta sit Capella illa quam Sacramenti appellant, confertque in annum 1452. quamvis solatio sacricolis loci tunc fuit, quod multo augustiore structura, & cuiusmodi hodieque spectatur, reparatum id damni haud longe post fuerit. Nec memini si, præter hæc à Vulcano illata damna, ulla alia memoratu digna annales referant. Nam & Anonymum, quem sæpe laudamus, quemque annum circiter 1500 claruisse constat, sui ævi incendiorum nullibi eo in syntagmate, quod penes me est suoque mox loco totum subijciam, meminisse reperio. Nisi quod anabaptistas postmodum, annis

Cap. 3. lib. 1.

annis nimirum 1534 & 35, incendia quoque ad scelera sua perpetranda suscitasse, sed cito restincta, memorias veteres referre, & nos suo loco dixisse superius commemini.

Nostra verò tempestate & anno præsertim 1596, & inde paulo post, magna minatus ignis, primum in via urbis Olitoria (quæ platearum præcipua est) intra videlicet pontem novum & veterem, ingenti flammâ se extulit ædesque ordine plurimas, unà cum horreis, funditus abstulit soloque æquavit. Et videbatur jam totum ea parte depopu laturus oppidum, nisi Deus atque operæ indefessæ aquarumque, quæ passim obviæ, ingens commoditas aliaque infortunium averruncassent. Et deinde 1597, quod exortum prope portam Antonianam incendium, licet in ipso propemodum meridie exerere se cæpisset, aliquot nihilominus ædibus horreisque devastatis, maximum damnũ civitati intulit, cum horreorum eorundem unum varijs mercimonijs stipatum, 50 carolinorum millibus æstimatum tunc constet; ut de priori incendio & olitoriæ præsertim plateæ granarijs, atque officinis pretiosissimis nunc sileam. Et tamen ista utcumque fuerint, illud nihilominus simul accidit, ut ipsa iniuria maiorem fortunæ locum fecerit, dum in hoc solum cecidisse videntur, ut splendidiora excitarentur: adeò ut Timagenis, Romanæ olim urbis felicitati invidentis, dictum illud: *Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura, quam arsissent*; hic quoque locum habeat, cum maiora certioraque, quam amissa fuerant, restituta sint.

Leges & remedia adversus incendia. Hæc fere præcipua sunt, quæ ex incendijs adversa obvenisse urbi colligere licuit. Quamvis sæpius exinde ædes hinc inde ignis invaserit: qui mira civium atque operarum sedulitate, aut felicitate potius dicam, absque notabili clade repressus est. Adiuvant etiam politiæ urbanæ accuratissimæ leges, quibus passim straminea tecta, & antipagmenta ædium lignea, quod olim fere obtinuit, fieri vetantur. Fumaria quoque non nisi ex saxo aut coctili latere admittuntur, adiectâ parieti inferiori, sive foco, ubi ignis exstruitur, ferreâ lamina. Serioque mandatum lignarijs omnibus alijsque fabris, ne quid adversus hæc placita committatur, præsertim in extruendis ædibus coctorum cerevisiæ, Tinctorum, pistorum, fabrorum, smegmatopæorum, Bractearioru̇m, oleariorum, qui nimirum oleum trapetis exprimunt, aliorumq; similium. Inhibitũ quoq; ædium postes, aliaque humiliora tecta, exceptis proiectis pice infici. Conductor ædium si deprehensus fuerit lucernam parieti affixisse, multam incurrit. Hiberno tempore, naucleris & navibus quæ intra palorum septa sunt, lychnis uti ad certam usque horam tantummodo permissum. Pulverem tormentarium nec fieri intra urbem nec haberi, aut distrahi per publicum, nisi loco ad id destinato fas. Figulis alijsq; talibus intra oppidum habitare nullis licitum. Incendium verò si jam exortum sit, tenentur non modò vigiles crotolarij, *ratelwacht* appellant, sed cives quoque ipsi atque incolæ & denique nautæ, si quid navibus accidat, publice atque alta voce ad opem ferendam proclamare. Et præter hæc à magistratu insuper singulis oppidi regionibus, quas vicos vocant, incendiorum magistri sive præfecti constituti: quorum unusquisque suis in partibus rem gerit omniaque agit, ne quid detrimenti res publica capiat. Hi etiam præter ceteros, quos sibi administros assumunt, rationem habent scalarum, hamarum, harpaginum, sitularum similiumque instrumentorum, ut suo loco ubi necessitas postularit in promptu habeantur. Sittellæ eæ omnes ex corio factæ ad usum huiusmodi, ob levitatem, perquam sunt accommodæ: Magnaque earum vis in publica non modò urbis curia, sed omnium quoque civium, qui in corpus sagittariorum accensi sunt, ædibus atque atrijs in omnem evẽtum perpetuò asservantur. Harpagines autem instrumenta sunt ædibus totis disturbãdis apta, vulgo *haeckones* vocant: Romani veteres dolabras eidem rei adhibuisse videntur. Qui & siphones habuere, ut patet ex Plinij secundi ad Traianum epistola de Nicomediẽsi incendio. Isidorus ita describit: *Siphones vasa sunt, quæ aquas sufflando fundant, quibus, adversus incendia Orientales populi utuntur*. Amstelodamenses etiam madentia vela ad compescendam præcipuè, & veluti suffocandam exsurgentem flammam adhibere soliti. Et denique antiquitus acetum quoque extinguendi incendij causa parari & haberi consuetum non modò iurisconsulti, sed & Luitprandus lib. 3. cap. 6 historiæ suæ ostendit. Iurisconsultorum, ea de re & præsertim Pegasi verba, quæ exstant l. quæsitum § acetum D. de instructu & instrumento, adnotanda hic vel ideò puto, quia incendij extinguendi præcipuè antiquitus adhibita instrumenta, nec hodie in totum desita, ordine recensent. Ità enim habent: *Acetum quoque, quod incendij causa paratur, item centones, siphones, perticæ quoque & scalæ Et formiones & spongias & hamas & scopas contineri plerique: & Pegasus aiunt*. Atque hæc fere reprimendis ignibus subsidia sunt, quæ ut in propatulo quoque civium quisque

Lib 10 Epi. 42.

Lib. 20, cap. 6.

Romæ haberet, Imperatorum decreta indicant: quemadmodum à Tacito etiam lib. 15 scriptum est. Qui idem Tacitus verba Iurisconsultorum, de centonibus igni olim reprimendo admotis, confirmat ea narratione, quam instituit de Iuhonum incendio, quod nec imbribus, aut aquis ullis fluvialibus, sed centonibus præcipuè de corpore detractis extinctum indicat, ubi inter alia orationem in hunc modum claudit: *Postremò tegmina corpori direpta injiciunt; quanto magis profana & usu viliori polluta, tanto magis oppressura ignes.* *Lib. 13. Annal. sub finem.*

CAP. XIX.

Transitio ad urbis atque incolarum commercia novasque navigationes, aliaque ad oras longinquas novorum itinerum aperiendorum tentamina variaque pericula: eorumque occasiones.

RESTANT adhuc ad urbis ornatum enarrandæ cataractæ, plateæ, portæ, pontes, Bursa, Bibliotheca & ædes sacra aliaque opera, quorum inchoata jam nuper & affecta adhuc pendent aliqua, nonnulla ad umbilicum perducta conspiciuntur. Sed cum illud tempus, quod modo tetigimus, annis videlicet 1594 & 5, hæc pleraque anticipet, magnumque ad urbis incrementum, ac decus, institutis tunc novis atq; inusitatis antea navigationibus, momentum attulerit, exigit omnino operis suscepti ratio, ut, dilatis superioribus, ad ista jam ordine pertexenda veniamus. Nec insistam hoc loco navigationes commerciaq; jam olim urbi frequentata, prolixius recitare, ut Italica, Cyprica, Ægyptiaca, Punica, Hispanica, Lusitanica, Frãcica, Anglica, Scotica, Germanica, Danica, Norvegica, Suedica, Polonica, Borussica, Moscovitica. Quorũ classis prima inter cætera cymatiles pãnos camelottos & graiogrenos, quos vocant, itemq; tergora bubalina, fila serica aurea, argentea, margaritas, vina cretensia, sulphur, oleum, Rhabarbarum, Mumiam, Cassiam, Tutiam, Gossipium aliaque abundè apportat: Eorumque è Cypro Gossypium, ut de eo vel solo dicã, tanta sæpenumero allatũ est copia, ut ij qui Venetias, ubi eius esse stapula solet, vẽtitare consueverant, Amstelodamum coemendi eius gratia venerint: Altera deinde à parte adferuntur sal, lintea, vina rubra albaque, oleum, papyrus, lana, plumbum, stannum, cerevisia; Et tertia denique classis Mel, ceram, frumenta, salnitrum, vitrum vina Rhenensia, pellesque pretiosas ac ligna fabrilia similiaque largissime indies suppeditat; Ità ut unico sæpe die tot ex his illisque simul oris hanc ad urbem vela appellant, quot annus integer dies complectitur: eamque præcipuè commerciorum frequentiam adauget facilemque reddit, præter alia, importandi reportandique venalia quæque non modò commoditas, sed immunitas quoque. Nihil enim quod vel invehitur vel ex urbe denuo evehitur telonij quidquam solvit, si intra oppidi septa divenditum distractumque non fuerit. Verum ista pressius propiusque indicare, longum nimis foret, & pro parte ex antecedentibus quoq; satis superque intellecta existimo. Tantum nunc ergo nova illa maritimarũ expeditionum pericula, navigationesq; longinquas indigenis antea nequaquã frequentatas, earumq; primo loco occasiones, quantum pote, brevissmè expediam.

Hispaniarum Rex, dum plurimis jam annis bellum adversus Batavos, quos Hollandos nunc dicimus, summa vi maximisque impendijs terra marique prosequitur, appellere nihilominus suas ad oras commerciorum gratia Hollandorum naves aliquandiu dissimulanter permiserat, donec persuasus tandem, si eas vel interciperet vel arresto, ut vocant, vexaret, omnemque hanc genti navigationem difficilem redderet, posse hac demum ratione ad obedientiam adigi: hæc, inquam, facillimè persuasus, edictis severissimis, in eosdem, repetitis sæpe vicibus, detonuit, & aqua atque igni, quod dici solet, non modò ijsdem interdicens, sed deprehensos etiam in triremes & classes suas, quæ in Indiam quotannis mittuntur, conijciens bonaque fisco adiudicans, maximum accedendi Hispaniarum Lusitanięque littora portusque, non Amstelodamensibus tantum, sed genti universæ terrorem iniecit: adeò ut, in totum abiurata Hispanica omni navigatione commercijsque, alio tandem animos appellere cæperint; ipsos nimirum Indos adeundi, atq; inde aromata exoticasque merces, quarum Hispani Lusitanique stapulam possidere videbantur, suas aliasq; in oras avehendi. Primi omnium Amstelodamenses, Ordinũ, Principisq; Mauritij felicibus auspicijs, octo deproperavere navigia: Quorum quatuor noto & usitato

& usitato Lusitanis per Atlanticum mare itinere progredientes commercia nova in ijs præsertim Indiarum locis, ubi Hispani imperium non agnosceretur, inchoare ac stabilire, mutuaque fœdera, in usum & commodum unitarum Provinciarum amicè cum incolis agentes contrahere quam diligentissimè adniterentur: Reliqua quatuor, quorum Amstelodamensium duo erant, Zelandorum Enchusanorumque bina reliqua, audaci atque arduo planè animo consilium ceperant de Regnis Chinæ & Cathaiæ, insulisque Moluccarum, per oram Septentrionis, itinere longe expeditiore, petendis: Ex Hollandia enim in insulam Iaponiæ, modò Sarmatiæ illud Tartariæque pelagus navigabile deprehenderetur, haud ultra miliaria Germanica, 1235 navigatio pateat; ubi econtra, usitata Lusitanorum navigatione, 2932 miliaria Germanica conficienda supersint. Atque ita tentata sunt omnia repetitumque hoc iter ad Hyperboreos tertium, æstatis ac temporis quam mitissimi ratione perpetuò observata. Verum & hæ ceteræque ad Indos institutæ navigationes quem tandem eventum, quantasque initio difficultates habuerint ex sequentibus distinctè & per partes jam innotescet.

CAP. XX.


Prima ad Chinam & Moluccas boreali viâ tentata navigatio.

Frangit & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi iusta subest excutit arma pudor;

inquit ad rem præsentem accomodatè poeta. Nam Batavi Hispanorum, ut indicavimus importunitate sive ut loquebantur iurisconsulti antiqui, maletractatione alijsque moti iustissimis causis, posthabita Hispania, ad ulteriora navigationem, jam tandem instruere serio cæperant. Prima Boreali via, ad Chinæ ac Cathaiæ Indiarumque regna navigatio, sive itinerum exploratio verius, cæpta anno 1594 navibus, ut dixi, quatuor
1594. instructis præcipuè mercatorum sumptibus: quarum Amstelodamenses navarchum habebant Wilhelmum Barentzonium.



Hæ ex insula Texeliensi 5 Iunij simul solventes, post diem XVIII Kildunum, quod in Lappiæ parte occidua situm est, omnium primò appulerunt: Atque inde mox, se navibusque ad iter institutum compositis, vigesimo nono Iunij, lectis anchoris, discessere. Wilhelmus Barentsonius non Boream quidem, sed apeliotem Borealen rectà petijt: cumq; multa




TABUL
in qua admira
cursus et recur
FRETUM
I. DAVIS.
C.Desolation
C. of good hope
Forbishers Fret
Beers sound
Lockes lant
Warwikes forlant
Regine Elizabethe Forland
Averflu
Trin Promont
C.Bonet
C.Spagia
Cabari
Frisland
Banaw
Aqua Rouea
Gedmer
Rane
Dosais
GROENLAND
Munder Promont
Lads flu
Gir Promontorium
Nos Promontorium
Chain promont
Boier flu
Ter promont
Alba
S.Thome cenobium
Monde of Gods mersy
Holde with hope
Margaster
Glacies ab Hudsono detecta ann.
Vogel hoeck
Nieu lan
Lammas I.
Breida fiord
Sandav
Nord fiord
Skaga fiord
Singlunes
Platey
Staps
Kostrah
Gaye ey
Selvoge
Hafnanes
Haske
Skalholt schola
Hekla mons
Londey
Randadnuper
Pistils fiord
Langenes
Hekla pr.
Bern
Papey
ISLAND
Horn
MARE
SEPTENTRIONALE.
Farre insulae quae et Fero
Beeren Eyland
Amnenes
Lofort
Maelstroom
Samen
Tromsen
S.Nicolaus
Scetland alias Hitland
Scotia
Aberdyn
Orcades Ins.
S.Andre
Edenburgh
Barwyck
Newcastel
Hartlepole
Scarborgh
Bergen
Norvegia
Stafanger
Langesund
Marstrand
Anloo
Finmarchia
Noort Caep
Noort Kyn
Wardhuys
Kola
Kandalex
Ombay
Woesega
Kola
Kilduy
Kosda
Polonga
CIRCULUS ARCTICUS
PARS
EUROPAE
Dania
Hollandia
Texel
330
340
350
360
20
30
40
50
60

GEOGR.
æ navigationis
designatur

AMERICÆ PARS

FRETUM ANIAN si modo Fretum sit plurimis enim argumentis ostendi potest Asiam ab America maiori distantia distungi.

POLUS ARCTICUS

90

85

80

75

70

80

Promontorium Tabin Plinio, cuius tamen verus situs ignoratur adiunximus autē ne aliquis hic deesse aliquid putet

Ex nuperrimus obseruationibus e China allatis credibile est Asi non vltra 50 gradum latitudinis in Septentrionem extendi

MARE TARTARICUM

Tazata I Plinij incognita

De Eylan den van Orange
Den hoeck der begeerten
Voort of Ys hoeck
Lant vol van snee
S. Anna bay
t'Vlissinger hooft
Verw. inter hoeck
H. behouden huys
C. de troost
C. de Nassau
tleege voorland
Beeren fior
Willems Eyland
Den Swarten hoeck
Admiraels Eyland
De Dieppe bay
C. Plactevoet
Loms bay
Groote bay
Langenes
3 Bergen
Den eersten hoeck
Cants hoeck
Swarte Eyland
Costin tsarck
Cruys hoeck
Schans hoeck
S. Laurens bay
3 huysen
Meel hauen
tleege
2 Eylanden
Vaygats
Staten Eyland

NOVA ZEMLA

Matsyn id est Plurima Insulæ

Hugo Willoughbes

MARE DE ZORKE

C. Candenos
Kolgowe
Colcova
Cavat
C. Barso
C. Swetenes
Fretum Nassoviæ
Orange
Piott
Condora
Pesora flu
Pesora
Obdora
Sibier
Molgomzaia

TARTARIÆ PARS

90
100
110
120
130

multa jam magnaque itinera eo cursu confecisset, inventa est Solis altitudo meridiana grad. 70: conspectaque biduo post *Nova Sembla* sub altitudine polari graduum 73. Atque inde Novæ Semblæ littus occidentale per medias glacies ad gradum latitudinis 76 detexit, ulteriusque provectus, ad gradum 78 latitudinis Borealis pervenit. Bellum interea sæpe illis fuit, non cum piratis aut prædonibus, sed ipsis belluis. Nam ursi sævissimi, & planè cerberei, cum terram, tum aquam & glaciem omniaque pæne infesta habuerunt. Quorum unus, colore nivem suam, ut & reliqui eo tractu referens, dum è glaciè prorepens cymbam quam inscenderat navales, natando insectatur, sphærula bombardica transfixus est.

5.



Et nihilominus ad cymbam magno impetu cum ferri animadverterent, tandem etiã laqueum collo injiciunt, sperantes se vivum Amstelodamum deportaturos; sed corio & exuvijs postmodum contentos fuisse hinc liquet; Nam ursus laqueo eum in modum innexus cymbamque lentè consequens, capta occasione, anteriori corporis mole in cymbæ puppim prorupit, ità ut territis, subitoque consternatis classiarijs, & ad proram confugientibus, actum de singulis fuisset, nisi laqueus, quo vinctus tenebatur, inexpectatò gubernaculi pinnicidio subtus involutus assultum atque impetum primum fregisset: extemplo enim hinc animum resumens navita inhærentem adhuc cymbæ ursum lancea traijcit; penitusque mox necatum corio denudat. In littore quoque novæ Zemblæ insularumque circumjacentium, ubi ad gradum 77 polus attollitur, plurimos Walros deprehendêre: Piscis hoc genus est monstrosum, bubus nostratibus maius, amphibion; hoc est, tam in terris quàm aqua vivens. Cutis cani marino; bucca bovinæ similis est: nisi quod binos utrimque dentes prominulos habeat, cubiti longitudine; quorum pretium ebori comparatur. Plurimum hi Walri in glacie degunt, & vix necantur, nisi verbere temporibus inflicto. Quadrupedes sunt, auribus carentes; sobolem ultra unam aut alteram vix edunt: Naucleri eos in arena littoris volutantes aggressi, securibus, lanceis ac gladijs aliquot confractis, unum solummodo confoderunt, qui etsi necdum ad iustæ magnitudinis modum pervenisset, tanti nihilominus ponderis & molis tantæ erat, ut vix

 ab octo,

ab octo, quantumvis torosissimis viris, in cymbam attolli potuerit. Mensis iam erat Augustus, & facile animadvertens Barentzonius iter in totum absolvi tunc haud posse; quin & longiorem navigationem, tædio quodam, abnuere classiarios, deliberatum consultumque habuit, ut repetito itinere versus fretum *Waygats*, quod Nassovicum, ipsis appellatum est, cursum dirigerent, expiscaturi quomodo Enchusano & Zelando, qui fretum illud penetrandum susceperant, res successissent. Dum navigant singulaque novæ Zemblæ promontoria, impositis ubique pro re nata appellationibus, attentè annotant, inter ceteros, scopulum conspiciunt, *nigrum* nominatum, & aliquot ab eodem miliaribus insulam etiam *nigram* nomine: Atque inde paululum progressi, in adverso promontorio Crucem animadvertunt: Idque cum haud temerarium existimarent, è re crediderunt exploratum mittere num homines eo loci agerent: in terram delati classiarij aliquot, deprehendêre fugisse incolas, sive advenas potius, relictis sex saccis farinæ secaliceæ plenis: & paulum deinde progressi aliam animadvertunt crucem, juxtaque eam trina ex ligno ædificia ad formam Norwegicarum ædium cóparata: in quibus nihil fere, præter doliorum, sive tonnarum aliquot epistomia deprehensum; unde coniecturam fecere piscatum ibi vigere salmonum: conspectæ etiam in propinquo cistæ aliquot mortuorum sepulchretis appositæ: Celocem quoque Russicam naufragio, ut videbatur, confractam reperiunt, cuius carina pedum erat quadragenûm & quatuor. Portum illum, sive sinum verius, ad omnes propemodum ventos accomodatissimum referebant, vocaruntque *farinæ portum*.

6.



Die Augusti decimo & quinto prætoriam Zelandicam cum Enchusana obviam habuerunt. Ex ijs hæc comperêre: maximam glaciei copiam in ipso freto deprehensam; penetratisque angustijs miliaria quinquaginta sex in Oceano Tartatico, Orientem versus, à se confecta: putare se insuper mare illud, quod Tranquillum vocant, cum Oceano Serico, Chinico & Indico misceri, fundum bolide tentatum vix inveniri, salsum, & plenum esse balenis, alijsque monstris marinis infestum. Detectam etiam insulam ibi, quam *Ordinum insulam* seu *Staten Eylandt* appellarunt: adeo ut opinio eorum fuerit ex hoc mari in Indiam posse velificari: Sic ultro citroque navigantes versoriam cepêre; appulitque Amstelodamum Barentzonius Septembris die decimo quinto.

CAP. XXI.

Altera per Boream circuitus investigandi periclitatio.

Reversis

Reversis in hunc modum navibus, remq; omnem ex relatione præsertim eorum, quos freti Nassovici angustias superasse memoravimus, expendentes Ordines, spem bonam conceperant optatum navigijs transitum per *mare* Tartariæ *Tranquillum* alias appellatum, inventuros mox Argonautas. Quapropter septem eorundem generalium Ordinum, Principisque Mauritij architalassi, decreto, naves paratæ, mercibus omnes instructissimæ: quarum una progressus tantum ac transitus ultra Tabin, Tartariæ promontorium, modò res succederet, testimonium præbitura regrederetur. Harum navium duas expedivêre Amstelodamenses; Zelandi & Enchusani singuli totidem, Roterodamenses unam: Amstelodamensium rector & navarcha constitutus idem, quem supra nominavimus, Wilhelmus Barentzonius, Præfecto addito Iacobo Heemskerkio, viro cordatissimo. Secundo Iulij anno 1595, Tessalia relicta, iter ad Hyperboreos recta institutum. Nec multis post diebus ipsum fretum, aut freti potius promontorium, in aspectum se dedit. Multa hîc passim glacies omniaque frigore adhuc rigentia deprehensa, cum tamen Augusti tum esset vigesimus primus: Ipsum fretum ita glacierum crustis stipatum fuit, ut operam pæne omnem luserint, transitum licet modis omnibus moliendo; quapropter sinum ibi maris, sive stationem, ingressi, quam *Traenbay* appellarunt, quod plurimum eo loci pinguedinis balenarum aliaque deprehenderent. Nam ibi terram descendentes non modò arvinam illam marinarum belluarum, sed rhedas quoque, sive sletas, invenerunt pellibus saburratas: simulque & hominum renonumque vestigia viderunt; ut omnino ibi homines agere, aut saltem commerciorum gratia quotannis eò accedere suspicionem conceperint; quamvis nulli interim comparuerint. At 23 Augusti, Pitzoriense navigium offendunt ex arborum corticibus similiq; materia, novo planè modo, consutum contextumque.

7.



Rogati unde & quo progrederentur, responderunt à parte Boreali adventare se, onerasseque navigium ibi arvina balenarum, Walrorum dentibus, anseribus alijsque mercimonijs, in adventum navium ex Russia venientium. Nam Russos addebant anniversaria ac solenni profectione per fretum Waigaticum in Tartariam, ultra Obij fluvium, ad locum, quem Tartari vocant *Ogolitam*, proficisci, ibique hibernare: dicebantque paucas ab eo-

 tempore

tempore septimanas expectandas antequam in totum id freti congelaretur; ubi verò congelari cæperit, subitò ac solidè constringi; ità ut inde in Tartariam, viâ glaciali, iter pateat per mare, quod *marmare* appellabant, *marmoreum* fortasse aut Plinij Marmarusam significare volentes. Biduo post iterum eosdem convenerunt amicèque compellarunt omniaque ut prius, intellexêre. Donatique mox Hollandi anseribus aliquot præpinguibus, ut gratiam referrent nonnullos ex ijsdem in naves suas humaniter invitatos cymba deduxerunt. Sed carnem caseumque & butyrum apponentibus nostratibus, recusarunt, jeiunij esse diem respondentes: ideòq; halecem mox nacti avidè eum non edêre, sed una cum purgaminibus totaq; cute, capite & cauda universum devorarunt: finito mox prandio, redonati, anserum vice, halecibus aliquot, in sinum illum quem *Traenbay* appellatũ diximus, celoce omnes reducti sunt. Deinde eodem in freto paulum maioribus navigijs, inter ingentia glacierum frusta, promotis, in terram à parte Australi Barentzonius cum interprete & classiarijs aliquot progressus deprehendit gentem ibi agere, ut videbatur, feram & ferinam, nomine Samoitas. Et mox propius conspectis unam in turbam conglomeratis pluribus, interpretem præmisit: Quod & illi videntes ex suis etiam unum cum arcu & sagittis occurrere fecerunt, minitantem & parantem jam ferire, nisi Russico idiomate se amicum, non hostem, proclamasset interpres. Quo percepto, Samoitá quoque & arcum & sagittas in terram projecit, indicans se cum eo sermones libenter seriturum: atque ita demisso utrimque ad terram capite, quod salutationis apud eos genus habetur, cõgressus est cum Samoita interpres, cæpitq; familiariter cum eo sermones cædere; & inter cætera de freto præcipuè *Waygats* atque oceani conditione quærere: Samoita disertè respõdit, Promontorio quodam post iter quinque dierum superato, mesen versus navigando, magnum se mare & latè patens aperire, manu ad ortum Australem commonstrando: addens se id optimè nosse, quod à Rege suo quispiam eo missus aliquando fuisset magno cum populo, cui ipse præfuisset.

Plinius lib, 4. cap. 13.

8.




Habitus eorum & mores feritatem quidem præferunt: esse tamen ingenio satis capaci & ad res percipiendas idoneo, vel ex apta illa de maris vicini natura responsione patet.

Alias

Alias vestitum habent ex pellibus renonum, quibus à capite ad calcem usq; muniuntur. Nec alios videtur Mela intellexisse qui Sarmatas toto braccatos corpore dixit; & nisi quà vident, ora vestitos. Quin & cultissimos hodie Germanos Cæsaris ævo pellibus aut parvis renonum tegumentis similiter usos ex commentarijs eius constat. Coma omnibus promissa, eaque in cirrum composita de scapulis propendet. Statura brevis, facies lata & plana, oculi parvi, crura brevia; genibus prominentibus. Agiles sunt, cursu valentes & saltu. Peregrinis parum fidunt, quod vel hinc apparuit: Nam calendis Septemb. cum iterum in terram excurrissent ex classiarijs nonnulli, arcum commodatò petiverunt, sed denegarunt Samoitæ: & ille quem Regem suum nominabant perpetuo in excubijs vigilem habebat, qui observaret referretque quid ageretur, quid etiam emeretur venderetur que. Trahas eorum, quas vulgo sletas vocamus, renones promovent, tam celeri cursu ut equos superent. Esse omnes idololatras ex eo cōpererunt, quod sigilla quædam lignea, impolita & rudia, numinis loco adorare, ijsque sacrificare videantur. Nam & sigillum eiusmodi unum, ex ligno ruditer dolatum, cum ex navalibus forte fortuna abstulisset quispiam inque cymbam deposuisset; & iam ad naves reditum ipsis parantibus, reversus confestim est Samoitarum unus inque cymbam prosiliens sigillum illud prahendit, pessimeque factum innuens in terram retulit certoque loco deposuit, dum accedens alius trahæ impositum secum aveheret. Sacrificia autem imagunculis istis à Samoitis fieri vel eo asserere non dubitarunt, quod ossa & cineres appositos nonnullis animadvertissent in freti præsertim Nassovici promontorio. Adventante jam mense Septembri eluctati tandem per freti angustias ad insulam appulêre superiori navigatione detectam vocatamque *Staten Eylandt* seu Ordinum insulam. *Lib. 6 de bello Gal.*

9.



In ea leporum erat venatus cōpiosissimus, plurimosque ceperunt. Nonnullis verò ex navalibus in continentem, quæ insulæ ex adverso sita est, progressus perquam sinister accidit. Dum enim unus alterve à cæteris longius aberrans lapillos quæritat, qui non ibi modò, sed in insula quoque Ordinum reperiebantur; fulgore adamantem referentes, accurrit inopinato grandis ac macilentus ursus, qui posticò invadens decumbentem alterum, occiput ei mandibulis confringit: alter, qui aderat, re animadversa, in pedes extemplo se conijcit, enarrans socijs quod accidisset. Hi viginti numero sclopetis, lanceis alijsque instructi armis ad locum lanienæ progressi ea spe, ut saltem cadaver urso eriperent. Et jam se in statum præliarem composuerant, cum ursus cadaveri inhærescens, idemque paulisper deferens magno in eosdem impetu prosilijt, & unum insuper ex media turba proripiens miserum in modum, fugientibus reliquis, dilaceravit. Qui in navibus erant fugientes suos conspicati, aliquot classiarijs missis, suppetias accessere: ijq; miserandum suorum spectaculum intuentes animos tamen addidêre reliquis. Deliberatum an iunctis viribus ursum invaderent; verum consultius visum, ut duo tres antegressi

gressi paululum, in eum sclopos emitterent. Quod ubi factum esset parum tamen pensi habuit: ideoque & quartus anterius adhuc procurrens collimansque in frontem ursi sclopetum direxit, verbereque emisso, cadaver nihilominus ore retinens attollere cervicem visus est, sed vertigine cùm agitari paulatim animadverterent accessere propius armaque & enses in eum distringentes nolentem adhuc cadaver amittere: dum tandem ex turba accurrens unus maximo nisu sclopeti capulum in rostrum eius adegit; eoq; ictu, veluti fulmine tactus, corruit. Cadavera in Ordinum insula sepulturæ mandata sunt: urso exuviæ detractæ domumque, veluti spolia quædam opima, relatæ. Regressis mox in naves singulis, iterum fortunam tentarunt, maximisque in illo Scythici pelagi sinu confectis itineribus, ad fretum denique rediere, gelu & glacie propemodum oppressi. Atq; inde 15 Septemb. tentatis omnibus, lares repetendos unanimiter decretum: eosque 18 Novemb. Mosam feliciter subeuntes attigêre, salvis omnibus, præter quos ab urso devoratos jam memoravimus.

CAP. XXII.

Tertia per eundem Septemtrionem instituta navigatio: eiusque eventus mirabilis.



Secundo reversis, ut indicatum est, à Scythico littore navibus, deliberatum an tertiò id iter communibus Reipublicæ impendijs tentandũ videretur: visumq; è re Ordinibus ut ab eo jam supersederetur, ea tamen lege, ut si vel urbium vel mercatorum quorumdam sumptibus rem tertio tentatam, possibilem esse intelligerent, summam se pecuniæ certam, quã & exprimebant, necnon & honoraria debita Provinciarum nomine, largiter collaturos.

Quapropter, vere ineunte anni 1596, Senatus Amstelodamensis bina navigia tertium expediri curavit: Naucleri & classiarij atque ij, ut plurimum, cælibes vegetaque ætate conducti: idque conditione duplici. Nam perficientibus iter maxima merces & præmia proposita: Non perficientibus quid deberetur, simul conventum est. Vniverso negotio Agens sive Commissarius, ut vocant, *Iacobus Heemskerckius*, jam ante nominatus, præfectus fuit: additusque eidem navarchus *Wilhelmus Barentzonius:* Navium vero alteri ductor datus *Iohannes Cornelius Ripius*.

Ex Hollandia solverunt 18 Maij primamque glaciem quinto Iunij offenderunt: & mox in insulam devenerunt, ubi ova reperta fulicarum, sub altitudine polari graduum 74. Hanc *insulam ursarum* nominarunt, quod ibi tunc primum ursos deprehenderint. Mox decimo nono Iunij per differta glacierum frusta diu progressi, relicta à tergo ursarum insula, ad octogesimum gradum & undecim minuta pervenerunt. Hîc terra denuò conspecta, auram mitiorem & æstivum quid spirantem, nec tantam glaciei vim, experti fuerunt: Quin & hinnuli & alia, quæ gramine vescuntur, animalia visa; cum novæ Zemblæ borealior pars, sex aut septem gradibus inferior, nec graminis herbam habeat, nec frondes, sed animalia tantum fera & carnivora. Cymbam deinde ingressi, sinum in eadem tellure reperiunt quem ad integrum miliare subeuntes stationem præbere etiam onerarijs navibus commodissimam posse intelligebant; utpote cui fundus erat ulnarum 10 aut 12 aut 16 ad summum profunditate. Et porrò à parte Orientali insulæ duæ conspectæ: In alteram earum excurrentes, anseres, quos *rotgansas* nostri vocant, aliquot animadvertêre turmatim ovis incubantes. Sed adventu classiariorum territi subitò avolarunt. Vnum nihilominus, & ova insuper 60, secum abstulerunt. Hosce anseres creditum hactenus è pomis certarum arborum in littore Hæbridum Scotiæ pronasci: fructu nimirum sive pomo earum, quà in aquas decidit, avem eiusmodi producente; qua verò in terras, exarescente. Verum argui hinc Scoticarum rerum scriptores hi nostri credidêre: nisi alias ab his esse Scoticas illas aves dicamus. Quod cum alius & longioris disputationis sit; & Scotici quoque scriptores vetustiores, ut Hector Boethius, & nuper Iacobus Martinus Scotus de prima generatione adversus Aristotelem diversa adferant, oceano nimirum, eo Scotiæ tractu, hanc vim tribuentes, hîc libenter omittimus. Has itaque circa oras ad vigesimum usque octavum Iunij ultro citroque velificantes nulla interea

transitus

transitus indicia comperire potuerunt. Et tandem ob glaciem retrocedere coacti, diversis itineribus circumjacentia loca explorare aggrediuntur: Sed Ripius, qui navim ut dixi alteram ducebat itineris molestissimi tædio, aut alia forte motus causa, prius iter ad gradum octogesimum relegendum contendit; quod ibi præcipuè transitum investigandum crederet. Quapropter inter eos ita conventum, ut ille, quo videretur iret: & ipsi vicissim suo uterentur arbitrio. Ripius, accepta conditione, à reliquis discessit, sed glacie & frigore, ut prius, impeditus haud multo post Colam atque inde domum revertitur. At Barentzonius totam eam Boreæ plagam, ad novam usque Zemblam, denuo circumlatus ad insulam demum pervenit, cui Auraicæ nomen inditum. Sita hæc insula est à parte novæ Zemblæ extrema ac borealissima. Atque hinc ad Austrum conversus dum longo tractu in mare porrectam terram circumire ac Zemblam novam superare conatur, à glacie constringitur impediturque quo minus progredi & loca ulteriora indagare potuerit. Referunt, qui huius itineris socij & autoptæ fuerunt, quique rem bolide explorarunt, glacierum ibi crustas tantæ crassitiei inventas, ut infra aquam viginti ulnarum profunditatem habuerint; extra verò duodecim ambiguosque subinde hæsisse classiarios num glaciem, an rupem potius, dicerent. Et dum hunc in modum non, ut habet adagium, inter saxum, sed glaciem, & salum navigant, horrendo fragore navis in scopulum quendam glacialem delata vectores destituit. Erat iam in præcipiti anni æstas, utpote Septembris initium, totumque se mox abducere atque infra horizontem istius hæmisphærij occulere Sol festinabat: adeo ut inde discedēdi nulla affulgeret aut spes aut ratio.

10.



Quapropter cum hibernandum sibi eo loci animadverterent, in terra ab omni hominum cultu vacua, ursisque sævissimis perpetuò infesta, nec ligna aut tigna arboresve ibi ad casam extruendam uspiam suppeterent, divina quadam providentia factum ut aliqui ex classiarijs terrestri itinere unius fere milliaris, austrum versus, confecto, devenerint in locum ubi & fluviolus dulcis aquæ repertus, & ligna ac arbores integræ tempestatibus, ut videbatur, è Tartariæ aut alijs littoribus, eo delatæ. Hæc lignorum tam larga atque inexpectata copia non ædificio tantum, sed foco etiam extruendo abunde suffecit.

Itaque,

Itaque loco ad ædificandum delecto, alij lignis apportandis, alij operi ac domo constituendæ intenti, quod poterat quisque quam gnaviter exsequebatur. Asseres ad tegendam domum habere non nisi ex navi poterant: diffractis itaque forulis atque inferiori navigij tabulato, quod videbatur in usum suum assumebant. Et mox parata qualitercunque ædicula, commeatus è navi & quicquid videretur necessarium, exportant; & jam ingruente asperrima hieme, in latibulum istud suum se abdunt. Atque ità verè, quod dici solet, in tenebris Cimmerijs delitescentes inter spem metumque dubij futuram æstatem præstolabantur, cum fame, frigore & feris, sed imprimis frigore ac gelu, supra omnem modum conflictati. Antequam excitata adhuc in totum domus esset, incredibile dictu est, quæ quantaque à frigore, nivibus cauroque sævissimo, cum intra tum extra navem, perpessi fuerint: ut omittam acerrimum atque oculis infensissimum fumum, quem intra navigium, nisi frigore perire præoptassent, omnino perferendum habebant: Quin nec operi aut excitando tuguriolo vacare, nisi capta serenioris cæli occasione, ullatenus dabatur: Quapropter nec ante octobris finem perduci ad colophonem gurgustiolum istoc potuit. Dulce est, inquit ille, malorum meminisse, & tamen meminisse horret animus quænam interea temporis viri fortissimi pertulerint, loco, ut dixi, non ab hominibus modo vacuo, sed ab ipsa propemodum natura damnato. Perpetuum ipsis prælium cum ursis & vulpibus erat. Adversus præsertim ursos, veluti in hostem, excubias assiduò agere necessum habebant. Vulpibus per decipulas insidiabantur: eorumque haud paucos capiebant assatosque edebant.

II.



Colore hi erant niveo. Carnem nostratium cuniculorum saporem referre memorabant. Ex pellibus focalia sibi ac pileos conficiebant. Cerevisia, quâ aliquandiu utebantur, in frusta glacierum congelata, non nisi igni admota usui reddebatur idonea. Eaque mox deficiente, potus eis erat humor ex nive liquefactus; quo non esse valetudini profligandæ præsentius malum in Physicis Quæstionibus Aristoteles olim hisce præsertim rationibus ostendere voluit: quod aqua omnis in se aeris tenuissimi portionem habeat, quo salutaris est; quod & terream fæcem habeat, quâ est corpulenta post terram. Cum ergo

ergo aeris frigore & gelu coacta in nivem aqua coalescit, necesse est per evaporationem velut exprimi ex ea auram illam tenuissimam: qua discedente, conveniat in coagulum, sola terrea in se remanente natura; Nix ergo ea, quæ nihil est aliud quam aqua eiusmodi in aere densata, tenuitatem sui, cum densaretur, amisit, & idcò ex eius resolutæ potu diversa morborum genera visceribus inseminari. Sed durum hic telum necessitas adigebat. Vinum, quod supererat, Hispanicum certis mensuris alterno biduo distribuebatur: Idque, quo bibi posset, ad ignem similiter liquefaciebant. Tempestatibus sæpenumero continuis ac sine intermissione perdurantibus, in tuguriolo nivibus undique septo munitoque ad dies aliquot tolerare vitam tenebantur, dum aura mitior adspiraret; Tum iunctis operis viam & exitum per fores nivibus obsitas moliebantur, quo de lignis & reliquis, quæ necessaria mox forent, sibi in tempore prospicerent. Circiter quartum deinde Novembris hæmisphærium ipsorum in totum Sol destituit; mansitque ad vigesimam usque quartam Ianuarij sequentis anni invisus atque occultus. Tunc enim lætum & salutare iubar oculis denuò reddidit, leviter se rosea sua gena ultra horizontem attollente. Memorabile est, quod additur in itineris Diario ursos una cum Sole continuò se occuluisse. Nam toto eo tempore, quo Solem non videbant, nec ursos viderunt: sed loco eorum vulpeculas, multo quam ante frequentius: quas, ut dixi, captas & assatas in delitijs habebant. Sed redeunte paulatim jam Sole rarescere quoque hoc bellarium, sive aprugna cæpit, & increbescere, ejus, vice, ursorum agmen. Vixque totum se ostendere jam Phæbus cæperat, cum forte fortuna egressi aliquot, ursum ingentem confestim sibi obviam habuerunt: Quem sclopeto manuario exploso traijciunt, coriumque continuo detrahunt. Arvinam sive adipem huius belluæ centum librarum fuisse idem Diarium adijcit, eoque usos naucleros ad elychnium instruendum, olei loco. Contrahunt vero hanc tantam pinguedinem ursi, dum in speluncis suis sine pabulo delitescunt solo pituitæ internæ ac dulcis alimonia sustentati: Quod & gliri usu venire Physici asserunt, & meminit epigrammatium vetus, quod ità habet: *Tota mihi dormitur hiems, & pinguior illo Tempore sum quo me nil nisi somnus alit.* Nec omittendum porro homines in Orci propemodum faucibus hunc in modum constitutos hilariorum nihilominus suorum meminisse, & in animum atque usum etiam revocare potuisse. Nam festus ille dies, qui apud plerosque tribus Regibus, quos Sacræ Scripturæ sapientes tantum seu magos nominant, dicari genialiter solet, regem inter epula & pocula ludicro modo & per sortem creando, illis quoque eundem ad modum festus tunc habitus: Et assentiente navarcho, in medium contulerunt vini sportulam, quæ alterno, ut indicavi, biduo in singula capita distribuebatur: itemque biscoctos aliquot, quos vino macerabant: Supererat etiam farinæ bilibra, quam in usum alium domo secum assumserant: hanc aqua nivali commistam, &, oleo adhibito, in placentulas conformabant. Distributis etiam, sive acceptis potius per sortilegium scedulis, NOVÆ SEMBLÆ REGEM Conneſtablium agnoscebant; territorij nimirum maximi, & quod ducenta miliaria Germanica à boreali illo promontorio, in quo agebant, adusque fretum Nassovicum in longitudinem complectebatur, præter eam laciniæ partem, quæ ignoto adhuc sub axe latet.

Martial. in lenienti-bus.

Transactis in hunc modum uno adhuc aut altero mense, paulatim elatior circumferri Sol cæpit. Æquinoctialem ad 14 altitudinis gradum jam attingens: hinc indies magis magisque spes affulgere, & tandem patriæ visendæ terrasque infelices relinquendi desiderio de abitu parando navarchum compellare. Qui ultro citroque cum Præfecto re agitata, consultissimum tandem censuit ex quo oneraria glacierum montibus convallata immobilis staret, & ornamentis denudata, etiamsi pelago redderetur, vix regi possit, & deniq; commeatus ulterior haud suppeteret, ut scaphis, quarum una magna erat, altera minor in omnem eventum reparatis & altius paulo eductis, se mari ac glaciei cum Deo committerent. Hoc unanimiter decreto, accinguntur operi Maij vicesima nona. Quindecim omnino socij navales supererant, decimum sextum Ianuarij 26 terræ mandaverant. Qui reliqui erant, nec illis satis roboris erat ad novos labores exantlandos. Nam cymbam loco moturi sensêre inedia, illuvie, frigore alijsque incommodis exhaustas vires. Hic videre erat viros fortissimos frustra lacertos suos spectantes, navarchum instigantem monentemque, aliquid ut supra vires tentarent, nisi mallent in novæ Zemblæ littore vel à fame interire, vel à feris vivi devorari: Revocatis itaque ad animum pristinis viribus nituntur omnes, & pro se quisque naviculas restaurant. Intentos operi invadit ursus, quem nisi explosa bombarda occidissent, actum omnino de reditu deque ipsorum salute fuisset. Hunc alij duo continuo insecuti, simili fortuna perierunt. Aliquot

1597.

jam dies scaphis reparandis insumpserant, cum de via per glacierum rupes sternenda complanandaque satagunt.

12.



Nam alias in mare naviculas protrahendi ratio non erat. Quapropter & hoc gnava manu effectum dedêre dissecando, fodiendo, contundendo egerendoque. Posthæc mercatorum sarcinas complicant commeatumqne instruunt itineri necessarium. Inter mercatorum res 6 fasciculi erant panni lanei tenuissimi; arca una telæ lineæ; duæ sarcinæ holoserici: cistulæ nummorum binæ, tonnę sive vasa item bina, in quibus supellex sociorum navalium servabatur; tredecim in quibus panis; & una in qua caseus habebatur; succidia seu tergum porci, sale et fumo conditum unum; Olei hamæ duæ, vascula vini sex; aceti duo aliaque classiariorum segestria culcitræque. Quæ omnia in unum acervum composita collocataque lenunculis illis minutisque scaphis an capi etiam possint vel ipsi dubitabant. Verum apte disposita locum invenerunt. Collectis ergo eum in modum inque cymbas deportatis sarcinulis, historiam itineris & mansionis accuratè descriptam thecæ cupreæ inserunt èque camino domus suspendunt. Hinc Wilhelmum Barentzonium atque inde Nicolaum Andreæ, utrumque jam ab aliquot diebus valetudinarium, trahæ impositum ad littus maris inque cymbas deportant. Deinde iunctim omnes scaphas ingrediuntur, disparati tamen ità, ut cymba unaquæque unum ex ægris acceperit; Post id Præfectus Heemskerkius utramque scapham coniungi facit; literasque profert discessus & navigij grandioris deserendi causas complectentes, easque subscribendas omnibus, alta voce recitavit. Summa earum hæc erat: sese multis laboribus molestijsq; exantlatis, ad ultimum usque in tuguriolo suo juxta navem perdurasse, in eam spem si forte ex glacie liberari expediriq; potuisset, sed cum eius rei spes omnis decollasse videatur tempusque paulatim elabatur & commeatus quoque, plurimum jam tenuatus, deficere incipiat: & deniq; ægri nonnulli sint, à quibus tanto in itinere subsidium expectandum non haberent, nihil sibi & Wilhelmo Barentzonio reliquisque navalibus præfectura aliqua fungentibus, consultius visum, quò & vitæ omnium consuli & merces quoque servari nonnullæ possint, quam ut, scaphis, itineri se ac numinis benignitati committerent,

rent, natura nimirum hoc ipsa dictante, ut vitæ suæ servandæ unusquisque pro viribus invigilet. Subscriptis literis, oram mox solvunt die, qui erat decimus quartus Iunij, linquuntque iniquum littus, læti quidem discessu, sed tristes recordatione futurarum instātiumque ærumnarum. Nam tertio discessus die, Iunij nimirum 17, cum jam milliaria aliquot confecissent, à tergo relicta Auraici insula, partim aperto mari, partim per glaciem eluctati; tandem ita glacierum crustis in utramque cymbam continuo impetu decumbentibus presi sunt, ut in mille frusta dissilituræ viderentur naviculæ, nisi infortunium Deus avertisset: unus enim per natantia glaciei frusta in glaciem solidiorem & terræ firmiter adhærentem, magno cum vitæ discrimine, prorepens trocheam cum fune glaciei alligavit. Atque ita cymba utraque in glaciem eam subducta, ægros in culcitris collocatos una cum reliquo instrumento in glacie deposuerunt, ut naviculis ab assidua compressione plurimum quassatis auxiliares manus commodius adhiberent. Huic rei biduo insumpto, vigesima eiusdem mensis ingravescere cæpit Nicolao præsertim Andreæ morbus: eoque nuncio ad reliquos relato, mihi quoque, inquit Barentzonius, breve vitæ spatium superesse videtur; & simul potu postulato, postquam bibisset animi eum deliquium quoddam invasit, & subito exstinctus est. Eumque haud multo post insecutus est Nicolaus. At Barentzonij obitus naucleri & mathematici peritissimi, ductoris & veluti cynosuræ eorum secundum Deum unicæ, haud leviter singulorum animos sollicitos habuit. Verum eventu rei Deo omnipotenti demandato, iterum se, reparatis, ut dixi lenunculis, in mare illud glaciale dederunt. Idque quantis difficultatibus hinc colligi potest, quod naviculæ per fluitantes glacierum crustas identidem essent pertrahendæ, quò liberum oceanum attingerent: Nec eo frui diutius dabatur, quam ventus ac fluxus marinus concederent. Eo enim mutato mutabantur & ista, ita ut violentia ventorum, in apertum subinde mare abrepti omnem propemodum salutis spem abijcerent.

Insula Auraici.

13



Nec à ventis, mari & glacie, sed ab ursis quoque, in ipso mari, quod metuerent habebant: dum per glacierum fragmina insidianter progressi ursi cymbas sociosque invadere tentarent, nisi in excubijs perpetuò fuissent aliqui, reliquis quiescentibus. Quinto deinde

Iulij moritur Iohannes Francisci Haerlemensis; eoque, uti & prioribus, in mausoleo glaciali, splendente Pario marmore purius, leniter deposito, mare repetunt, & vento & aura utcunque jam adspirantibus: Tandemque victo malis corpore, animis adhuc invictis ad *insulam Crucis* devenerunt, undecima Iulij,

14.



Insula Crucis. Hic ursum ingenti magnitudine ex aquis ad se prosilientem conspiciunt, expectatoque propiore eiusdem accessu, tres in eum sclopos simul exonerant, ictusque à singulis subito concidit. Et, accurrentibus classiarijs, animadversa ex sphærularum foraminibus profluere arvinæ pinguedo tam liquida, ut olei instar aquis innatarit. Hinc die eiusdem mensis 22, flante adhuc commodè vulturno, ad Cantij promontorium, vulgo *Cants hoeck* appellatum, aperto mari; atque inde ad sinum pervenêre *Costinsarch*. Progreßi mox 28 Iulij, in *Sinu S. Laurentij*, Russorum naviculas offenderunt; ipsosque Russos conspicati, amicè adeunt ac salutant seque tum demum inter vivos agere existimantes, postquam alloquio jam humano frui & mutuas aliorum audire voces & reddere concederetur. Erant ijdem hi Rusßi, quos anteriori navigatione, cum Vaigaticum fretum penetrassent in oneraria sua humaniter exceperant. Nec eius immemores Rusßi pro vino tunc propinato gratias agebant rogabantque de potu, quo modò uterentur. Quo intellecto ex classiarijs unus, promptum abijt catinum nivalis aquæ: eâque Russo præbitâ, gustavit, sed, moto capite aspernatus reddidit. Deinde Præfectus Heemskerckius propius accedens buccam & os adaperuit indicare eis volens scorbuto jam dentes multorum suorum vacillare, si quid forte remedij nossent: at illi fame eos laborare interpretantes panem secaliceum librarum octo èx celoce suo deportari continuò faciunt: eoq; Præfectum, cum avibus aliquot fumo induratis, condonarunt. Quibus ille cum gratiarum actione acceptis, duodecim biscoctos reddidit; & simul duos ex præcipuis ad cymbas suas deducens propinavit unicuique ex Vini hemina, quæ una adhuc supererat, haustum unum atque alterum. Sequente die discesserant Rusßi: nostrates quoque abitum molientes iterum glacies & ventus cum pluvia, quam nullam jam à mensibus fere undecim senserant, invitos detinuit. Inde vento sic ferente, in insulam vicinam duabus crucibus insignitam profecti sunt: Hic in terram descendentes inopinato & magno suo bono cochleariæ herbam repererunt eamque totam, prout nascitur, & sine condimento valetudinis causa comederunt. Est enim hæc herba sicca & calida, uti & Nasturtium; estque peculiaris eius in Scorbuto usus. Cochlearia dicitur, quod instar cochlearis non admodum profundi, concava habeat folia. Nostrates eòdem respicientes *lepelbladen* nominant: Nec abludentes Frisij *brepanne*, quod testum sive sartaginem foliola referant, haud inconcinne non hodie modò, sed & olim vocarunt: Nam Plinij *herba Britannica*, quam ait castris Romanorum trans Rhenum à Germanico promotis mõstratam à Frisijs in stomacace & scelotyrbe, id est, oris & dentium similibus malis, quibus tunc miles laborabat.

Cants hoec[k]

Cochlearia herba.

laborabat, haud alia quam ista *brepanne* fuerit. Sed Plinius sonum magis Frisicæ vocis, quam ipsam percipiens *Britannicam*, non *brepannicam* extulit: miratusque postea idem Plinius, ut ipsemet addit, nominis causam, haud aliam comminisci potuit, cur Britannicam vocarent Frisij, nisi forte, quod oceano confines, Britanniæ, velut propinquæ, dicaverint. Sed cum ea coniectura veri colorem vix habeat, hæc, quam attuli certior, & si non genuina, saltem ex antiquitate repetita notatio ad lucem & dubitationem Plinij levandam haud parum faciat. *Brepanne* autem in Frisijs vocitatam hanc herbam mihi per amicos ibidem & familiares quondam meos doctrinæ singularis viros, amice non ita pridem significatum memini, cum huius quoque voculæ in Glossario nostro Prisco-Gallico mentionem obiter, ubi de Vetonica, fecissemus. Hisce ergo foliolis plurimum recreati navales, 3 Augusti, vento non adversante ad oram continentem Rusiæ cursum dirigunt. Et licet nec hîc à glacie in universum tuti tamen se expediverunt: & Rusico *Plinius lib. 26, cap. 3.*

15.



mox phaselo iterum conspecto salutatoque, de itinere & promontorio Candinaes certiores redditi se in altum denuò dederunt. Dum simul navigant, extollere se adeo ventus cæpit, ut minor cymbula sustinendo vento impar à tergo relicta sit. Atque ita disiuncti dispersique tempestatibus, propemodum laboribus malisque, quibus etiam coniuncti vix pares erant in totum succubuissent, nisi identidem à Russorum celocibus, quos iterato exinde obviam habuerunt, commeatu qualicunque refocillati fuissent. Qui & indicavêre socios eorundem salvos esse & ante biduum sibi compellatos victuque instructos. Quo nuncio læti ad Album, quod appellant, mare transmeandum se parant: quamvis Rusi difficile id ipsis futurum dicerent cymba tam exigua. At illi Augusti decimo octavo Candinaes promontorio relicto, triduoque integro per altum progressi ad Lappiæ Orientalis tandem terminos vicesimo primo eiusdem mensis salvi pervenerunt: ubi socijs quos à diebus tunc decem non viderant, repertis, Kildunum simul navigavere; atque inde Colam, ubi alteram prætoriam navem, quam superius naucleri Ripij diximus, quique Borealissimam plagam repetendam indicaverat, offenderunt. Et mox per oppidum & ora populi, re divulgata, assensu decretoque Præfecti, qui eo in loco Magni Moscovitarum Ducis nomine, res curat, utraque cymbula publica *Album Mare.* *Cola.*

in domo, quam mercatoriam nominant, veluti trophæum quoddam, oculis omnium exposita dedicataque fuit, in memoriam nimirum inusitatæ & nunquam antea lembis eiusmodi exiguis frequentatæ navigationis milliariorum videlicet in vasto ac difficili illo pelago circiter quadringentorum.



Post hæc, sexto Octobris cum Ripio in Patriam regressi Kalendis Novemb. sub meridiem Amstelodamum simul appulerunt. Erant tunc temporis Amstelodami in aulà Principis Legati serenissimi Regis Daniæ, *Arnoldus Witfeldius* Regni Cancellarius, necnon *Christiernus Bernekovius* Regi item ac Regno à Consilijs. Qui ubi mensæ, una cum Vrbis magistratu, commodum accubuissent, allatus est de reditu horum argonautarum nuncius. Eòque per prætorem continuo in aulam deducti D. D. Legatis atque urbis Consulibus itineris sui, verè Vlyssæi, telam atque eventa retexere cæperunt, omnibusq; summatim enarratis, in hospitium suum quisque digressus est. Nomina omnium qui in patriam reduces fuere ista sunt: Iacobus Heemskerkius Præfectus & navarcha; Petrus Petri Vossius; Gerhardus de Veer; M. Iohannes Vossius Chirurgus; Iacobus Sterrenburgius; Leonardus Henrici; Laurentius Wilhelmi; Iohannes Hillebrandi; Iacobus Iohannis Hoochwoudius; Petrus Cornelij; Iohannes à Buysen; Iacobus Everartius. Qui verò obiere, præter, Barentzonium aliaque eiusmodi ex itineris repetenda Diario; quod continuo tunc editum in omnium adhuc versatur manibus. Nos quæ præcipua & digna memoratu putavimus suo quæque loco non omisimus,

CAP. XXIII.

Obiectioni quorundam occurritur, qui has per Boream navigandi periclitationes nimis exaggerant: simulque via in medium proponitur, quæ rei perficiendæ videatur certissima atque expeditissima, adhibita navigationum omnium, quæ hactenus eas in oras tentatæ fuere, collatione compendiariâ.



HIc obijciant alij, rem desperatam & impossibilem omnino, utpote nec factam, nec perficiendam fortasis unquam aggressos hos homines. Sed responsum reddimus idem olim de Orientali versus Indos navigatione (quam hodie non Lusitani modò, sed & nostri, ut dicetur, feliciter frequentant) iactatum etiam à viris prudentissimis fuisse; fieri videlicet haud posse ut quisquam eò, Æquinoctialem iteratò transeundo, penetraret; spem incertam esse, pericula certa & ingentia. Quæ aliaque in adversum prolata Emanuelem tamen Lusitaniæ Regem ab instituto tunc avertere non potuerunt, quo minus illud iter, jam

anno

anno ante à prædeceſſore eius aduſq; promontorium Bonæ ſpei detectum, per medios
porro fluctus in totum aperiret. Quapropter Vaſco Gamæ claſsis Indicanæ imperium
tradidit,qui ſuſcepta provincia,anno 1497,iter ingreſſus à Gadibus ad Arabiam & Re-
gnum Calecutanum, prǽternavigato Bonæ ſpei promontorio, omnia luſtravit, Regiq;
exinde quid eſſet facto opus, coram expoſuit. Spem nimirum atque occaſionem perfi-
ciendæ navigationis haud dubiam fecerant præter autoritates veterum, etiam explora-
tores,quos Alexandriam Rex miſerat ut inde Æthiopiam, quæ ſupra Ægyptum eſt, ſe
conferrent: atque inde in Indiam navigarent,ut qua ratione commodiſsimè ille curſus,
poſt Promontorij flexum,ad Indos confici poſſet ab hominibus peritis intelligerent.In-
ter autoritates verò Veterum, præter Ptolomæum,quem latuiſſe promontorij iſtius tra-
ctum video, diſerte tamen Plinius multa adfert,ex quibus manifeſto liquebat jam olim
hanc navigationem,ultra idem Promontorium, Gaditanis percognitam fuiſſe; Nam in *Lib.2. cap.*
Sinu Arabico, res ibi gerente C. Cæſare Auguſti filio, ſigna navium ex Hiſpanienſibus *67.*
naufragijs agnita inquit: Et Hannonem,Carthaginis potentia florente, circumvectum
à Gadibus ad finem Arabiæ, navigationem eam prodidiſſe ſcripto: Quin & ipſis Arabi-
bus quoque cognitam & frequentatam fuiſſe ex Cor. Nepote colligere eſt:qui ſua ætate
Eudoxum quendam, cum Lathyrum Alexandriæ Regem fugeret, Arabico ſinu navibus
regreſſum, Gades uſque pervectum dicit,quemadmodum id quoque accurate annota-
tum eidem Plinio.Vt ergò unde digreſsi ſumus,recurramus;Si hæc Veterum teſtimonia
apud Luſitanos & fidem atque eventum felicem habuerunt, cur non etiam eorundem
de circuitu Septentrionis ſuffragia locum aliquem & rem accuratius explorandi cona-
tum mereantur? ut omittam interim quod adferunt Annales Francorum Danorumque
de Groenlandis, quibus anno 836 Anſgarius atque inde Adelbertus verbi divini mini-
ſtros,Hamburgo tranſmiſerint; cum hodie vix nomine aut tenui fama noti ſint.Sed re-
centia iſta ſint,ſi cum Plinio,jam ſæpe nominato,conferantur: Qui diſertè etiam ex Cor-
nelio Nepote commemorat circuitum aliquem Borealem antiquitus fuiſſe celebratum,
allato eiuſmodi tecmirio; Quod videlicet Q. Metello Celeri, C. Affranij in Conſulatu
collegæ,ſed tum Galliæ proconſuli, Indi à Rege Suevorum dono dati eſſent, qui ex In-
dia,commercij gratia,navigantes tempeſtatibus fuiſſent in Germaniam abrepti : Ger-
maniæ ſcilicet illam intelligens partem,quâ hodieque Viſurgis & Albis in Oceanum ſe
Borealem exonerant : Nam eo uſque pertinuiſſe Suevorum veterum ditionem alibi de- *In Originibus Francicis.*
monſtravimus:Indos verò eoſdem exiſtimandum,ultra Tabinum Borealem Tartariæ pro-
montorium,Plinio *Tabin iugum* appellatum, è vicina Serum regione, ubi nunc regni
Cathaiæ fines,in *mare tranquillum*(cuius meminimus ſuperius, & quod *Marmaruſam*
ſeu *mortuum mare* à Cimbris olim nominatum ex Philomone idem refert Plinius)pro-
vectos, atque inde ad littora Germaniæ tempeſtatibus delatos. Quod ſi ſit, vera erit & *Lib.4.cap.*
magni ponderis loco habenda illa Samoitarum, quam ſupra retulimus, narratio, indi- *13.*
cantium quotannis Ruſſos, occaſione ac tempore ad navigandum capto, ad promon-
torium quoddam Tartariȩ quod Vgolitam vocabant,ultra fluvium Obij,per mare idem,
antequam congeletur, quinque dierum navigatione proficiſci : adeò ut Boreales eiuſ-
modi noſtratium navigationes, ſi ad exitum optatum perductas velimus, hæc via ex-
peditiſsima ac certiſsima, ſalvo aliorum iudicio videretur:ut nimirum, exemplo Ema-
nuelis Luſitaniæ Regis(quem,priuſquã Orientem claſsibus ſeriò peteret,exploratores in
ſinum Arabicum atque inde ad ipſos Indos, qui maris iſtius naturam & flexum inqui-
rerent,emiſiſſe indicavimus)etiam noſtri ad fretum Waigaticum ſive Naſſovicum, im-
pendijs communibus,mitterent,qui,capta occaſione,Ruſſorum anniverſariæ iſti in Tar-
tariam traiectioni ſe ſocios adjungerent: quo certò exploraretur num mare, quod eſſe
poſt fretum Waigaticum diximus, oceanus eſſet Tartaricus, an vero ſinus tantum ali-
quis atque inpervius. Et denique ipſum Tabinum promontorium an glacie perpetua
obductum rigeret,an verò navigabile foret:ut inquam,hæc omnia à viris ei tractui con-
terminis ac rerum gnaris perciperentur.Et quò eſſet res tota facilior,navis aliqua ex mi-
noribus prætorijs,non tam claſsiariorum multitudine,quam viris & naucleris diſtrictus
iſtius ac linguæ non imperitis, tum & commeatu ad annum, aut ultra,luculenter inſtru-
cta; ad fretum idem deproperanda foret; quæ ibi,loco aliquo,qui videretur quam maxi-
mè idoneus,in hibernis quaſi conſiſteret, & cum Samoitis & Ruſsis, re communicata,
navigationem illam Moſchorum anniverſariam in tempore operiretur. Nec abs re etiã
eſſet,ſi qui ex noſtratibus,qui in Iaponia negotiantur, ab ea quoque parte ad Tabinum
illud promontorium,capta occaſione, iter dirigerent;aut ſaltem in propinquo de re
univerſa

universa diligentius inquirerent. Hæc via tutissima & ratio videatur certissima tollendi perpetuã illam plurimorũ fluctuationẽ ambigentiũ an ibi pervium navibus iter sit. Nam quod alijs tutius visum pleniore altioreq; mari decurrere, & Borealiora Novæ Zemblæ littora circumnavigare ad 82 aut circiter altitudinis gradum: quod ibi scilicet dies & æstates longiores, quod glacies rarior & non nisi ex proximis littoribus adventitia; & denique quod frigus lenius, quam circa 76, & infra, gradum: Ea quidem ità se habere singula confitear, ob sphæram, quæ in eiusmodi altitudine maximè obliqua est; & sex propemodum menses solem supra horizontem attollit: Tamen quo minus in totum hæc admittenda opinio, obstant hæc duo: primò quod tractus ille cuiusmodi sit, marine circumfusus totus, an verò terris atque insulis interstinctus, prorsus nos lateat; Deinde pervium esse concedamus, hæc nihilominus difficultas hærebit, denuò scilicet à gradu 82 ad 70 & infra esse descendendum; ibique cum glacierum montibus maximoque frigore, in locis ignotis & extra cæli Solisque vias ab omni hominum congressu sepositis, & denique cum belluis ac fame luctandum misereque tandem moriendum. Et hæc ita esse nonne hactenus eventa docuerunt? Nam omnium primum, qui plagam hanc borealem tentarit, invenio Nicolaum Zenetum, qui, anno 1380, varijs iactationibus ibidẽ agitatus spe sua excidit. Et anno 1500. Casparus Cortesius pro freto, quod quærebat, fluvium invenit; & domum reversus cum anno sequente prosperioris successus spe eodẽ redijsset, perijt: cuius fatum secutus non multò post eiusdem frater Michael: Sic & Sebastianus Gabottus Venetus, anno 1506, iter per eundem Septentrionem, auspicijs Henrici 7 Angliæ Regis, quærens, in Angliam, re infecta, ob glaciem præcipuè reversus est. Iohannes Varasanus, anno 1524 nomine Francisci Galliarum Regis idem animo versans ad Caput Britannorum in terram cum suis ingressus in cibum Barbaris conversus est. Eodem exinde pergens Sebastianus Gomezius Hispanus, anno 1525, & Barbaris aliquot potitus, haud magnopere etiam gloriæ litavit. Successere his postmodum Angli: & inter eos primus Hugo Willougbuius, vir equestris Ordinis, anno 1553, repertis ad gradum 72 terris, frigore alijsque incommodis cum suis perijt: Eandemque persequens viam triennio post Stephanus Borrovæus insulas detexit Galgoieviam, Novam Zemblam aliasque: sed à frigore superatus maturè reversus est. Quos eiusdem gentis sequuti mox Martinus Forbisserus, Arcturus Pettæus, Carolus Iacmannus & Iohannes Davisius: Quorum Forbisserus, anno 1576, ob gelu similiter & glaciem parum præstitit: Pettæus verò & Iackmannus, anno 1580, idem moliti aliqua tantũ Novæ Zemblæ littora notiora reddiderunt: Davisius denique, anno 1585; sinum aperuit, sed is quo pergat etiamnum haud liquidò constat. Nostro tandem ævo etiam Batavi navigandi peritia jam seclis aliquot, præ cæteris, illustres, & filij quodammodo Neptuni celebrati, occasione oblata, suam quoque hîc symbolam conferendi, officio suo nequaquam defuere. Sed eventus & fortuna cuiusmodi etiam his fuerit, superius jam ordine expositum est: Adeo ut non videam quomodo circuitus hic detegi ac Orbi aliquando in totum patescere posit, nisi via ac ratio iam dicta ineatur; de qua cum satis superque dixisse nos existimem, ad reliqua nunc gradum faciemus.

CAP. XXIIII.

Indica Amstelodamensium navigatio prima; eiusque historia ordine posita.



LTERAM jam reliquarum navium quatuor, Austrum versus, expeditionem, & novitate admirabilem, & experimẽto difficillimam, sed utilitate quà publicè, qua privatim, inæstimabilem enarraturus id tãtum ex superioribus repetere necessum video, eodem & anno & tempore, quo illa Borealis, anno nimirum 1595, & institutam & captam feliciter. Nam cum incerta & dubiæ aleæ illa per viam Septentrionis navigatio videretur; hæc addita insuper altera tutior; utpote rectà atque usitato Lusitanis itinere ad ipsos Indos directa. Fatalis sanè navigatio & inter belli Belgici quadraginta, & quod excurrit, annos adversus Hispanum gesti miracula haud postremo loco ponenda. Nam Hispanus, qui ad incitas jam redigere & in totum deprimere adversarium, Hispanijs excludendo, satagebat, multò eundem altius hoc pacto provexit,

vexit, Orientem nimirum & opes ea parte ſuas, non ſponte, ſed numine ſic faciente recludendo. Nec ijs contentus Hollandus, ſed ut invia virtuti nulla eſt via, maiora paulatim ſpirare & idem quoque in Occidentem, & eas ab orbe novo Gazas, minari mox cæpit: ſtabantque jam eò converſæ proræ, niſi olivæ ramum ipſa in tempore prætendiſſet Hiſpania.

Hæc ergo, de qua jam dicturi ſumus, prima è Batavis in oras Orientis dimiſſa claſsis, caſtrenſem quidem in morem comparata, id eſt, nautico & bellico, in omnem eventum apparatu ità inſtructa fuit, ut mercium ſimul, quas expeti ab Indis conſtaret, omne genus veheret. Navium maxima, quarum tres fuere *Mauritius*, *Hollandia* & *Amſtelodamum*, ducentarum & octuaginta laſtarum quæq;, præter Amſtelodamum, quod centum *Navium numerus & apparatus.*

17.



& octuaginta tantum erat: quarta & minima, è liburnicarum genere, viginti earundem laſtarum ſeu onerum nauticorum capax habebatur. *Mauritio* Præfectus ſive Agens datus præter Bernardum Heijnck Cornelius Houtmannus, vir rerum ac commerciorum Indiæ apprime gnarus, adiunctumque ſibi navarchum habuit Iohannem Molenarium: *Hollandiæ* præerat Iohannes à Boningen Corneliuſq; Naſo cum nauclero Dignummio: *Amſtelodamo* Reinerus ab Hell & Iohannes Caroli Iunior, cum nauclero Iohanne Scellingero: claſsiarij ſeu navales in univerſum 249 cenſiti: tormenta bellica partim ænea, partim ferrea fuerunt; Quorum Mauritius ſex ænea habuit, juſti ponderis; ferrea quatuordecim, colubrinis & ſclopetis exceptis; Nec in reliquis pauciora erant, niſi quod liburnica duo tantum ænea & ferrea ſex habuerit. Expenſæ totius expeditionis ducentorum & nonaginta florenorum millium computatæ: in quibus centum millibus pecunia parata & merces æſtimatæ. Archegi & Curatores univerſi negotij, cum ex mercatoribus, tum urbis Senatu, primarij, & veluti anteſignani, erant *Henricus Hudden*; *Regnerus Pauv*; *Petrus Haſſelaerius*; *Iohannes Caroli Senior*; *Iohannes Poppen*; *Henricus Buyckius*; *Theodorus ab Os*; *Suffridus Semmius*; *Arnoldus Grotenhuſius*. Hæc Societas longinquæ expeditionis tunc appellata, vulgo, *De Compenie van verre*. Plurimum quoque conſilio atque artium mathematicarum peritia, cum ad hanc, tum ſuperiores illas in Boream expeditiones, contuliſſe conſtat C L. V. Petrum Plantium; navarchos nimirum & claſsi præfectos, *Archegi & Curatores expeditionis*

priusquam iter ingrederentur privatim docendo dirigendoque.

April 2. Texelia solvunt. Paratis omnibus, secundo Aprilis è portu Texeliensi solvẽtes sub quartum Maij, Cancri Tropico transmisso, Æquinoctiali paulatim appropinquavêre. Hic bina navigia conspecta, ex illis, quas *Carackas* vulgo Lusitani appellant. Quapropter ità cursum direxêre, ut effugij locus Lusitanis non esset: idque & ipsi ubi animadverterent, propius accedere sua sponte cæperunt. Interea senatu nautico convocato, deliberatum decretumque fuit, ut iuxta præscriptum, quod à Societate haberent, se quam humanissimos ipsis exhiberent, nec occasionem ullatenus pugnæ aut prædationis primi darent: unde &, caduceali vexillo à puppi explicato, amicitiæ signa prætulerunt: Et ne ulla malevolentiæ suspicio fieret, vexilla quoque grandioris mali demissa. Nam Lusitani si semel modò, quod in more illis positum, tormentum in nostrates exonerassent, utraque jam navis eorum prædæ fuisset, cum vix navales socij ab armis cohiberi poterant, oblatam dictitantes occasionem opimæ prædæ; eam nequaquam ex manibus omittendam; posse jam compendio obtineri, quod longa ac difficili navigatione quæreretur: Hæc aliaque palam exclamantes vix sedari, vel per navarchos, poterant, identidem demonstrantes aliud sibi longè in mandatis haberi; expectandam nimirum ab adversario pugnandi occasionem: nullum adhuc ab ipso tormentum, nisi cum primum conspiceretur, ut sociam sibi navem coniungeret, explosum esse: operiendam itaque rem bene gerendi oportunitatem. Atque ità composito paululum animorum illo motu, & magis magisque appropinquantibus Lusitanis, cymba ad eos demissa cum vigilum tribuno, simulque mandatum ut ad naves Capitaneus progrederetur, cum Præfectis verba facturus. Quo nuncio intellecto, progressus est Goæ Archiepiscopus tribunumque amicè compellat, ne degravaretur in sui gratiam ad Præfectos regredi, se felicia illis omnia precari & commeatum quoque, si quem vellent, largè offerre, tantum excusatum haberent Capitaneum: Qui tamen; si omnino hoc vellẽt, accedere erat paratus. Quod ubi relatum Præfectis foret, nec animis adhuc satis quietis classiarij viderẽtur, redire confestim cymbã imperãt referreq; ab omnibus sibi sic satis prospectũ, ut ipsorum non egerent: pro conditis verò & cydoniatis, quæ muneri transmiserãt, remittere se in vicem pernas aliquot & caseos. Hæc Lusitanorum Caracka noviter fabrefacta lastarũ propemodũ erat 600, æneisq; tormẽtis 18 instructa, præter machinas alias classiariosq; & milites, qui circiter sexcenti fuerint. Retulerat inter alia Lusitanorũ Capitaneus sibi eiusmodi Hollãdicas naves apud Lusitanos nunquã cõspectas; nec rationem penes se fuisse, si usus postulasset, ullo modo resistendi. Decessurus honorificè valedixit, explosis insuper, in signũ benevolentiæ, tormentis aliquot. Scio hæc aliter paulo, ac multo concisius, in Itinerarijs olim editis enarrari, sed ego & hîc & in sequentibus autographũ viri spectati, & ex Præfectis autoptæ autorem ut plurimũ, sequor. Atq; ita provinciæ sibi demandatæ dum reverenter insistunt classis Præfecti, amissa est ẽ manibus præda. Hinc aliquantulum progressis iterum naves conspectæ: Erant hæ plures numero ex insula S. Thomæ profectæ, ipsique naucleri Hollandi. Nam lembo ad naves prætorias ubi, iussu Præfectorum, accessissent, à nostratibus agniti sunt atque inde, itineris ratione intellecta, indemnes demissi etiamsi merces, quas veherent, Lusitanorum essent. Quarto demum Iunij Æquinoctialem transgressi, tantum experti sunt æstum, ut non modò commeatus corrumpere inciperet, verum etiam classiariorum magna pars gravibus morbis corriperetur. Sub ipsa & ultra quoque Æquinoctialem perpetuo vulturnus ex oriente Brumali & anniversarius, adusque Abrolhos, perspirat. Sunt hi Abrolhi brevia, quæ litori Brasilicano prætenduntur, nec facile in illis naufragium vitatur, nisi inter hæc & maritimam Guineæ, oram media quasi via, vel peritiã vel fortuna, teneatur. Secundo Augusti Bonæ spei promontorium quod Plinij videtur esse Hesperion ceras, conspexêre, à quo non procul se abesse aliquot diebus ante, præter Trombas, sive arundinum fasces, qui aquis ibi innatant, etiam aves circa idem promontorium volitantes partim nigræ, partim candidæ indicium faciebant. Iactis in statione, quam *Aquasambres* appellant, anchoris: aliquam multi in terram descendunt, commeatum ad ægros præsertim refocillandos conquisituri. Habitat hic genus hominum supra quam dici potest barbarum. Brevi sunt statura, sed tamen apta membrorum compositione. Sonum potius & inconditum murmur ad instar gallinarum glocitantes edunt, quam sermonem articulatè distinctum. Nudi magnam partem incedunt, nisi quod crudarum pellium segmenta soleis suppingunt, partesque obscænas, vulpium aut aliarum ferarum caudis velant: Qui lautiores videri volunt pallijs diversicoloribus utuntur. Antroppohagos esse ex eo colligendum nonnulli putarunt, quod carnibus crudis vescerentur; & omasum & reliqua

Lusitanicæ naves conspectæ: & cum ijs colloquia aliaque.

Naves ex insula S. Thomæ.

Juny 4.

Augusti 2.

Incolarum Promontorij Bonæ Spei habitus & mores.

18



reliqua exta, fæcibus leviter eiectis, avidè vorarent & ossa denique veluti canes arroderent: unde & oris ipsis graveolentia: quam etiam eminus persentiscerent classiarij, qui & monorches, id est, singulis singulos esse testiculos affirmabant: eique rei argumento etiam esse vocem tenuem & gallinaceam. Domus eis nullæ, sed antra & cavernæ: Arma, lanceæ lato ferro: unicus ornatus armillæ ex ebore. Boves habent, vaccas, oves, pingui admodum nec insipida carne: ovibus caudæ crassissimæ; Bovibus in dorso gibbus exstat. Pro bove & vervece datus est cultellus aut tale quidpiam. Bovum & ovium aliquot in naves comportatis, undecimo Augusti, invalescentibus morbis versus Insulam S. Laurentij, quam Madagassar appellant alij navigare cœperunt sperantes se S. Romani promontorium, versus Orientem superaturos. Sed cum ventus spiraret adversus & velificatione opus esset, regressa est navis Hollandia ob ingravescentem naucleri morbum: quem & mox defunctum in insula, quæ in proximo erat, sepelierunt. Quod nisi contigisset felici velificatione ad caput S. Mariæ, atque inde, usi vento, qui tunc & postmodum operam dabat, ad Antongillensem sinum inoffenso gradu pervenissent: At dum hic morari coguntur, loco ad aquandum minimè idoneo maxima classem invasit calamitas, ità ut magnus navalium numerus vi morborum absumptus, & in Insula eadem tumulatus insulæ *Hollandorum cæmiterium* nomen dedit. Nec morbi tantum & aquationis ac commeatus necessitas sollicitos habuit, sed dissidia quoque, quæ exorta ibi ob electionem novi navarchi in locum eius, quem defunctum diximus. Cum verò præcipuè commeatui procurando ipsa ratio incumbendum suaderet, exploratum emissa liburnica, an alicubi commodus aquationi locus reperiri in propinquo possit: Abierat 22 Septemb. cum ipsis calendis Octobris reversa lætum de dulci aqua reperta attulit nuncium. Eoque cum navibus junctim profecti sexto idus Octobris exscensionem faciunt: nec incolæ suo defuere muneri; magnam enim mercium ac iumentorum copiam cõfestim apportarunt. Pro eximiæ magnitudinis bove, aut tribus ovibus, stanneum cochleare poscebant; argenteum ut durioris atque inhabilioris materiæ, morsu id explorantes, aspernabantur. Genus hoc hominum forma est totiusque corporis proportione non indecens: pudenda panno gossypino obnubunt, cætera nudi: Qui tamen dignitate inter eos præcellunt

Hollandorũ cæmiterium

19.

I.S. LAVRENTII

Insula S. Laurentij Madagassar alias.

pectus quoque eiusdem generis panno tegunt. Insula ipsis indigenis Madagassar, id est, fons Lunæ appellatur: Lusitanis S. Laurentij insula dicta, ob id quod die divi Laurentij memoriæ consecrato ab ipsis cognita fuerit. An *Menuthias* Ptolemæi, vel *Cerne* Plinij habenda, frustraneum existimo quærere, præsertim cum ipse Plinius circa hæc, omnia adhuc suo ævo incerta fateatur. Patet in longitudinem circiter mille atque ducentis milliarijs: in latitudinem verò quadringentis & octo. Est varijs regnis ac regionib9 distincta. Qui mediterranea incolunt simulacris atq; idolis dediti sunt: qui verò maritimas oras, maxima ex parte Mahumetis sectam sequuntur. Quod vel ex eo compererunt naucleri nostrates, quod circumcisionem agnoscerent: ipsa regio singulari fertilitate prædita. Fótes habet quamplurimos, & aquas dulces atque perennes. Est præterea densis sylvis nemoribusque culta. Abundat multum piscatu, venatu & aucupio, variasque fruges, modica cultura adhibita, profundit: radices multiplices habet, quibus homines vice panis utuntur. Citreis quoque malis & alijs arboribus odore miro fragrantibus, vestita est. Arundines innumerabiles, è quibus saccharum vel natura instillatur vel artificio exprimitur, in ea læte proveniunt. Zingiber passim effunditur, quo quidem viridi vescuntur. Habere quoque argenti metalla putatur. Lingua quadam propria Monzambiquensium linguæ dissimili utuntur. Navigandi artificio carent: lintres tamen, cuiusmodi Arrianus in Periplo Rubri Maris μονόξυλα vocat, piscationis gratia habent: ipsi *canoas* appellant. Bubus etiam hîc, cum pectore exiliori sint, ingentia tubera sive gibbi è mera pinguedine in dorso eminent: adeò ut pectori quod deest, dorsum pensare videatur. Oves, duodecim pondo caudas, cubitali longitudine, trahunt. Ingens præterea multitudo psittacorum, turturum, cercophitecorum. His commoditatibus allecti navales, ægros in terram exponunt, ut, recenti hausto spiritu, alacrius reficerentur; navesque interea à pedore ac contagione purgarentur. Sed incolæ incertum an metu, ne hospites novi coloniam ibi & sedem habitandi figerent, an innata sævitia, improviso in nonnullos, qui à reliquis separati tentoria sua, loco semotiori, fixerant, impetum faciunt, & obvia quæq; è suppellectilibus & instrumentis diripiunt, ægris vix validiorum præsidio defensis. Qua iniuria malè navales ceterosque habuit; & variè quoque apud classis navarchos ac Præfectos

Plini. lib. 6. cap 31.

Navales & ægri in terrã depositi à Barbaris invaduntur

fectos interpretari cæpta: præsertim quia se à reliquis separassent jussu, ut ferebatur, Gerhardi à Boningem; quem Mauritio Præfectum sive cõmissarium, datum supra diximus. Accedebat quod idem Boningus literas, quas consignatas archegi expeditionis, navium Præfectis tradiderant de navalium præcipuorum surrogatione in locum eorum, quibus humanitus aliquid accidisset, inscijs & inconsultis reliquis, resignasset; & novum navarchum in locum defuncti Dignummij ipse constituisset absque senatus nautici communi suffragio. Et licet idem qui ab archegis in literis nominatus erat, suffectus à Boningo fuerit, tamen cum apud nonnullos haud obscurè innuisset, se Curatorum literas in frusta concisurum aut in profluentem oceanum abiecturum fuisse, si alium ab eo quem constituerat, nominatum repperisset, haud leviter id reliquos sollicitos ac turbatos habuit, pessimeque de Boningo in posterum existimare fecit. Nam si ad consessum Senatus electio fuisset relata, rem differendam aut aliud pro tempore capiendum consilium censuisset, cum præsertim tot indies morborum incommodis abriperentur. Navarchus etiã Schellingerus, excitus clamore tumultuantium ac diripientium passim ægrorum res, suppetias accurrens Boningum eius mali causam ferebat; quodque dissidium ac distractionem classis moliretur, & simul magis magisque excandescens scelus ipsum hominis compellabat. Boningus navarchum vicissim adhortatur ut verbis, quæ protulerat, staret & re comprobaret. Quod navarchus, convocato mox senatu, facturum se spondet. Sed Boningus cum fabam in se cudi animadverteret, negavit se nautici senatus sententia aut decretis teneri. Tandem tamen res eò delata, ut certis cõditionibus Boningus, curaturâ, quam gerebat, Houtmanno & Iohanni Carolo Iuniori resignatâ, aliam navem conscenderet. Nauclerus quoque, abdicata Hollandiæ navis præfectura, in Mauritium concederet, utroque simul, nisi vocato, in Senatum convenire prohibito.

Boningi cũ Præfectis controversiæ earũque occasio.

Boningus præfecturâ navis Hollandiæ abdicatus.

29.



His peractis operas in unum conferunt, tumultuarium quoddam propugnaculum ad ægrorum præcipuè defensionem raptim excitando, seque in omnem eventum, importatis etiam colubrinis aliquot, adversus Barbarorum incursionem communiendo. Sic cõparatis boum, ovium aliarumque rerum necessariarum copia nõ defuit. Sed mox refectis etiam aliquantulum ægris, cum animadverterent nimiam ibi moram trahi nec comme-

Propugnaculum extruitur.

atum,qui apportaretur,ad usum longiorem tanto in æstu idoneum aut durabilem videri,alio migrare constituunt. Priusquam in naves reducti adhuc omnes essent,pessimum facinus aggressi Barbari,Gubernatorem propugnaculi Nicolaũ Iohannem Fortunam, cum tribus aut quatuor classiarijs seductum paulo extra propugnaculi locum, ut oves, quas se vendere velle simulabant, contemplaretur, ex insidijs, coniecta in gulam eius lanceola,interficiunt. Qui aderant reliqui,socios in subsidium convocant:qui confestim insecuti Barbaros in fugam agunt, paratos jam demortuo quoque vestimentum detrahere. Hoc perpetrato facinore,collectis ex milite navali copijs aliquot ad interiora insulæ procinctum movere; & mox ex numero universo præmissis septendecim; ac reliquis post principia latitantibus,in apertum prodijt nigrorum agmen confertissimum : nam ultra millenos aliquot fuisse referunt : hi dum circumcingere classiarios propiusque accedere molirentur, sclopetus in eos exoneratus est, quo bini simul corruerunt : eoque consternati ceteri fugâ sibi consulere cæperunt : Vno interea, cum adolescentibus duobus, potiti parricidij expiandi occasionem se nactos nostrates crediderunt. Nam confestim in eum lata sententia est,ut palo alligatus eo ipso in loco,quo Nicolaum Fortunã trucidatum diximus,sclopetis transfigeretur : Ad locum supplicij deductus, eundemque cruore adhuc interfecti conspersum intuens,pronus in terram se abiecit & solum & cruorem deosculans. Adolescentum,qui aderant,alterum Houtmannus;alterum Iohannes Caroli secum abduxerunt : Vterque ingenio prompto & ad res linguasque percipiendas parato deprehensus est. Nam exiguo temporis intervallo & intelligere nostratium idioma & loqui nõ incommodè valuerunt. Tertio decimo deinde Decembris, anchoris sublatis, vela ventis fecerunt prætervectique insulam,quam *Hollandorum cæmiterium* appellatam dixi, deprehendêre ex ducentis quadraginta novem,centum & viginti desiderari,morbis omnes absumptos; exceptis duobus, qui ob contumaciam aliaque delicta, suffragio omnium proscripti atque in terram vivi expositi sunt; hac tamen lege addita,ut si aurantia aut citria mala alicubi reperta apportarent, gratiam hoc beneficio mererentur. Sed reversos non memorant. Mox 25 Decembris ubi de rebus ad statum præsentem pertinentibus deliberaturus senatus in Mauritio convenisset, inscijs omnibus Boningus,lembo,qui forte aderat,conscenso in navem Hollandiam se recepit. Idq; Senatui cum indicatum esset,subveritus est,ne quid ibi nova coniuratione turbarum daret: Submisit itaque ad Hollandiam Iohannem Caroli Iuniorem, quod nihil inter eos controversiæ esset : Eoque viso,Boningus dixit,Houtmannus si accessisset, hac eum peremissem,ostentans sclopetam manualem,quam dextra tenebat; addens se vivum ex navi Hollandia non decessurum. Senatus ultro citroque rem versans tempori serviendum, ac differendam decretoriam sententiam tunc ratus delictorum veniam apud omnes publicari curavit : Quam tamen vel ea quoque ratione parum in melius res promota, sequentia ostendent.

Præfectus, Propugnaculi à Barbaro trucidatus.

Barbarus supplicio affectus.

13 Decēb.

Centum & viginti funera.

Duo expositi ac relegati.

Boningus inscijs & invitis Præfectis in Hollandiã navem redit.

Erat jam quintus Iannuarij,quo nimirum Sol verticem eo loci tangit : unde factum ut morbi, & præsertim Scorbutus,denuò ingravesceret. Quapropter cõmuni suffragio, etiamsi Iavam versus, cursum direxerant, ad S. Mariæ insulam appulsum tertio idus Ianuarij,anno 1596. Portum ingressis confestim adfuit insulanus oryzam, saccharum, mala citria & gallinas aliaque apportans. Quibus rebus cum non ad victum tantum, sed etiam ad ægros reficiendos magnopere indigerent,aliquot ibi dies extracti pomis & fructibus modò dictis alijsque rebus coemendis. Posmodum quoque in terram progressi Regulum insulæ salutant, & utensilibus aliquot levibus, ut corallijs, speculis & vitreis quibusdam globulis,quæ omnia apud ipsos magno in pretio sunt, condonant. Rex ipse nulla re nisi nigrore ac noctis,ut ille loquitur,colore,& cornibus binis, ad modum tiaræ Episcopalis,insignis erat. Indigenæ eum *Cheque* nominabant. Hinc vigesimo quinto Ianuarij in sinum Antongilensem insulæ S. Laurentij pervenerunt. Magna hic earum rerum quæ ad commeatum plenè instruendum pertinebant, copia fuit: itaque & navibus de omnibus in universum abundè prospectũ est. Inter cetera cadi aliquot orizæ in singulas naves continuo delati,præter gallinas,saccharum,citria mala aliaq; saluberrimorum fructuum poma, quibus classiariorum scorbutus penitus evanuit. Insulæ descriptionem & magnitudinem,qua Italiam æquat, superius posuimus : Hoc autem in Sinu ad lævam ingredientibus oppidum occurrebat immunitum, ducentarum circiter domuum:ad dextram duo alia erant acutis sudibus cincta: cuiusmodi etiam munimẽtis usos olim nostri cæli insulanos Britannos refert in Commentarijs Cæsar. Casæ folijs aut alga marina,vel stramine contectæ, quatuor vel quinque ligneis fulcris innitebantur,

Scorbutus & morbi recrudescunt.

1595.

Insula S. Maria

Sinus Antongilensis.

Lib. 5. belli Gallici.


duobus

duobus circiter pedibus à terra ſublatis ad vitandos noxiorum animalium, quæ plurima ijs in locis, ſerpentum, lacertorum camelæontum morſus. Incolæ nec ſimis adeò ſunt, ut cæteri æthiopes, naribus, nec ità tumidis ac prominentibus labris, ſed forma nonnihil decentiore & humanitate quoq; nonnulla præditi. Rex etiam ipſis eſt, qui baculum acuminatum ſceptri loco manu geſtabat, reſtricta Goſſypina veſte à lumbis ad talos uſque dimiſſa. Brachia habebat quinis vel ſenis æreis circulis onerata potius quàm ornata. Subditi tanta eum reverentia obſervabant, ut præſente ipſo ne hiſcere quidem auderent. Erga peregrinos tamen comem ſe præbuit. Incolis non *Phudo* modò, ſed & *Andrea* vocabatur. Erant ad eum delegati Houtmannus & Carolus cum muneribus aliquot: quos ille pro more ſuo ita excepit, ut ipſummet bene potum mox cubitum deductum oportuit. Dum autem dormitum deportatur ingenti cornu præcentum eſt, & tympano quoque, triumphi in modum, ſolenniter pulſatum. Potus, quo utebantur, ex humore, oryza & melle in quandam ſimilitudinem vini aut cervisiæ noſtratis compoſitus erat: ut verè dici poſsit, nulla in parte mundi ceſſare ebrietatem; & aquam etiam, heu vitiorum ſolertiam: non apud Germanos & noſtrates tantum, hunc in uſum excogitatam. A Rege ergo ſic demiſsi in reditu iuxta viam binas offendunt manus intra duo ligna defixas: quas incolæ cuidam, in furto aut fædatione arborum, quas *Bananas* vocant, deprehenſo, detruncatas indicabant: ut inde & iura & leges apud eoſdem vigere manifeſtum ſit: Quin & ſpeculatoriæ ipſis animadverſæ ædiculæ, lanceolis, clypeis talibuſq; armis inſtructæ, in quibus etiam excubiæ agebantur. Ipſa vero Bananas arbor eſt, viri proceritate: nullo denſo ligno firmata, adeo ut haud inepte arundineam arborem vocare poſsis: nam cultelli ictu incidi atque amputari haud difficulter poteſt.

Potus inſulanorum & Regis.

Bananas arbor ficuũ ferax.

21.



Præter ſurculum unum non parturit, cuius carpendi tempore arbor ipſa ad radicem abſcinditur, ex qua nova poſtmodum arbor brevi ita pullulat, ut exacto mẽſis unius ſpatio, & in priore ſua perfectione integre conſiſtat, & ficus recentes prioribus omnino, ſimiles proferat. Atque ita per totum ſe annum habet. Vocantur ab aliquibus fici poma Paradiſi, tum propter odoris ſaporiſque ſuavitatem, tum propter ſummam coloris amabilitatem. Sapor enim ex dulci aceſcit modice, odor, roſarum noſtratium eſt; color

vero

vero ex viridi iucunde flavescens. Hæc arbos præcipuam Indis post Palmam cociferam, & utilitatem & alimoniam subministrat. Nam ad folij ex caudice egressum in superiori maxime parte flos, ovi struthiocamelini magnitudine protuberat, leviter rubescens, qui progressu temporis longius extra folia exoritur, adeo ut surculi cuiusdam similitudinem præferat, ex quo deinde ficus aliquam multæ in sese quasi contrusæ enascuntur, quæ primo exortu fabas maiusculas follibus suis adhuc conclusas mentiuntur: Postea vero dimidiæ spithamæ mensura elongantur, haud secus ac vulgares cucumeres. Surculus iste plerumque, ducentis & amplius ficubus prægnans est, quæ in tantam molem grādescunt, ut à duobus baiulis transversa pertica vix gestari queant. Nostrates ex fructibus haud paucos secum, pretio dato, auferebant; Erantque hoc pacto inter eosdem insulanos & nostrates amica omnia adusque 3 Februarij. Tunc vehemens excitata ab Austro & occidente tempestas classem ità iactavit, ut ruptis rudentibus anchorisque abreptis, naves fluvitarent; inque brevia ac littus propemodum deiectæ fuissent, nisi summa vi anchorisque novis se sustentassent. Ex lembis autem minoribus unum aut alterum undarum procellis solutum & ad littus proiectum insulani penitus in frustra concidunt ac comminuunt, clavos, & quicquid usquam ferramenti repertum, avidè diripiunt: quod existimarent, ut credibile est, omnes mari haustos iri, nec unquam ad se redituros. At verò mox ubi, positis ventis, se recollegissent navales, reductis ad pristinam stationem navigijs; lembos simul & scaphas suas repetitum in terras descendunt. Quo cōspecto, Barbari confestim in littus confluunt, truces & minabundi: saxaque in propius accedentes conijcere tentant, descensum quacunque ratione prohibituri: sive quod ultionem metuerent, ob confractas, ut dixi, scaphas; sive quod peregrinorum iam eos tæderet, innata Barbaris omnibus levitate. Navales etsi omnia hostilis animi in illis indicia & vim quoque præsentem viderent, humaniter tamen eos compellant, rogant, ut negotiationem consueto more frequentarent. Sed cum obstinasse animos & certatim missilia iacientes lanceasque & scuta vibrantes animadverterent, arma quoque expediunt, & exonerato sclopeto, unum alterumve traijciunt. Socij reliquorum barbarorum qui aderant, iacentium clypeos sustollunt & perforatos conspicati, fuga omnes per avia & sylvas disperiêre. Inde egressi in terram classiarij, casis vicinis ignem inijciunt. Cumque omnem hoc modo negotiationis spem præcisam cognoscerēt pridie idus Februarij inde solvunt, ægris quoque valetudini pristinæ, ut plurimum, jam restitutis. Cursus patente oceano, recta Iavam versus dirigitur, nec ante mensem quartum ob crebram malaciam & ventorum lenitatem terra prospecta. Eoque temporis totius intervallo ex classiarijs nullus vel mortuus, vel ægritudine aliqua, aut scorbuto, affectus est: quod oryzam & citria mala aliaque illius cæli edulia (quibus abundè ipsis, ut indicavimus, prospectum erat) illis in oris alimoniæ ac sanitati tuendæ existere accommodatiora credibile fit. Et sanè ægrè postmodum habuisse Senatum nauticum hostilia in insulanos tentata & ad arma rem deductam fuisse, cum tam largiter ab illis suppeditata fuissent omnia, mihi ex certorum relatione constat. Erat jam mensis Iunius cum tandem, navigatione continua, per apertum, ut diximus, mare, facta, Sumatram, veteribus Taprobanam appellatam, eminus prospiciunt. Sed priusquam propius accederēt visum Senatui nautico, ut dissidium, quod inter Boningum & navarchum ac cæteros exortum diximus, componeretur: quò, pacatis singulorum animis etiam opera eorundem in posterum expeditiore ac promptiore uterentur. Convocato itaque Senatu, in ius vocatus Boningus, ut causam diceret, subterfugere quidem studuit, adversarium sibi senatum dictans; Comparuit tamen, metu præsertim atq; exemplo cuiusdā classiarij territus, quem paulo ante bōbardis traijci Senatus fecerat, quod navarchum, præter alia delicta, educto mucrone petijsset. Præsentib⁹ omnib⁹ accusatorem adversus Boningum Houtmannus se tulit, dictitans eum nō modò adversus Societatem periurum, sed à classe insuper decessionem Melindam cogitasse: & in sinu denique Antingolensi cum ceteris coniuratis Hollandiam navem invadere & navarcho reliquisque, qui ipsi displicerent, semotis, navem sui iuris reddere decrevisse: Quibus alijsque adversus Boningum prolatis, & testimonijs quoque singularum accusationum adductis, Boningus fere aliud nihil ad postremum illud reposuit, quam necessitate adductum se, id facere voluisse, cum Hollandiam navem, & præfectos præcipuè à se abalienatos animadverteret: Tandem Houtmannus, postulatione instituta, quid nimirum in eum decernendum vellet, ità statutum est: Senatus nauticus accusatione Houtmanni & Boningi quoque ad eandem responsione intellecta, singulisque ultro citroque ventilatis ac perpensis, decernit ac pronunciat, quo inter omnes pax ac tranquillitas cōservetur,

Tempestas, & inde discessus ex sinu Antingolensi occasio.

Relicta Madagascare, Iavam versus navigant.

Sumatra.

Houtmannus Boningi accusator.

vetur, ut Boningus in navi Mauritio, certo quodam loco, qui ad hoc designabitur, captivus ac vinctus detineatur, quoad aliter Senatus universus decernendum putarit: Quin & cavet insuper, ne cum quoquam, vel ex huius aut alterius navigij classiarijs aut alijs, sermones ferat, nisi assentiente senatu. Si verò contrarium fecisse, & discidia ac coniurationes novas, vel scripto, aut alias, machinari deprehensus fuerit, animadversionem ac pœnam ratione delicti subiturum. Post hæc Curatorum literæ successiones singulorum qui aliqua dignitatis prærogativa fungebantur, continentes, resignatæ fuerunt; deprehensumque Iohannem Caroli Iuniorem, Boningo, si quid humanitus accideret, successorem nominatum: Qui & statim, acclamantibus omnibus, in locum Boningi Præfecturam auspicatus est: Eoque peracto, liburnicam vicina circa Sumatram loca explorare & commeatuum quod posset, comparare jubent. Ad famam adventus peregrinorum, Dampinensis Regulus confestim obviam processit; vir austero vultu, nigris oculis, barba rara, mystace mediocri: vestitu utebatur Turcico, magnaq; erga peregrinos reverẽtia.

Boningus in carcerem condemnatus.

Iohannes Caroli Iuni. or Boningo succedit.

Dampinensis Regulus

22.



Eius ministri classiarijs donum offerebant folia quædam, quæ calci permista assidue mãdunt: Betele appellant. Reliqua turba incolarum, nuces Indicas, melones, cucumeres, allia, cæpas, piper aliaque id genus vænum apportavit. Hic cum merces suas vicissim navales ostenderent, easque cum pipere alijsque aromatum speciebus permutare velle significarent, Bantam omnes sermone ferebant: Eum esse locum, ubi omnia, quæ optarent, magna copia prostarent. Conducto itaque, qui viam per Sundæ fretum, sive angustias, commonstraret, artis nauticæ perito homine, multas insulas exiguas prælegunt, ac decimo calendas Iulij ad insulam quandam tria milliaria à Banta distantem, anchoras jaciunt. Fretum verò, quod dixi, intra Iavam & Sumatram est, vulgo *Sundæ Calapæ* stratam sive transitum appellant: ut nihil magis mirer, quàm vocem eam, quæ & Borealissimis populis ea notione hodieque frequentatur, in usu etiam extremis his Indis esse: Notæ enim omnibus sunt *Oresunda* Daniæ; *Stralesunda* Pomeraniæ; & *Trapesunda* Ponti Euxini, pro statione & sinu interiori Oceani; alia que eiusmodi locorum hinc deductæ nominationes. Dum autem hic moras trahunt, Lusitani aliquot Banta advehuntur, in hoc missi, ut quinam essent, qui advenisse dicerentur, quoque consilio venissent, urbis Præfectum edocerent.


Sunda Calapa.

Lusitani Bantenses ad naves accedunt.

V

edocerent. Ad ſingula pro tempore & quod viſum erat, noſtri reſpondent. Inde iterum quærere Luſitani incipiunt an literas adferrent à Principe Emanuele: Quod cum negaſſent, denuò inferebant cõmodiſsimum & feraciſsimum piperis eſſe locum, ad quem appuliſſent, eiuſque Bantam veluti horreum celebrari, ſed minus oportuno tempore acceſſiſſe. Nam ſe alioſque Luſitanos cum Chinenſi bus præcipuum piperis proventum jam coemiſſe: & vix quidquam, eo coemto, futurum reliquum. De Rege interrogati reſpondebant interregnum Bantæ eſſe, rege ad Palinban Sumatræ urbem, quam oppugnabat, non multò ante interfecto: Reliquiſſe eum tres uxores, quarum natu maxima vix quindecim annos expleverat; & puerum, ad quem ſucceſsio pertinebat, trimeſtri ætate: eique tutorem datum avum, qui interea regnum adminiſtraret, quem ſua lingua Quipaten nuncuparent. His & huiuſmodi ſermonibus ultro citroq; habitis, cum jam adveſperaſceret, in urbem lembo redeunt. At noſtratibus, & navium maximè præfectis, hæc Luſitanorum apud Banteſes frequentia non erat ex animi ſententia; haud ignorantibus capitales ſibi hoſtes eſſe, & peſtem ac perniciem, modò poſsint, machinaturos. Tamen obduratis animis decretum unanimiter ut ſe quam amiciſsimos viciſsim ipſis exhiberent, nec ullo humanitatis officio vinci, ſinerent. Sequentibus diebus, & præſertim 23 & 24 Iunij, plurimi quotidie diverſarum gentium, ut Chinenſes, Turcæ, Æthiopes, Malabares, Iavani, Bengalenſes & Moluccenſes ad naves commeabant.

Diverſarũ gentium populi ad naves viſum veniunt.



Erant ex ijs nonnulli, qui Conſtantinopoli, alij qui Venetijs & Romæ non ità pridem fuiſſent: & eorundẽ unus ad navium præfectos ſic infit. Domini, ego ante menſes quatuor Dominum Deumque veſtrum præſens conſpexi: intelligens Romanum Pontificem: Cui reſponſum obiter reddiderunt, ſe Chriſtianos quidem, ſed Pontificem non morari, nec talem agnoſcere. Inde nomine Proregis acceſsit Bantenſis Admiralius, Tomagon Angabaya nomine, adventum quoque ipſis gratulaturus: & cognitis mox itineris tam longi cauſis, multa benevolè liberaliterque promittit, navibus quoque ut propius urbem accederent adhortatur, ſibique ſtationem quàm commodiſsimam eligerent. Et poſt multa benevolentiæ ac favoris edita indicia, præcavebat ne Luſitanis aurem præberent; adijciens etiam piperis abundè ſupereſſe, & ante menſes duos, ſeptem iuncos, ità phaſelos nominant, pipere ſaburratos Chinam verſus profectos: eſſe urbem Bantenſem emporium liberum, ad quod orbi toti acceſſus pateret. Abiturus ſpecimen aliquod ſibi dari petijt mercium, quas apportarent, Proregi commonſtrandum: & traditum, inter alia, holoſerici optimi fruſtum, ulnarum aliquot telam continens. Vigeſimo ſexto Iunij Bernardus Heync Mauritio præfectus è vita migravit: Mors eius inopinata & præceps fuit: morbus diarrhea & febris, quæ vix biduum infeſtaverant. Luctuoſus erat omnibus huius obitus, cum ob morum eius atque ingenij modeſtiam, tum rerum & commerciorum ijs in oris ſingularem peritiam; habebaturque ex præcipuis, cui rei ſummam concrediderat ſocietas. Sunt eò loci exiguæ admodum inſulæ duæ, intra quas cadaver depoſitum

Bernardus Heynck moritur.

positũ,easq; Bernardi insulas hodieq; nostrates nominãt. Die sequenti mittuntur ex primarijs navaliũ aliqui cũ muneribus Proregem salutaturi, necnõ amicè petituri, si quãdo integrũ ipsi esset, ad naves visum veniret, inspecturus simul codicillos & diplomata, quæ à principe suo navium Præfecti haberent: Et ne quid sinistri suspicaretur se interea obsides, ubicunque vellet, mansuros. Respondit venturum se, idque sine obsidibus, cum de eorum fide ac probitate nõ dubitaret. Erat vigesimus octavus Iunij Sabbathi dies, quem ex more & secta Mahumetis religiose Iavani plerique colunt: Quapropter 29 Iunij Capitaneus, statuto tempore, illi cum lembo obviam missus. Qui & in portu eum, cum 17 paronibus, magnoque comitatu accinctum tunc profectioni invenit: Atque ita, Capitaneo suum in paronem recepto, ad naves progressus est. Ipse prorex cum præcipua nobilitate in Mauritium deductus fuit, liberaliterque & musico ac symphonico cantu acceptus donisque ornatus, & mox decessurus ut in urbem nostri venirent, humaniter invitat, nulla in re se eis defuturum. Diplomata & Literæ Principis cum proponi tum cõmodè non possent, in proximum diem dilatæ sunt. Abeunti, & non nolenti, honoris gratia ex maioribus tormentis, singulis in navigijs, sex explosa. Altero deinde die in urbem ablegati qui de fide commerciorum tractarent: Et mox in terram progressi inque aulam regiam solenniter deducti literas, & quæ porrò in mandatis habebant, Proregi ac senatoribus, inter quos Sabandarius & Admiralius haud postremi erant, quàm poterant humanissimè proponunt ac demonstrant. Literæ Principis Arabico & Lusitanico idiomate exaratæ erant. Quarum Arabicæ perquam distinctè & clarè perlectæ fuerunt. Lusitanicas cum Admiralius tum Sabandarius accuratè intelligebant: & lectas relectasque Proregi seorsim explicabant. Est autem Sabandarius non modò à consilijs Regi, sed teloniorum etiam & aulæ universæ curam gerit: Prorex & literas & tanti Principis commendationem sibi quam gratissimas esse respondit, neque ullo modo commissurum ut voluntatem in se eius ac vota aspernaretur: Ideoque & consultum sibi videri ut instrumentum pacti ac contractus utrimque conficeretur: Quocirca ut res effectum sortiretur ex Præfectis duo cum aliquot navalium seu militum primarijs in urbem postridiè redeunt: ijque amicè & magnificè postquam excepti à Prorege fuissent; & tandem de contractu ac literis subscribendis verba fierent, inter alia, Prorex retulit, nulli gentium, nisi ipsis, hoc indulsisse: Ceteris enim voce ac promissione nuda fidem fecisse. Literarum ac fœderis exemplum ex Lusitanico redditum eiusmodi erat: Ex quo summo numini bonorumque voluntati ad nos & portus nostros naves quaternas instructissimas ex oris quam longissimè abhinc remotis appellere complacitum, simulque & literas ac codicillos communicare, cuiusmodi illustrissimus ac clarissimus Princeps ac Dominus Mauritius, Princeps Auraicus Comesque Nassavius Præfectus Hollandiæ, nobis exhibendas postulavit, Comperimur ac deprehendimus tam excellentis Principis amicitiam ac cõfœderationem arctissimam nobis honorificentissimè offerri, eandemque & magis magisque per præsentes confirmari, ac roborari indies, ipsi in votis esse: Quapropter nobis vicissim stat sententia nosque iuramento obstringimus ratum hoc amicitiæ ac societatis vinculum cum illustrissimo Principe necnon vobiscum habituros serioque nos servaturos, & ut servetur, religiose curaturos: ideoque & cõcedere ut vos, aut aliquis vestro nomine in portubus ac urbe nostra commoretur, mercetur ac venundet quodcunque & quoties visum fuerit, haud aliter atq; in solo vobis vernaculo mercari, agere ac versari cõsueveritis: Idq; nos cõtractus syngraphum sanctè præstituros promittimus, fœdifragi ac periuri habendi, aliter si fiat: Quod numen avertat. Hæc ubi manu sua obsignasset prorex; nostri vicissim fidem & obsequiũ eidem in omnem eventũ scripto pollicẽtur. Quib⁹ trãsactis multa de Principe, de bello ac militia deq; negotiationibus nostratiũ Senatores atq; aulici Regij interserebãt: Et tandem eò sermo omnis dilapsus, esse moris, ut quibuscunq; negotiationes & fora sua frequentare permissum esset, eos vicissim Proregem muneribus ornare. Et ut cõstaret quid doni loco Chinenses afferrent, in scheda id annotatũ per Sabãdarium exhiberi nostratib⁹ curarunt: & simul adijci portorij ac vectigaliũ pretium, quid nimirum tam ex mercibus, quæ foras exportarẽtur; quã quæ inveherentur aliunde, solenni tributo penderetur. Quam schedam ubi nostris in manus daret Sabandarius, addebat necessario hoc Proregi præstandum, qui in gratiam eorum & commodum perplurimum posset. Nostri, nihil aliud in animo sibi semper fuisse propositum respõndebant; sed vereri, cum Realios & argenteam tantum monetam ad manus haberent, & ibi omnis negotiatio caixis perficeretur, sibi aliò migrandum fore, ubi monetæ, quam haberent, locus esset: Ad quod reposuit Sabandarius, quid, an existimatis piperis nobis

Prorex cũ magno comitatu ad naves deducitur.

Contractus literæ.

haud satis esse? cum hîc quotannis plusquam 25000 sacci haberi; & Caixi pro Realijs cum lucro permutari queant. Sunt autem Caixi Chinensium nummuli, quibus in contractibus utuntur Iavani. Qua ex materia cusi sint non facile est dicere, quamquam ad plumbum quam proxime accedit. Rotundi sunt, in medio foramen est amplum, quadrangulare. Hos ducentos infilatos circumferunt: 12000 Realium faciunt. A Sabandario deinde amicè & cum actione gratiarum accepta abeundi potestate; à Lusitanis ad sympofiolum, quod apparari fecerant, cum honore vocati deductique sunt. Et licet haud sine veneni ac potionationis, ut cum Suetonio dicã, suspicione, id nostri admitterent, tamen ne primi diffidentiæ ansam darent, honestè effugere aut recusare haudquaquam potuerunt. Mox sexto Iulij cum esset in Mauritio convocatus Senatus, commodum eodem accesserat Proregis interpres, Quillin Panian nomine & postquam gratias egisset pro muneribus, quæ Proregi 4 Iulij submissa fuerant, admonet insuper, eiusdem Proregis nomine, ut ab insidijs sibi caverent: Lusitanos enim, quamquam favoris & amicitiæ signa præ se ferre viderentur, immani tamen odio invidiaque in ipsos flagrare: ægerrimeque ferre de lucro sibi quidquam decedere: ideoque & eosdem cum Cæsare, qui 2 Iulij in navibus fuisset, certis conditionibus adversus ipsos consilia ac pacta inijsse. Erat hic Cæsar magna quidem apud Iavanos & nobilitate & autoritate, quod pater eius universæ quondam Iavæ imperium gessisset: verum ipse, multis expeditionibus ac bellis frustra tentatis, ad incitas redactus honorem tantum & nomen apud insulanos tunc retinebat: coniunx ei erat Lusitanis oriunda. Cõsilium verò Lusitanorum hoc erat, ut Cæsar iste sub speciem favoris & amicitiæ quotquot classiariorum munere aliquo insignes essent ad convivium invitaret: atque inde convivantibus illis Lusitani cum quinquaginta sclopetarijs & aliquot ex Cæsaris satellitio per simulationem officij naves, præcipuis classiariorum sic destitutas, invaderent ac sui juris redderent. Præda & merces potissimæ Cæsari cederent: pro navibus insuper 3000 ducatos eidem persolverent. Et præter hæc adferebat, idem interpres Lusitanos in nostrorum perniciem, non apud Cæsarem modo, sed apud Proregem quoque totos satagere: eiusq; domesticos ac familiares quotidie adire, fatigare precibus, donis tentare, & obtestari ne fides maleficis hominibus adhiberetur; esse non mercatores sed piratas; & in omnibus oris, in quas admissi hospitaliter fuissent impressa latrocinij sui vestigia reliquisse: eiusque rei indicium esse, præter alia, classiariorum paucitatem. Quin & hoc proregi & consiliarijs insusurrare eos dicebat nostrates per mercaturæ speciem regionem jam exploraturos venisse: & si hac vice aditus patefieret, sequentibus annis decem aut duodecim navibus reditum paraturos totumque eius territorium occupaturos. Exiguam hanc favillam esse, quæ nisi in tempore sopiatur, fieri mox posse ut illius incendio omnia Orientis regna conflagrent. Esse denique hostes & adversarios Hispaniarum Regis; cujus haud leve odium in se concitaret, si ad negotiationem ac fædus tales admitteret. Quæ an ita essent, quo nostrates certò intelligerent, unum ex ducibus in urbem dimittunt: Qui ipsum Proregem compellaturus gratias ageret pro indicio & commonefactione, quam eius nomine ad navium præfectos pertulisset interpres. Is ad proregem ubi venisset, omnia ità habere percepit: Et ad naves reversus ordine cuncta ex ore ipsius Proregis Præfectis enarravit: Dicebat quoque Proregem quæsivisse an tormentis suis usque in urbem eiaculari possent: & ut fidenter id facerent admonuisse, quam primum egredi ad naves Cæsarem animadverterent: & deinde adiecisse se quidem pro officio adesse debere, sed post principia cum suis hæsurum, ac nostris indicium facturum. Referebat postremò sclopetos pulveremque tormentarium ac similem belli apparatum in ædibus quoque Sabandarij à se deprehensum. Vnde colligendum videatur Bantenses etiam Cæsari huic obstrictos teneri, siquando ab illo expeditiones suscipiantur: sed peremtum & è medio sublatum exoptare. Nostri, his & huiusmodi intellectis, vesaniam quandam existimabant, quod homines levibus armis & solis scaphis ac paronibus instructi naves se munitissimas expugnaturos putarent. Tamen in omnem eventum, se suaque prælio parant; nequaquam ambigentes omnia acturos Lusitanos, ut vel fæderis societas (si obtineri naves non daretur) cum Iavanis inita, hoc saltem pacto rescinderetur. Sed nostrates nihilominus ut hisce etiam Lusitanorum machinationibus oportunè occurreretur, certum hominem cum donis ad Cæsarem destinant: Qui tamen priusquam abijsset, advenerat Cæsaris nuncius, Capitaneos, duces, Præfectos omnesque alicuius dignitatis classiarios cum tubicinibus & musicis solenniter ad epulum Cæsareum invitans, constituisse nimirum Cæsarem adijciens diem unum aut alterum hilariter cum ipsis transigere.

Caixi.

Cæsar Javanus.

Lusitanorũ in nostros machinationes.

Nostri, magno cum honore gratijs actis, referebant se quendam ad ipsum Cæsarem ablegasse; qui animi sui sententiam aliaque honorificè eidem perferret. Is, quem ablegaverant, priusquam Cæsarem adiret, Proregem salutavit: Qui inter cetera, commemorabat, petijsse à se Lusitanos ut permitteret nostros ubi ad cõvivium venissent, retineri; sed negasse se id concessurum. Mox ad Cæsarem accedens munera exhiberi fecit; inter quæ armatura seu ferreus thorax primo loco oblatus, utpote viro ac principi rerum militarium præcipuè studioso: Deinde cetera tradita; quæ ille summo cum animi affectu ac dignatione ad se recepit, adijciens se illis amicum & benevolentem esse, seductum tamen à Lusitanis propemodum fuisse; nunc resipere, & omnia ipsis felicia ac benigna polliceri. Hoc itaque successu frustratis Lusitanis, Cæsar Iacatram, aliam eiusdem maritimæ oræ urbem, se recepit; quo consilio, post dicetur. Prorex etiamsi technas omnes in fumũ hoc modo abijsse animadverteret, se nihilominus à nostratium cõsortio abstinere ac retrahere videbatur; dolo an metu incertum: Tandem vero sub nonum Iulij naves intravit ex præcipua nobilitate ac domesticis eius Panian jone nomine, linguæ Lusitanicæ callentissimus. Hic interrogare Præfectos cæpit, quamobrem Cæsari thoracem ferreum dono misissent: responderunt haud aliam ob causam, quam quod bellicosum & militaris animi virum esse intellexissent: misisse idcirco donum ingenio ac moribus ipsius quàm convenientissimum: Secundò quæsivit an eandem, quam Lusitani, religionem colerent; negarunt nostri; addentes Lusitanos imagines ac statuas, è ligno ac lapide fabrefactas; se Deum omnipotentem, universi creatorem, adorare: Nos ergo, inquit Panian fratres & germani sumus, Adamus & Eva maiores nostri fuere. Cæsare autem, ut diximus maximis itineribus Iacatram profecto, petijt confestim vicarius ut in urbem nonnulli ex nostris delegarentur, velle se de novo cum eis fœdus ferire, hac præsertim lege ut, quicunque vel ipsos vel se oppressum veniret, in eum junctis viribus ageretur; & quod uni obveniret id sibi quoque obvenisse alter duceret: velle quoque piperi pretium ponere; & de Realiorum valore agere; & denique ædes ipsis assignare, in quibus merces suas exponere negotiaque exercere libere possent; Et simul, ne Chinensium quispiam aut Lusitanorum, quidquam compararet, priusquam ipsi iustum & plenum onus in naves importassent, omnibus edicere constituisse. Placebant hæc omnia nostris, modò sincere & sine fuco prolata fuissent. Dum autem offert ista vicarius se obsidem, & fidei causa, in navibus mansurum Sabandarius promittit: Quod tamen nostri honestè recusarunt, extollentes Proregis & Iavanorũ pietatem; utpote quos maximi fidem facere & verbis etiam eam præstare non ignorarẽt. In terrã ergo ubi nostri descendissent Proregemque salutassent, Retulit se fœdus & societatis vinculum, de quo jam diximus, sanctè servaturum: Ad piperis verò quod pretium attineret, esse eam negotiationem, quæ modò intenderetur modò remissius se haberet: Realios quoque pluris fortasse valituros, quam ipse existimaret: Lusitanos denique, quem in modum excepturus esset, intra breve temporis spatium documentum se editurum. Atque ità, monstratis ædibus, in quibus commercia sua nostri exercerent, Præfectum Regnerum ab Hell cum Nasone Cornelio, & novem insuper militiæ candidatis, relinquendum in ijs ad negotia procuranda decernunt; periculum facturi, an feliciorem fortasse successum res esset habitura quam omnibus dictaret animus. Et præsertim ipse Regnerus ab Hell suspecta omnia ac suspensa habenda censuit: esse has meras calliditates, & artibus Lusitanorum excogitatas fraudes, identidem referens; idque agere, ut mercibus in terram expositis, se quotidie novorum donorum expectatione depecularentur suspensosque detinerent: fore quoque ut non sine vitæ periculo intra oppidum subsisterent, quibus id negotij datum esset. Nec adversabatur magnopere huic vel opinioni, vel suspicioni, senatus reliquus, sed apud archegos & heros suos excusari nequaquam posse dicebant solis suspicionibus negotiationem intermissam fuisse; & maximè dum vociferaretur, atque inculcaret identidem navalium vulgus piper ceteraque aromata coemenda esse temporique atque occasioni, quæ se offerret, serviendum. Quibus & suum applausum ac nutum adderent qui Boningi adhuc partes clanculum foverent. Hoc itaque decreto plurimum sententijs approbato in terram Regnerus descendit curæque habuit ut officina & ædes à prorege concessæ debitum in modum mercibus instruerentur. Et vix parata ac disposita jam omnia erant, cum ipse Vicarius magno cum domesticorum ac nobilium comitatu officinam ingressus est; mercibusque pæne singulis accuratè perlustratis, plura invehenda identidem eorum auribus ingerebat. Ex pretiosioribus verò mercimonijs, ut holoserico, succino vasisque crystallinis alijsque haud pauca sibi selegit ac seposuit; deque pretio eorum cum inter

Cæsar m[illegible] neribus [illegible] catur.

Iulij 9.

Prorex n[illegible] vum f[illegible] dus cu[illegible] nostris i[illegible]

Regneri [illegible] Hell præ[illegible] monita [illegible] suspicion[illegible].

Regneru[illegible] ab Hell [illegible] bus vend[illegible] dis emẽ[illegible] que B[illegible] præficitur.

 eos

eos non conveniret, acturos de eo postmodum commonebat. Cum autem recepti apud Bantenses moris esset, ut, quicunque regio assensu negotiationem auspicetur, pulsu pelvis, quod Chino appellant, indicium eius publicitus facere sinat, id ut solenniter quoque nostrorum nomine fieret per Sabandarium curatum est. Et quia Sabandarij amicitiam ac studium erga se ante omnia sartum tectumque conservandum non ignorarent, eum insigni honorario decem ulnarum coccinei panni, cuius ulna quælibet tres & viginti florenos valeret, cohonestarunt. Regnerum quoque commonendum fecerunt ut rerum, quas vel Vicarius vel Sabandarius compararent, indicationem ac pretium circumspectè ac modestè institueret, cum ab eorum favore ac nutu totius negotiationis summa penderet. Mox 20 Iulij denuò ad naves accessit regius vicarius adiunctum sibi Mahumetanæ sectæ episcopum habens : quod is desiderio teneretur naves videndi: Aderant, præter antistitem, Admiralius Tomagon; Sabandarius & alij ex nobilitate ac Senatoribus haud postremi. Et postquam opiparè omnes à nostris excepti fuissent: & episcopus quoque muneribus cohonestatus, in terram regressi sunt. Sabandarium in navi Hollandia seorsim Iohannes Caroli compellavit, serióque obtestatus est, addito etiam donario, ut de piperis & aromatum pretio in tempore certi aliquid decernendum curaret; suumq; favorem atq; opem (cum de eo sibi semper omnia magna polliciti fuissent) instituto negotio porrò commodaret. Quod ille prolixe & libenter se facturum respondit, & simul in oppidum cum cetero comitatu reversus est. Sequentibus diebus redijt ad naves Regnerus Hellius commemorans se aliquoties cum Vicario de piperis & aromatum pretio verba commutasse: sed ambiguum & varium deprehendisse : & tandem tres saccorum fasces pro uno, ut appellant, caeto obtulisse: Eaque re cum ceteris communicatâ, deprehenderunt vix sibi nummos sufficere, eiusmodi statuto pretio, quò una suarum navium onus integrum acciperet. E re idcirco visum est omnibus, ut nullæ præterea in oppidum deportarentur merces; sed tempori ac foro se accommodarent, dum in sui favorem si fieri posset, in totum Sabandarium pertraxissent. Verum ipse postridie Sabandarius in officinam nostrorum, cum aliquot Lusitanis mercatoribus, ingressus haud minimam de se suspicionem nostratibus ingeneravit : quam dissimulare tamen debuerunt, ne quid ipsi Sabandario sinistræ cogitationis in animum inijcerent. Et post id appropinquante mox Augusto, in publico foro, quod Bazar Iavanorum lingua appellatur, piper aliaq; aromata multo minoris emerunt nostri, quam à vicario postulatum erat. Quæ aliaque ad naves ubi per literas nunciata essent, epistola ad Hellium missa est, in hanc fere sententiam : Quod per literas nobis significatum voluisti, maioris apud Sabandarium & Iavanos fieri Lusitanos, plusque illis fidei, quam nostris tribui; ideoque decretum tibi esse super eo aliquando animi tui sententiam aperire; existimamus è re præcipuè forè ut in toto hoc negotio ita rem geras ne causæ nostræ atque institutæ negotiationi ipse obsis: Nam si prorex eiusque domestici Lusitanis serio patrocinentur, nequaquam consultum putamus ut vel verbis, vel alio aliquo pacto, ullum animi commoti indicium adversus eosdem hoc nomine edas: Qui enim proregi amici ac familiares sunt, nobis quoque, externo saltem modo, tales habendi : Quod etiam proregem multa coemere mones, persuasum habemus eum in finem ab eo id fieri, quod piper aliaq; aromata eorum vice restituere ac permutare cogitet: Quomodocunque tamen res habeat, plura ex bonis ac mercibus in terram exponenda nequaquam censemus, nisi aromata aliaque id genus mercimonia eorum, quæ tradita sunt, loco à vicario reposita comperiamur. Acceptis his literis Hellius non multò post ad naves redijt de valetudine & corporis ægritudine conquestus, referens insuper se animo non exiguam erga proregem diffidentiam cõcepisse: eamque auctam indies ex quorundam, quos sibi fidos haberet, cottidianis relationibus, identidem commonentium, ut sibi caveret; nec bona plura, aut ex navalibus socijs nimis multos in urbe relinqueret. Senatus, his omnibus perceptis sedulòque perpensis, è re existimavit ut Wilhelmus Lodovicus in terram descẽderet, & si quid ex mercibus reliquum esset, distraheret : ipsi interea tempori ac foro intenti, rei eventum paulatim expectarent. Regius vicarius ubi præfectum Hellium in navibus permanere, nec in urbem redire animadverteret, confestim Sabandarium ad naves demisit, qui à nostris amicè & honorifice acceptus rogare tandem cæpit cur in urbem ad negotia finienda nõ redijsset Hellius: esse enim oportunissimum iam tempus, ut mercibus distractis & in caixos commutatis, mox parata & ad manus esset moneta idonea ad aromata & piper aliaque talia coemenda. Responsum à nostris est dubitare se an negotiatio eo loci institui posit, ex quo Realios non admodum à Bantensibus expeti viderent: & præcipue Lusitanos

20 Iulij.

Episcopus Mahumetanus.

Literæ ad Hellium.

Hellius valetudinem simulans ad naves redit

Sabandarius ad naves venit.

sitanos nimium quam familiares proregi esse, eiusque perpetuo limen obsidere. Quod honestè excusare Sabandarius voluit opem omnem & favorem nostris pollicitus, idq; re demonstraturum, quamprimum de pretio aromatum constituendo tractaretur: Quod & futurum propediem certò promittebat. Nostri, Sabandarij pollicitationibus benigne acceptis, omnia vicissim felicia ei, & nequaquam ingratos futuros spoponderunt. Cum ergo hoc loco res essent, visum senatui fuit urgente præsertim & multa insuper in commodum ac prærogativam nostrorum addicente prorege, ut ex Præfectis aliquis in urbe consisteret. Eaque provincia Iohanni Carolo Iuniori demandata. Et aliquot deinde diebus emendo vendendoque transactis, officinam intravit cum nobilibus aliquot ipse Vicarius mercesq; sigillatim versans ac notans interrogare cœpit num in navibus plures haberent, addens simul, ad explorandam regionem eos accessisse, ad quod modestè à Præfecto responsum est, sibi de omnibus satis prospectum esse & maiorem suarum mercium, quam ab illis piperis copiam hucusque fuisse venum expositam. Atq; hinc 200 Realios commodato sumsit, redditurus eosdem ad modum valoris: quo ab ipsis distraherentur reliqui. Dumque in hunc modum ad dies aliquot rebus emendis vendendisque curaret Carolus sub Augusti 12 ad naves regressus est: & multis ultro citroque cum præfectis reliquis, quos in id convocari fecerat, de re universa communicatis, addidit postremum, id præcipuè Iavanis curæ & cordi esse, idque agere sibi videri ut mercimonia quam plurima è navibus in terram deportata nanciscantur; nec de solutione aut mercibus alijs, eorum loco reponendis, quidquam cogitare: imo effugia omnia sectari ne id facere teneantur: eique rei argumentum certissimum esse quod officinæ & horrea eorum aromatibus ac pipere constipata sint: quodque ex Chinensibus obtulisset unus 500 piperis saccos, modò eos in naves transferendi sibi potestas à prorege concederetur. Non etiam ambigendum putabat idem Carolus has moras atque elusiones à Lusitanis fuisse procuratas: qui apud vicarium eiusque domesticos summis conatibus operam darent, cursando, prensando, calumniando, & quacunque demum ratione possent, ut cœptam a se negotiationem interrumperent. Hæc postquam in omnes partes apud Senatum versata discussaque fuissent, unanimi consensu decretum est, ut solutionem quam humanissimè urgerent, quò tandem piperis atque aromatum onus, jam diu promissum, naves acciperent. Electi ad hanc rem Houtmannus & Carolus; Qui in oppidum profecti ad Vicarium adeunt, amiceque cum eo agere de pretio instituunt. Verùm vicarius multa concedendo, sed re ipsa nihil aut parum præstando, modò hæc modò illa effugia confingere; & tandem ad dies aliquot extra urbem cum se recepisset, meras tantum moras ac fraudes machinari deprehendebant. Eaque dum agerentur, accessit ad nostros animo perturbato Petri Taydæ famulus, multa de Lusitanis conquerens, & præsertim quod herum suum in lectulo innocenter decumbentem parricidiali manu peremissent, instinctu præsertim sacrificuli, quem à sacris ijdem Lusitani haberent: Nec aliam tanti facinoris causam eis fuisse, quàm quod nimia nostrorum familiaritate usus fuisset; ideoque manus atque insidias sacerrimorum istorum hominum effugere haud quaquam potuisse. Erat hic Tayda regionum istarum inquilinus, sed Lusitanis oriundus: vir matheseos & navigationum, illis præsertim in oris, singulariter gnarus: nostris unicè charus & familiaris, utpote qui Lusitanorum quoque calliditates præcipue intelligebat, nostrosque, ut sibi caverent, sæpenumero ac sincerè commonebat: Quas etiam ob virtutes atque animi dotes omnia sibi summa de eo in posterum nostrates promiserant. Prorex de parricidio isto certior redditus, quæsivit ex nostris quonam id pacto vindicãdum existimarent; responderunt patrijs suorum legibus eiusmodi delicta capite plecti & bona eorum, qui sceleris authores fuissent principis fisco adiudicari. Quod posterius arripuisse aiunt, & in ære non pelle multari ac luere reos iussisse. Quamvis alij, etiam prorege non nesciente, tentatum hoc scelus commemorent; & vulnere leviter primò sauciatum evasisse Petrum, sed inde in lectulo oppressum confossumque. Narrabat denique idem Taydæ famulus, proregem peregre & extra oppidum in hoc solum profectum fuisse, ut cum Cæsare consilium & viam, quam possit tutissimam iniret, de navibus nostratium invadendis. Quæ tamen omnia apud præfectos tecta ac celata fuere, ne animi navalium subito hoc nuncio atque inopinatò fortasse perturbarentur; licet interea & se navesque in omnem eventum ad eiusmodi insultus, quasi aliud agendo, parari atque instrui præfecti curarent. Postea cum vicario denuo de piperis pretio tractare cœperunt; sed iterum iterumque diverticulis eum uti haud obscurè comperiunt; adeò ut in os ei dicerent: Si onus hic nullum superest, quod naves, secundum promissa, accipiant, in quem ergo

Nostrorum apud Sabandarium querela.

Ioh. Caroli Bantam mittitur.

12 Augusti. Relata Ioh. Caroli.

Senatus decretum de solutione exigenda.

Petrus Tayda à lusitanis interimitur.

Elusiones proregis.

ergo finem suspensi ulterius detinemur? Cur non, solutione nobis facta, demittimur? Quibus preceptis, Vicarius postulatis eorum ut primo quoque tempore satisfieret, promisit. Sed quem in modum facta dictis responderint, postea apparuit. Nam 22 Augusti cum ad Vicarium iam tertiò redijssent, quæsivit ex ijs nunquid novi intellexissent: Nostri quod obiter inaudissent, referunt; Iacatræ regem expeditionem aliquam meditari; sed an ita revera esset, ignorare se. Prorex ita se habere, & certum esse respondit: addebatq; Iacatræ regem patruum esse regis Bantensis, cuius ipse avus existeret: quodque patruus idem Bantensium imperium ac regis tutelam sibi competere judicaret, sed abnuentibus id & nolentibus ipsis Bantensibus: & simul Duces compellat, num auxilio adesse velint, si quis infantis adhuc principis ætatem ludificari, & atterere eiusdem imperium aggrederetur. Responsum dedere, se hoc omnino præstituros, & ad id ex officio quoque ac fædere inito teneri, simulque, si usus hoc posceret, & præsertim, maritimo prælio, omnia de sua voluntate prolixè ac studiose promittebant. Vicarius cum idem hoc identidem ex nostris quæreret, interrogare eum vicissim nostri cæperunt an fidem ipsis non haberet; ad quod ille, imo vos, inquit, de mea meorumque fide dubitatis: Tunc nostri, illustris Domine, inquiunt, ante dies decem aut duodecim fides nobis data est, ut naves nostræ piperis & aromatum onus continuò acciperent, cum interim nihil fiat: sed econtra Portugalensium aliorumque ædes ac naves onerari conspiciantur; idque præter datam fidem, & fædus quoque jnter nos percussum; in quo disertè cautum, ne ullis nationibus aliquod aromatum pondus ullo pretio tribueretur, antequam navibus nostris justum onus esset impositum. Se idcirco orare, ut fidei suæ ac dignitati consuleret. Iter enim, & tempus profectioni oportunum, instare, neque se posse diutius in eo portu consistere: Ni faceret sibi omnino persuasum fore & firmiter credere (quod multi etiam monerent) se ab ipso suspensos tantum teneri, & hoc præcipue agere, ut iter à se institutum moretur. Prorex cum hæc accepisset saccos, inquit solummodo procurate, en piper paratum est; sed de pretio nihildum definio. Quod iterum effugium nostris non erat ex animi sententia. Collegium itaque nauticum, ubi in pleno consessu relata hæc omnia ventilataque accepisset, è re fore putavit, ut de oryza & aquatione ceterisque ad commeatum pertinentibus, continuo navibus provideretur; & in terra, quam possint paucissimi relinquerentur. Nec multò post solus Houtmannus in urbem missus, nonnulla ex bonis & mercibus, quæ reliqua adhuc erant, proregi divendidit: Qui inter cetera, ad Houtmannum conversa seorsim oratione, referebat Senatum Bantensem super commerciorum negotio plenè jam & certi quid constituisse: itaque de re tota tractaturi frequentes accederent. Quod cum ad naves nunciatum esset, visum omnibus rem quamvis suspectam adhuc habentibus, ut Houtmannus & Carolus cum certo comitatu in terram profecti de novo cum ipso agerent, tentarentque postremum an etiam hoc promissum per elusionem frustraturus esset. At prorex ubi ad rem ventum est, multa, ut prius, nostris concessit, sed exceptionibus perpetuis ità etiam ea ipsa quæ permitteret, circumscripsit, ut facile appareret morari tantum nostros propositum habuisse. Quod cum satis superque perceptum atque exploratum jam nostris videretur, expostulare cum eo, & quærere instituunt, quem in finem moras necteret, cum tamen granarium eius quod *Goddon* Iavani vocant, pipere & aromatibus stipatum esset: respondit in crastinum se convocaturum Chinenses omnes; tantum Realios sive Philippeos millenos in oppidum secum ex navibus deferrent, paratosque haberent; operam daturum se ut pretio usitato emtio perficeretur: Responderunt nostri pecuniam haud defuturam, modò onus promissum navibus inferatur; sed retardari se quotidie, indiesque fere novas in terram merces à se deferri, nec quidquam nisi verba, reponi. Quod ubi Andimon, unus ex præcipua nobilitate, audisset, nostris dicebat, Franciscum Maresium Lusitanum pridie eius diei piperis & aromatum magnum numerum ab incolis accepisse: & cur ea nostri non emissent, quærebat. Ad quod ex præfectis unus, hunc in modum respondit; id verissimum esse, atque inde liquere, quam illud fædus, ad quod jam sæpe provocaverant, inviolatè servetur, quo cautum fuerat ne Lusitanis ullis, aut Chinensibus aut Guzerattis aut ulli denique gentium alij piper aut aromata divenderentur, antequam ipsi debitum onus accepissent: & quod amplius esset, ne quidem rationum dispunctionem obtinere hactenus potuisse, etiamsi pluries institissent: Quæ omnia quam grata principi suo futura essent, ipsos conjecturam facere posse. Et dum ultrò citroq; sermonibus hæc alternarentur, intravit ex classiarijs, qui diceret inhibitionem publico in foro factam, ne quisquam Hollandis oryzam venderet: Nostri ubi causam huius rei quærerent, responsionem

Oratio nostrorum ad proregem.

Expostulatio cum prorege.

Commeatũ emere nostri prohibentur

nem ex tempore paratam prorex habuit, inhibitum id quidem à se, sed eo respectu, quod urbi de oryza haud satis prospectũ tunc esset; at mox ubi copia maior allata foret, liberũ ipsis futurum, quantum vellent, sumere. Vigesimo octavo Augusti, vir nobilis Sattij Moluc homo quidem Indus, sed parente Italo, qui Christianismum abnegaverat, prognatus, ad nostros adijt monuitque ut sibi caverent: paratos enim Iacatræ haberi octuaginta myoparones, quibus propositum esset naves invadere. Nostri, quamvis id flocci facere, & pro merenda videbantur habituri, ut dici solet, Cyprij bovis; tamen merces & intra oppidum relicti socij sollicitos reddebant. Nam ad arma si veniretur, & bonorum amissionem & socijs præsens periculum imminere non ignorabant. Præfecti autem ipsi dum omnia quæ acta fuissent seorsim atque inter se versarent ac recognoscerent; Quod nimirum conquesti fuissent se nec piperis onus, nec rationum dispunctionem obtinere hactenus potuisse: Quodque Lusitanis contra fœdus & pacta piper omniaque concederentur: & denique quod Houtmannus Sabandario palam dixisset iniuriam sibi & suis fieri, se deludi diutius nolle, & solutionem in crastinum expectare; quodque praeferociter & cum stomacho respondisset Sabandarius, nondum id sibi integrum esse: & quod statim replicuisset Houtmannus, sibi ergo occasionem datam Lusitanorum myoparonem (qui tum Malaccam iturus onus acceperat) vi detinere: Hæc inquam, ubi secum omnia perpendissent, existimabant rem ad summa deductam, & indubitatò intellecturos brevi quid ageretur. Ideoque & idem Houtmannus in medium consuluit num è re foret, ut Præfectus Carolus cum lembo & comitatu suo ad naves rediret: nam addebat Senatus consessum necdum, abeuntibus sese, dissolutum fuisse, nec sciri posse quid in peiorem fortasse partem decerneretur: Et denique sinistri aliquid dictare sibi animum; rogare idcirco ut pedibus in suam sententiam irent: Cumque assensi fuissent reliqui, nihil moratus Houtmannus, priusquam oram solvisset Carolus: Et vix extra fluvioli, qui urbem interluit, septa se promoverant, cum ecce proregis satellitio circumcinguntur ædes, in quibus, permissu eiusdem proregis, res suas nostri agebant. Erantque hæ ædes littori viciniores, quam palatio, adeò ut adesse adhuc universos prorex crederet. At vero ubi scapham alteram ad naves redijsse nunciaretur, & ex viris viginti sex, tredecim tantum relictos, facti pœnitere eum cæpit, uti postea ex ipsiusmet confessione innotuit, referentis satis sibi constitisse exosum apud plurimos classiariorum Præfectum Houtmannum; & Carolum econtra Molenario ac ceteris navarchis amatum & charum haberi; eiusque parentem quoque ex archegis expeditionis istius haud postremum existere; ideoque nec dubitasse quin hortatu reliquorum ad naves se reciperet. Vbi vero quærere exinde cæpisset, quis nostros istius consilij sui compotes reddidisset; responsum à nostris fuit, ita secum fraudulenter agi, ut etiam ex præcipua ipsius nobilitate viri ingenui & qui dolum malum aversantur, cavere ac monere se nunquam destiterint. Verum prorex excusatione usus, se quodcunque fecisset, ab hominibus fraudulentis Lusitanis, persuasum fecisse dicebat. Carolus verò ubi ad naves redijsset, de totà hac re, nisi postridie ex interprete proregis, qui cum uno ex nostris ad naves accesserat, certior fuit redditus. Iusserat enim per interpretem eundem nunciari vicarius, nihil periculi fore, errorem & sinistram interpretationem mali causam fuisse, animis modò quietis essent, rem bene cessuram. Apud navarchos interim ubi percrebuit suos captivos teneri, interpreti similiter cum insulanis aliquot, qui interpretem deduxerant, manus inijcere instituunt, renuentibus & contranitentibus Præfectis, qui identidem dicerent eiusmodi quam plurimos haberi posse: & hac re magis magisque exasperatos iri oppidanorum & proregis animum; operam dandam ut sui quam citissime ac minimo negotio demitteretur: Et simul Houtmanni literas navarchis exhibent in quibus obnixis precibus collegas universos obtestabatur, ut interpretem & reliquum eius comitatum amice demitterent, idque nisi fieret omnia in se suosque editiorum pœnarum exempla palam comminatum vicarium. Atque ita captivorum præcipuè intercessione dimissi illi. Trigesimo deinde Augusti iterum ad naves nunciari curat, se etiamnum meliora sperare, tantum rogare ut quietos se contineant, & velorum antennas ad basin usque malorum, singuli submittant, quò malevolentiæ omnis ac suspicionis tolleretur occasio. Rescriptum Houtmanno fuit, rem totam ad senatum fuisse delatam: eundem unanimiter statuisse, nolle se diutius elusionibus & vana promissorum spe lactari, sed demonstrari constituisse, technas eorum ac dolos jam dudum sibi perspectos esse: Ideoque reipsa, quod iustum & æquum esset, effectum redderent, aut se, ut jus suum obtineant, viribus utendum decrevisse. Quo audito, dolere & queri denuò Houtmannus cæpit, & nimis esse præcipites dicere; tantumque trium aut quatuor

Techna & apparatus ad invadendas naves.

Nostrorum præcipui se Banta subducunt.

Houtmannus cum suis Bantæ detinetur.

Houtmanni ad Præfectos & duces literæ.

Responsum ad literas Houtmanni.

quatuor dierum se moras orare, dum solvisset, de quo ante dictum, Lusitanorum myoparo, aromatibus & pipere ad plenum oneratus: adijciebatque, myoparone illo Malaccam deproperato, & stabilem amicitiam & fidele ac tutum commercium à prorege nostris promitti. Verum, re cum ceteris communicata, responsum tandem fuit, amicas illas & blandas promissiones eò solum spectare, ut myoparonem Lusitani abducant: imo metuendum esse ne & ipsi eodem myoparone Malaccam abvehantur; idque se non nisi post factum, & quando Phryges sapiunt; intellecturos: se itaque quod è re foret & occasio ac tempus postularet, facturos. Sed & his rescripsit Houtmannus; myoparonem in totum itineri paratum esse, nec de sua aut suorum deportatione quidquam inaudire potuisse; se eventum opinione meliorem sperare: ideoque seriò orare atque obsecrare ut ab armis desistant; & literas ad Vicarium dent amicitiæ ac benevolentiæ indices. Quam in sententiam variè assensum fuit, nonnulli enim, navibus ad urbem quam proximè admotis, vi & armis extorquendum putabant, quod iure negatum fuerat: Alij, ut pacis atque amicitiæ quæ fœdere contineretur, se semper cupidissimos fuisse atque esse demonstrarent, amicè ac humaniter proregis animum, priusquam ad extrema veniretur, subeundum ac tentandum de novo judicabant, habita interea myoparonis, ne elaberetur, diligenti ratione. Missæ itaque ad Proregem literæ additusq; libellus, in quo hæc præcipuè habebantur: Se, adspirante nutu numinis, ablegatos ad eum ab illustrissimo Principe suo (attestantibus id eiusdem principis codicillis, qui pleno in consessu palatij ipsius solenniter exhibiti ac perlecti fuerunt) post varios casus plurimaq; rerum discrimina in portus ipsius naves appulisse, atque eiusdem principis sui nomine amicitiam & firmum cum ipso fœdus ferijsse, utpote iuramento & syngrapho ipsius roboratum: Arbitrari enim principem suum, esse se cum Regibus, qui dignitate & virtute multum excellerent, naturali quodam modo sociatum; nec esse ad voluntates conglutinandas quidquam similitudine virtutis efficacius: Atque inde maiorem in pacis ac fœderis duraturi fidem ipsum se ducibus, & duces vicissim se ipsi mutuo obstrinxisse iureiurando, cuiusmodi Deo præstari validius aut maius nequeat, alterum nimirum alteri impedimento futurum nullibi, sed ope omni & consilio, ut fratres, ubi occasio & res ferret, præsto semper adfuturos: seque, hac fide data acceptaque, in terram venisse, bona & merces, quas ipse expetisset, secum contulisse; eorumq; optionem ante omnes ipsi concessisse, ut eorum mox loco piper & aromata redderentur: Quæ tamen post tot promissa tamque longam eorum expectationem nunquam allata fuerunt: sed potius aliorum sinistris persuasionibus inductum classis suæ ducem cum socijs detinuisse: Idque vehementer demirari se, præsertim cum causam eius nullam aut pacti violati occasionem, ullatenus dederint: interpretem quidem ipsius in navibus continuisse, sed indemnem confestim remisisse: qui & idem de duce capitivo se impetraturum promiserat: Atque eo cum frustratos se viderent, misisse denuo ad ipsum ut suos cum mercibus reciperent: simulque petijsse, ut secundum pacta promissaque utrimque pax & amicitia coleretur, repetita, quæ dies jam aliquot intermissa fuisset, negotiatione: seque hoc pacto ex lege initi fœderis etiam sanctè tum pollicitos, & etiamnum polliceri, nulli subditorum ipsius detrimento se, sed adiumento potius futuros: At contra si fiat, se ex officio & juramento, quod principi suo clarissimo præstitissent, omnino teneri illatam iniuriam à se propulsare inque eos vindicare, qui navium suarum Ducem ac Præfectum, reliquosque eiusdem ministros & bona, violenter detinerent possiderentque. His literis ex ducibus Regnerus ab Hel & Iohannes Caroli; ex navarchis Molenarius & Schellingerus cum Simone Lambertio necnon Henrico Iansonio subscripserant; certoque ad Proregem perferendæ piscatori cuidam traditæ. Verum à prorege cum nihil æqui responderetur, imo nihil omnino responderetur, convocato extemplo Senatu, decretum fuit vim experiri. Nam ex silentio eius nihil boni augurandum dicebant, ideoque summis animis festinandum ac præveniendum ne sui, quod suspicabantur vincti Malaccam deportarentur. Itaq; Senatu denuò habito, in hanc sententiam itum est, ut anchoris sublatis, urbem versus vela panderent. Vnde & statim à meridie, capto vento, qui à nostris *Zeewint* dicitur, quòd aperto ibi ex mari efferre se tunc pro more solet, plenis velis, vexillisque explicatis, ad urbem feruntur: prorisque, quam proximè potuit, ad littus admotis, tormentis mænia converberant, quorum vi non ædificia tantum mæniaque lacerata, sed etiam multi incolarum sunt interfecti. Lusitani qui intra oppidum erant, & machinas murales Iavanis peritius tractare se posse putabāt, in nostros, vicissim displodere easdem aggrediuntur, sed vago quodā modo, & nulla propemodum arte; ac proinde minori, imo nullo cum nostrorum incommodo.

Aliæ literæ, & ad eas responsum.

Literæ & libellus Ducum nostrorum ad Proregem.

Banta à nostris oppugnatur.

commodo. Neque enim quispiam perijt; una tantum navium malus leviter percussa. Interea nostrorum Liburnica, qui erat navium minima aliquot adiuta celocibus tres myoparones è litttore abripuit & ad naves perduxit. Erant hi myoparones (exceptis piscibus & commeatu) nucibus Moscatis, garyophillis, alijsque fructibus pretiosis onerati: Et præter Malabares quinque, qui Lusitanis servitutem serviebant, Chinensis quoque unus in ijsdem deprehensus: Omnesque navibus nostris impositi, non tam dolebant, quam duram illam vitæ conditionem meliori se commutaturos gaudebant. Erat & alius insuper myoparo (iuncum illic appellant) littori & foro urbis quam proximè in anchoris adsistens; in quem garyophillorum onus 25 lastarum Lusitani deportari paulo ante curaverant: cumque similiter ubi liburnica peteret, à Lusitanis, ne in manus nostrorum veniret totus concrematus est. Hæc dum agerentur scapha sub occasum fere solis ad naves cum literis ab Houtmanno submissa, quibus referret, se cum reliquis, collo applicitis laqueis, extremo supplicio jam destinatos: Sibi interim mandasse proregem, ut literas ad suos daret moneretque ut à vi atque explosione tormentorum cessarent, remotisque ad veterem stationem navibus, prædam, quam accepissent, sartam tectamque servarent; futurum idem mercibus, quas ipsorum nomine teneret: Petebat præterea suo nomine Houtmannus, ut hac occasione denuo ad proregem literas darent significarentque se quod fecissent silentio ipsius impulsos fecisse, quod nimirum ad libellum, quem benigne misissent, ne verbo quidem respondisset; Existimasse enim hominibus suis infortunij ac sinistri quid accidisse. Eaque Houtmanni petitione coram Ducibus totoque Senatu deposita, variè iterum assensum est: Nam alij ius suum vi porrò persequendum, & duro nodo durum adhibendum cuneum; alij mitius & humanius agendum, Houtmannique votis hac etiamnum vice obsecundandum judicabant: Eaque posterior obtinuit sententia, conscriptumque liberale ac prolixum epistolium, in quo præcipuè pacis ipsi & amicitiæ officia studiosè detulerunt, paratos se addentes myoparones cum mercibus omnibus in universum sartos tectosque restituere; modò ipse vicissim, quod suum esset, præstaret, sociosque & charos suos è custodia ac vinculis dimitteret. Econtra verò si fieret, teneri se ex officio iniuriam vindicare. His literis in urbem missis toto eo die induciæ fuere, vexillumque in pacis signum sustolli à navium puppi curatum; liberque piscatoribus in urbem introitus atque exitus permissus. Est enim piscatorum ibi ingens numerus; nam centeni propemodum oriolis suis sub auroram quotidie Banta solvunt, & mox à meridiè, exserente se ordinario illo, quem dixi, vento, ad urbem regrediuntur. Cum autem ne tunc quidem à prorege responsi quidquam redderetur marino vento, sub meridiem ut indicatum pro more se extollente, ad urbem acti tam prope accesserũt, ut fundo propemodum ac vado carinæ inhæserint. Liburnica vero cum littori quam

Literæ Houtmanni ad nostros supplices.

Altera nostrorum ad Proregem epistola.

Induciæ sed breves admodum.



proxime applicaretur arenis ac syrtibus adhærescere atq; involvi quodammodo cæpit. Nec interim à tormentorum explosione à parte navium cessatum est: dum tandem

X 2 oppidani

Novum cũ Bãtensibus & Lusitanis prælium. oppidani cum Lusitanis ad arma convolant, celocesque 24 expediunt, viris armatis quã instructissimas. Has remis citissime propellunt, rectaque ad Liburnicam contendunt, rati nullo negotio solam relictam capi posse: Acie instructa sex à tergo, decdecim à frõnte immittunt, rem factam ac victoriam pæne partam jam existimantes, quod scirent vix decem hominibus, qui arma ferrẽt, instructam eam esse: At Liburnicæ, quod ignorabant Iavani lembus è navi Hollandia auxilio venerat, viris quatuordecim debitum in modum armatus: atque horum simul opera ex arenis eluctati diligenter ad vim excipiendam se parant: dispositisque tormentis, nullum nisi in propinquos & confertim iam irruentes exoneratum est: Depressis aliquot celocibus; reliquæ extemplo in fugam conversæ: fuereque ex insulanis ut postea compertum est, ultra centenos partim occisi, partim vulnerati, cum interim nostri nullum incommodum accepissent. Satti Moluc, cuius & antea meminimus, homo nobilis & nostris fidus semper, ac familiaris, ex suo satellitio septemdecim solus amiserat. Vnde & Houtmannum à prælio cõveniens per ludum quasi & iocum obiecit, sibi, amicorum ipsius optimo, maximum detrimentum illatum fuisse. Fusis & fugatis hunc in modum insulanis, magnam sibi nostri, ob rem fortissimè gestã, & famam & laudem pepererunt, præsertim quod non nisi decem viris instructam Liburnicam fuisse etiam prorex ipse persuasum haberet, ignarus nimirum quod cum lembo nonnulli auxilio submissi fuissent. Dum autem adversus Bantensium celoces rem hoc modo gereret Liburnica, nec nostri ex navibus, præter illum lembum, ampliores copias subsidio mittere valerent, sollicitos id quidem eos habuit, sed ità ut multò interea vehementius tormentorum pilas in urbem eiacularentur, idque ad vesperam usque sine missione. Nam ultra centenas vices explosas fuisse, quas intra naves habebãt, tormentorũ ponderosissimas machinas, certò cõstat. Nec de nocte cessatum fuit, sed repetitis explosionum vicibus; quò assiduè infestos ac suspensos oppidanos detinerent. Mulierculæ urbis perplurimæ in custodiam se apud nostrates abdiderant, existimantes atque identidem referentes ipsos ab amicis suis globorum ictibus nequaquam petitos iri; Cumque tecta ædificij pilæ penetrarent submittebant sese, intraque tegetem, quem ex scirpo confectum secum adduxerant, capita condebant. Dumque agerentur ista, & myoparones sive iunci, quos nostri ceperant, ob rimas & assiduam concussionem aquam haurirent, coacti fuerunt eosdem exonerare, reservato bonorum omnium, quæ suas in naves transponerent, accurato tabulario atque apophasi. Octavo deinde Septembris cum jam suburbium, in quo Lusitani cum Chinensibus præcipue habitabant, totum propemodum concussum ac tormentorum ictibus disiectum à nostris esset, necnon & Liburnicam sartam tectamque recepissent, paululum ex illo sinu cum navibus regressi sunt, ita tamen, ut haud magnum inter urbem & nostros spacium interesset: Allatæque eiusdem diei vergente jam ad occasum Sole, ab Houtmanno literæ, quibus de periculo, in quo versarentur collegas certiores facit, rogatque ut à vi abstinere, & ab oppidi sinu cum navibus paulo longius recedere velint: Esse totos in eo Iavanos ut naves, occasione capta, invadant atque opprimant; idque artificiosis præsertim ignibus ac machinis flammam evomentibus. In quibus excogitandis ac conficiendis cum præcipuè valere atque ingeniosos esse eosdem Iavanos Lusitani non ignorent, id quam primum ut fiat, seriò, instare, atq; hortari ut masculis hoc animis agant, haud esse viam certiorem demonstrantes ad naves in universum perdendas quam si ignes eiusmodi per foros tormentorumque valvas undique navibus inijcerentur; rogare itaque se ut altum petere non intermittant, quò ab imminente periculo tutiores, & ad vim arcendam paratiores in omnem eventum forent; commonebat insuper se cum alijs aliquot ex suis in senatum productum, Episcopi, qui omnium primus rogari solet, hanc sententiam accepisse: deducendos nempe extra oppidum captivos universos, & ad littus maris in ore atque oculis navium palo alligatos, pugionibus confodiendos: sed ab ea sententia seorsim censuisse ceteros, esse nimirum in sua potestate captivos, nec imperium ipsorum apud reliquos, qui in navibus essent, locum habere, posse idcirco supplicio semper reservari: atque hanc sententiam secutos præcipuos. De aquatione quoque hoc adiecerat; non latere Iavanos cã maximè jam navibus opus esse, ideoque aquaturis circumquaque insidias structas: Et denique plurimum querebatur myoparonem unum, qui præter commeatum vix ullum onus habuerat, ab Hellio incensum, & vẽto, quem ibi ex alto semper à meridie despirare diximus, plenis ad urbem ignibus delatum: sese ea de causa mille cruciatibus confici ob comminationes, quæ assiduè intentarentur. Senatus, re cum ceteris perpensã, hoc præcipuè responsi dedit, se vicem eorum dolere & quod ad bona attineret, quæ in myoparonibus

Houtmanni epistola.

ronibus reperissent, paratos se esse ea omnia, captivis dimissis, bona fide restituere: Si verò armis experiri mallent, id licere, nec se in mora futuros. Ipsi quoque proregi literæ postremum missæ, quibus amicitiam & pacem cum eo colere se nunquam detrectasse indicabant, servatis perpetuo fœderibus ac pactis, quibus cautum fuerat, ut amicè utrimque negotiatio frequentaretur, nec ulla navis aromatum onus acciperet antequam navibus suis fuisset justum pondus impositum: id verò quem in modum cum ab ipso, tum reliqua Bantensi nobilitate, servatum sit, myoparones Lusitanorum, qui aromatum nihilominus onus accepissent; tum suos præcipuè testari posse, qui in vincula coniecti, quamprimum de solutione & piperis promisso verba facerent; Adeò ut ad arma capienda & iniuriam à se propulsandam adacti accesserint: Se itaque commonitum ipsum voluisse, ut à Lusitanorum pravis consilijs abstineat, hoc agere eos ut sibi insatiabili dominandi libidine omnia subijciant: Seque deinde vovere atque optare addebant, vellet secum animo reputare quanta nepotem suum, infantem Regem, dum malevolis aurem commodaret, non modo bonæ famæ atque existimationis sed lucri quoque usura fraudaret; Et econtra (modò rectis consilijs insisteret) quantus diademati ipsius fulgor, & si utilitatem spectet, utilitas accederet, ubi cum tanto principe, cuius amicitia prolixè offertur, pax & fœdera inviolatè colerentur; singulisque exinde annis frequentes è Batavia in regnum illius omnigenis onustæ mercibus naves commearent; se itaque conclusionis loco duo petere, ut nimirum suos demitteret; nec fictis Lusitanorum delationibus ac promissis nimium fideret. His literis decimo Septembris ad urbem transmissis, postridie ab Houtmanno novæ allatæ fuerunt: Quibus monebat, lectis ipsorum literis, se gaudio perfusum, & porrò sperare, ut eodē die aliqua ad pacem via iniretur; æstimatas enim myoparonum merces 5000 Realijs fuisse; sed, persolutis tribus millibus, ut libere abirent, permissum: se tamen haud ultra millenos obtulisse. Rescriptum extemplo per collegas fuit, nummos se quidem periclitaturos, sed de classiarijs, si in terram cum lytro mittantur, metuere ne Lusitanorum fraudibus detineantur ut itaque quod agendum est, conditionibus quam tutissimis & quam citissimè perageret, commonebant, se enim aquæ dulcis penuria Subsistere diutius vix posse. Integrum biduum expectato responso, nihil allatum est: Itaque subverentes Lusitanorum ea machinationibus ac futelis agi & aqua insuper deficiente, stationem ad Bantam deserere coacti fuerunt: Aquatum igitur profecti myoparonem, quem ceperant, utrumque missum fecere, & solo ferente vento, quem à meridie ordinarium ibi ab Oceano spirare diximus, ad urbem uterque illæsè perlatus est. Aquationi autem dum operam dant non sine maximis à tempestatibus atque æstu Oceani periculis ac laboribus circa Iavæ ac Summatræ littora, à 13 Septemb. ad Octobris usque Calendas, exantlatis, pridie tandem nonas eiusdem Octobris, ad veterem stationem Bantensem reversi sunt. Vix in fundum anchoras proiecerant, quin ecce Houtmanni ad ipsos literæ perlatæ, quibus amicè repetebat hortabaturque identidem, ut modestè rem agerent: adieceratque simul, quid absentibus ipsis actum fuisset; quas indies quantasque Lusitanorum technis confictas criminationes excepissent; latrones se esse, & multis gentibus in ipso hoc cursu graves iniurias intulisse; naves obvias cum hominibus cepisse: easdemq; mercibus exonerasse, homines trucidasse; & portus denique quoscunque intrassent, sanguine replevisse. Aliasque postridie iterum, eiusdem fere exempli, misit, nisi quod hæc insuper significaret, indultum sibi à prorege esse ut libere ad suos literas missitaret, ideoque iterum iterumque flagitare se, ut amicas ad proregem literas darent, quibus hoc præcipuè agerent ac demonstrarent erroris ac difficultatum omnium causas Lusitanos exstitisse. Quin & eosdem Lusitanos indicabat à primo navium discessu, ut sibi in nexum ac mancupi traderentur acerrimè institisse, idque quò promptius impetrarent, 4000 Realios obtulisse: adeò ut alterutrum, nisi tempori redijssent, metuendum fuisset, Malaccam nimirum deportari, aut ad Mahumetanam impietatem pertrahi: addebatque obtulisse Iavanos, si nomen suæ sectæ darent, Malaccam haud deportatos iri: In fine literarum submonebat ex Lusitanis mercatoribus Franciscum quendam Maresium summa cura Malaccam celoce contendisse, idque in damnum suum cessurum haud dubitare se, nisi tempori liberentur. Sexto Octobris unus ex vinctis ad naves missus nostros haud leviter exhilaravit: Referebat, inter cetera, quidquid in carcere sibi accidisset: & quod ad lytron attineret, non ambigere se, quin 3000 Realijs, additis utensilibus quibusdam, ut ensibus nostratibus binis, arcu chalibeo uno, cum cote & aliquot tonsorijs forficulis; alijsq; similibus quisquilijs, dimitterentur: Ad quod, & præsertim de tonsorijs cultris, ex conventu unus reposuit, Sanè Iavani nos probè de-

Responsio ad epistolam Houtmāni: & alia ad proregem.

Alia Houtmanni literæ: & ad eas responsum.

Aquatum nostri abeūt

Redeunt 2 Octobris.

Houtmāni literæ.

Ex socijs Houtmanni unus ad naves mittitur eiusque postulatis satisfit.

 tondent,

tondent, & artem eam percallent. Conventu demisso, in mandatis eidem datum, ut Houtmanno significaret, placere Senatui, quidquid ille super lytri ac liberationis totius negotio ageret; ita tamen, ut quam minimo id posset, & quam citissimè, perficeret. Proregem quoque per literas monebant Houtmanno se perscripsisse, quid factum vellent; cum eo itaque tractationem institueret. Hoc nuncio in urbem delato, libere jam egredi piscatorij alijque lembi, & navibus nostratium appropinquare sustinuêre. Nam piscatura vulgus præcipue atque incolæ Bantensium victum sibi quæritant vitamque tolerant: Eaque si exiguo temporis intervallo una cum commeatu, qui aliunde maritimo itinere importari quotidie solet, interciperetur, egestate & rerum penuria brevi Bantenses ad incitas redigerentur: Quod & factu facile fuisset nostris, si extrema tentanda in animum induxissent. Sequentibus deinde diebus, cum iterum moras necti nec facta dictis respōdere; Et classiarios ob id murmur ac turbas intestinas ciere duces animadverterent, Houtmannum per literas serio monuerunt, ut rem acceleraret, vix in officio diutius contineri navales socios posse, identidem dictantes deludi se denuò & novis tantum promissionibus inescari suspensosque detineri. Eaque nono Octobris, ubi in terram relata fuissent, undecimo eiusdem mensis in has conditiones conventum est: ut nimirum præter expensa & mercimonia in officina atque ædibus relicta, duo Realiorum millia lutri nomine nostri persolverent; caryophillos autem omniaque aromata, quæ, interceptis atque exoneratis Lusitanorum Iavanorumq; myoparonibus, in suas naves transtulissent, expensorum, ac mercium suarum vice reservarent; eorumque in se solutionem ac satisdationem prorex reciperet: atque inde liberis utrimque commercijs ageretur. Receptis in naves captivis, Chinenses aliquot, qui obsidum quasi loco, dum hæc ultro citroque agerentur, ad naves accesserant, haud indonati in terram remissi. Nostri deinde omnipotentis Dei præsens auxilium agnoscere ac celebrare; & in signa quoque lætitiæ tormenta aliquot ex grandioribus, singulis in navigijs exonerare. Post hæc cum multa benevole pollicitus Houtmanno Sabandarius fuisset, & spem quodammodo fecisset negotiationem interruptam in totum quasi restituendi, inauratum illi poculum argenteis Realijs Philippeis impletum, & fratri quoque eiusdem seorsim 100 Philippeos, dono miserunt. Effectumque eorumdem opera, ut piper ceteraque aromata tolerabili quidem pretio nostris initio vænirent, verum exiguum interea numerum nanciscerentur. Nam quo minus iustum onus acciperent effugia perpetuo quæsita per Sabandarium, & aliquod semper impedimentum obiectum: dum tandem octavo Cal. Novemb. omnis in universum sublata negotiationis spes. Quem etiam Sabandarij subdolum & à Lusitanis occupatum animum multa exinde prodiderunt, nam & institores Chinenses, qui aromatum ingentia pondera in granarijs suis servabant; ne ullum quidem ex ijs divendere nostris audebant, aspectu præsertim Sabandarij ac Proregis: Quod tamen ne aperte indicarent, aut Caixos, quibus destitui nostros sciebant, pro solutione exigebant; aut tanti aromata illa mercesque indicabant, ut facile ab emtione quemvis absterrerent. Accedebat quod Antonium quempiam, qui olim Lusitanis servierat; atque inde nostris adiunctus, internuncium præcipuè inter naves & captivos summa cum fide ac sedulitate egerat, Lusitani circa hospitium nostrorum in insidijs collocati extra ædium fores forte fortuna solitarium consistentem abduxerint: deque iniuria ea apud Sabandarium ac proregem nostri conquesti nihil in defensionem clientis sui obtinere valuerunt; nec se tolerabili ulla excusatione vel prorex vel Sabandarius purgare, aut in sceleris authores animadvertere ullatenus curavit. Quod & maximè Houtmannum movit ut se, relicto in officina uno aut altero ex contubernalibus, ad naves continuò receperit, nec unquam exinde in oppidum regredi in animum induxerit: quamvis iterum iterumque à Sabandario per internuncium monitus blandèque vocatus fuerit: Adeò ut in hæc tandem verba, cum ex Ducibus neminem accedere videret, & opem ac patrocinium eius imploraret is quem relictum post Houtmannum diximus, eruperit Sabandarius; intra quidem oppidum liberè ac tutò agere vobis licebit, at extra, nihil præstare aut polliceri possum. Quo percepto, idem ille, hospitis sui officio usus, se culcitæ involutum ad naves deportandum curavit. Et ni factum id fuisset in manus Lusitanorum, qui totum eum diem observationi operam dederant, certò incidisset, ut postea compertum fuit. Sequenti die hospitis eiusdem gener clanculum ad naves properavit, non temerarium fuisse, referens, quod toties tamque serio flagitasset Sabandarius ut ex ducibus aliqui in terram redirent: A Malaccensi enim Præfecto legatum venisse, qui decem Realiorum millia proregi dono attulisset, ut exploratores (ita nostros vocaverat) aut vivos in potestatem suam redi-

Nostrorum ad Houtmānum literæ & monita.

Cōditiones pacis signatæ.

Houtmannus cum cæteris liberatur.


Sabandarij cum Lusitanis collusio.

Antonius ex clientibus nostrorum unus; à Lusitanis per insidias abductus.

Legatus Lusitanorū Malacca Bantam venit: Proregem muneribus sibi devincit

redigeret,aut commercijs ac regni ſui finibus in totum prohiberet. Hinc indicto nautici collegij ſenatu demonſtratum per Præfectos fuit ſe ad negotiationem modis omnibus Bantenſes invitaſſe, fœdera, repetitis vicibus,cum ijſdem ferijſſe atque eadem iureiurandis utrimque confirmaſſe, nec ex ijs ullum Bantenſes præſtitiſſe, ſed Luſitanorum potius perſuaſionibus ineſcatos vim ſuis intuliſſe,omnemque iuris ac contractus honorem flocci feciſſe: Se itaq; quærere,num vela ventis danda,& alibi fortunam tentandam è re exiſtimarent : Et ſimul,cum iuncos aliquot (ita myoparones nominatos dixi)caryophillis alijſque aromatibus leviter ſaburratos,venum obtuliſſet hoſpes,ſi eos iuxta urbis interiorem portum collocatos ſuam in poteſtatem, ipſo quaſi neſcio, redegiſſent, quid ea in re faciendum videretur in medium denique proponere:Decretumque,ut vento illo à meridie ordinariè ſe efferente, tota cum claſſe urbem propius accederent, ac myoparones in anchoris iuxta forum ſtantes cum lembis invaderent ſuique iuris redderent. Quod & gnavè à noſtris deinde curatum, iuncoſque vi armata ac magno molimine,renitentibus licet alijs, ceperunt & ad naves deductos exonerarunt. *Noſtrorũ conſultationes.*

25



Myoparo verò ille, quo legatus Luſitanus Malacca advectus venerat, cum in terram altius eductus ſtaret, diligenterque ſclopetis defenderetur,difficulter ad eum aditus patuit: Quāvis nec hunc noſtri omiſiſſent,niſi ex navibus receptui ſignum duces dediſſent. Non enim è re judicabant navales ſuos ſocios, quos pauciſsimos habebant,temere periclitari.Toto hoc conflictu unus tantum,ex noſtris ſphærula tranſfixus poſt luces aliquot exſpiravit, hoſtium haud pauci perierunt. Altero exinde die,ſecundo nimirum Novēb. aperto è mari iuncus accedere eminus animadverſus, cui è navi Amſtelodamo lembus confeſtim obviam miſſus viris armatis quam accuratiſsimè inſtructus. Noſtri ubi propius propiuſque accederent ſclopetumque exonerarent; Indi confeſtim velum demiſerunt; idemque mox in altum reduxerunt. Quo viſo, qui in navibus erant, alterum adhuc lembum auxilio miſerunt, atque ita, intercepto myoparone,ad naves reverſi.Intellectumque ex claſsiarijs in hoc velum demiſſum, ſubitoque ab ijſdem reductum fuiſſe, ut ita incautos ſecureque accedentes ſagittarum, quas toxico infectas imbrium in modum eiaculabantur, multitudine obruerent: Verum claſsiarij, re intellecta, ad vim exci- *Iuncos aliquot Banta abducūt noſtri : eorumdemq; conflictus.*

piendam

piendam se comparant, explosisque bombardis aliquot, Indi se impares animadvertentes in scaphas ingressi sunt, navemque prædæ reliquerunt. Interea nostrorum haud pauci sagittis illis venenatis icti, nisi carne & cute in totum excisa, curari potuerunt. Ex Indis, præter vulneratos, septem occubuerant. Erat myoparo iste oryza, pisce, vimine, ex quo rudentes ijs in oris conficiuntur, alijsque mercibus ac commeatu oneratus; eaque nostris percommode atque in tempore tunc oblata fuerunt, huiusmodi præcipuè indigentibus. Dum autem hunc in modum sub oculis ac conspectu urbis in anchoris persistentes modò hanc, modo illam haud magnæ rei naviculam diripiunt, certiores redditi fuerunt, intercessione ac donis ingentibus Lusitanici legati permotum proregem ut classem, quam posset maximam, instrueret, ad naves in suam & Lusitanorum potestatem redigendas. Qua etiam de causa diutius opinione sua nostri morati, cum nihil fieri viderent tempusque laberetur, Iacatram, aliud Iavanorum emporium ad littus eiusdem Sundæ situm, contendunt: Priusquam verò eò pervenitur intra Bantam & Iacatram fluviolus se exonerat, ubi dum aquationi operam dant, per certos homines, quos sibi faventes Bantæ reliquerant, certiores facti iactare ac gloriari apud Bantenses Lusitanorum Legatum, se nisi abijssent, pro merito excepturum ipsos fuisse. Dolere etiam ac queri apud proregem, quod tardior in classe apparanda exstitisset: Et monere identidem atque inculcare, metuendum fore, si salvi in patriam remeent, mox collectis maioribus ac novis viribus, non Bantam modò, sed Malaccam oppugnatum redituros: ideoque homines sceleratos, dum tempus daret, extinguendos fuisse, & malum nascens resecandum: nam robustum & inveteratum non nisi cum maximo labore comprimi: Proregem econtra se excusasse, & pro viribus rem egisse aliaque reposuisse, quæ legatum & proregem ad dicta duriora ac simultates invicem concitarint. Quæ & mensibus post hæc quatuordecim in apertum eruperunt: Tunc enim Lusitani Malaccenses magna cum navium triremiumq; classe Bantæ portum intrarunt, & mox instituta negotiatione, decem millium Realiorum restitutionem à prorege exegêre, quos eâ lege tradidisse ferebant, si navibus Hollandorũ potitus fuisset: at prorex etiamsi impensas in classe instruenda fecisse, & egisse se quod potuisset, respõderet, Lusitani nihilominus naves aliquot Chinensium, pretiosis mercibus onustas, aliaque similia in solutionem sibi recepêre: Eamq; iniuriam, quamvis ægerrimè prorex ferret, dissimulavit tamen; & mox, capta occasione nuptiarum cuiusdam Principis, quas Iacatræ celebrandas, aditurus erat, instructissimam classem comparavit: eâque mox cum universa propemodum nobilitate portu egressus, Lusitanorum triremes invasit, omnesque internecioni dedidit, præda inter suos distributa.

Legatus Lusitanorũ ad classem parandam proregem instigat.

Nostri Iacatram discedunt.

Simultatũ & irarum inter proregem & Lusitanos postmodum exortarum causæ.

Reliquæ eorundem Lusitanorum, quæ aderant, naves, præcisis anchoralibus, ac socijs desertis, malaccam turpi fuga se receperunt: Triremes in perpetuam rei gestæ memoriam hodieque Bantæ asservantur, omnibus propalam ostentui sunt.

Quid verò nostris Iacatræ, & toto exinde itinere usu venerit priusquam ordine porrò referò,

refero, locus postulare videtur, ut Iavæ Insulæ ac oppidi Bantæ descriptionem; & quæ origo gentis, qui mores & religio obtineant, paucis complectar.

IAVA ergò Indicarum seu Orientis insula est. Indias autem cum dicimus id totum terræ continentis intelligimus, quod ab occasu, Paropamisidarum & Archosiæ & Gedrosiæ finibus terminatur: ab ortu verò cum Chinarum, vel, ut Ptolemæus id vocis extulisse videtur, Sinarum extremis limitibus coniungitur. A borea Imaum habet montem, qui est Caucasi pars; ab Austro Oceano Indico alluitur: ita ut India universa in duas partes dividatur. Vna sit intra Gangem, quæ ijs ex occasu finibus, qui dicti sunt, incipiens, ad Gangem usque protenditur: Altera, quæ ultra Gangem, Ortum versus, ad Sinarum fines excurrit. Quamvis alij angustius interdum Indię nomen usurpant. Appellant enim Indiam, omnem regionem, quæ duobus maximis fluminibus Indo atque Gange continetur. Quæ universa regio *Indostan*, ab accolis nominatur. Indus ab occasu, Ganges ab ortu fluit: uterq; pari propemodum à Septentrione intervallo ab Imao exoritur. Circa exitum & oceanum, ob alveorum profunditatem navigeri, ut pelagus, sunt, magnasque rates admittunt. Latitudo inter utriusque ostia est circiter 700 millia passuum, quæ deinde paulatim coarctatur. His fluminibus etiam remotissimæ in oceano isto oppositæ insulæ Indiarum insulas dici usus obtinuit; adeò ut etiam novus ille in Occidente Orbis Indiæ hinc nomen mutuaverit. Meximæ & præcipuæ utriusque fluminis faucibus quam proxime adsitæ insulæ, Zamatra & Iava sunt. Quarum, Zamatra Æquatori subiecta veteribus, & Plinio præsertim, nota fuit Taprobanes appellatione. Cuius etiam magnitudinem ex Eratosthene & Magasthene quam diligentissimè descriptam posteris reliquit. Et præter priscorum ea inventa ac testimonia etiam Claudij principatu maiorem eius notitiam contigisse Romanis inquit, legatis ex eadem Romam advectis: Qui, inter alia, referrent aurum argentumque apud se in pretio esse, opesque maiores sibi quam Romanis, sed apud Romanos opulentiæ maiorem usum esse, adeò ut hæc aliaque eodem loci prolixè à Plinio memorata, si cum verbis, quæ habet lib. 2 cap. 68 contendantur, adversa sibi locutus videatur. Nam disputans eo loci atque inquirens quanta terræ portio habitetur, *tres* ait *terræ Partes: abstulisse nobis cælum:* torridam nimirum, seu mediam Zonam, id est, quidquid est intra Tropicum Cancri & Capricorni; & duas extimas seu frigidas, id est quidquid terrarum est intra utrumque Articum Austrinum & Borealem: Quomodo & Poetæ olim de ijsdem Zonis versibus suis prodiderunt. *Quarum quæ media est non est habitabilis æstu, Nix tegit alta duas.* Vult enim id ipsum Plinius non habitari videlicet has extimas ob nimium gelu; & illam mediam, ob æstum nimium. Et quod magis magisq; in admirationem me trahat tanti autoris, vulgum & poetarum excessus hac parte secuti, illud est, quod libro eodem capite anteriori ex Nepote præclarè referat Eudoxum ex Arabiæ sinu egressum Gades usque navigio pervectum. Nam totum hoc iter, si ad calculum vocemus, complectitur id omne quod hodie Lusitani nostrique, Caput, Bonæ spei transgressi, navigât, bis nimirum æquinoctialem, intra Zonam illam torridam, transeundo: ut omittam adferre quæ cap. 23 lib. 6 commemorat insuper idem Plinius, quod nullo scilicet anno imperij Romani minus H.S. quingenties exhauriat India merces mittendo, quæ apud Romanos centuplo veneant: Quodq; annis omnibus è rubro mari navigetur ab ijsdem Romanis, Sagittariorum cohortibus impositis: Nisi ad Plinij excusationem dicendum ea, quę libro 2 dicuntur anteriori tempore literis ab ipso prodita; nec itinera tunc illa Romanis usq; adeò familiaria exstitisse; præsertim cum referat, libris sequentibus, totum ab Ægypto in Indiam cursum tunc, cum illa scriberet, certa notitia patescere cæpisse; Et Senecam paulo ante, tentatâ Indiæ commentatione, sexaginta amnes eius prodidisse, gentes duodeviginti centumque.

India quæ & quatenus intelligenda.

Zamatra, veteribus Taprobane lib. 6 cap. 22.

Plinij verba inter se collata expensaque.

lib. 2 cap. 67.

lib. 6 cap. 23 item cap. 17.

Porrò Iava, de qua dicendum jam nobis incumbit, veteribus, quod sciam, nominata non fuit. A Zamatra exiguo freto, quam Sundam appellatam superius dixi, paulo ultra æquatorem, meridiem versus, sita est; cum Zamatra ipsi æquatori subdita sit, ut indicavimus. Gens sive incolæ, quibus habitatur, cuius originis sint, parum constat: Nisi quod ipsi de origine sua interrogati à Chinensibus ortum sumpsisse se respondeant: Quod olim apud Chinenses servitute intolerabili pressi, cum ingenti multitudine ad insulam Iavam appulerint ibique sedem fixerint. Cuius rei fides vel inde constare videtur, quod Chinensibus per omnia fere similes sint, lata nempe fronte, buccis extuberantibus, & oculis angustis conspicui. Et facit huc, quod affirmat M. Paulus Venetus, Tartariæ Imperatoris olim cliens, Iavanos nulli gentium tributarios esse; nec potuisse hanc Insulam magnum Chamum suæ subijcere ditioni. Quod indubie de Chinensibus capiendum,

Iava.

postquam defectione facta, à Tartaris desciverint; ut ita nec Tartaris nec Chinensibus tunc paruerint Iavani. Hodieque à Chinensibus frequentissimè adeuntur. Nec ullum etiamnum, nisi suos agnoscunt regulos; Plures enim sunt, & fere singulæ civitates singulos habent, quamvis Paulus idem Venetus suo ævo, anno nimirum 1269, unum tantum regem habuisse videatur innuere: quemadmodum fieri plerumque solet, ubi, domino primario deficiente, tutores aut Duces pro regibus sese gerunt: Sicut & post Alexandri magni obitum accidit, ubi se quisque terræ eius primatem constituit, cuius ante Præfectus tantummodo fuerat. Inter Iavanorum tamen regulos potentissimus fere Bantensis hodie habetur. Quò ergo de singulis accuratè dicamus, urbium, quæcunque in notitiam nostram venêre catalogum quasi dabimus, de Banta postremo loco verba facturi. Exordium itaque esto à parte insulæ ortiva; Quà ex adverso Bali insulæ Pallambua locata est, celebris civitas, muris & vallis undiquaque cincta suoque rege seorsim tuta. Sinus qui intra hanc & Bali insulam patet, fretum sive *strata Pallambuæ* nominatur: Ab hac civitate decem versus septentrionem leucis, aliud muris eleganter ornatum oppidum abest, quod Panarucam vocant, multis Lusitanis Iavanisque Christianam fidem professis habitatum, & suo insuper rege celebre. Forum hic est vendendis mancipijs destinatum, quorum non exiguam quotannis copiam Lusitani Malaccam deferunt. Non longe ab hac civitate mons quidam vastus & sulphure ardens cernitur, qui anno 1586 primò erupit, tanta quidem vi & commotione, ut ab eo infiniti prope homines oppressi fuerint, prægrandibus saxis in ipsam usque civitatem excussis. Ad eruptionem verò tam densæ ex fumo tenebræ obortæ sunt, ut integro propemodum triduo duraverint. Vtriq; & Pallambuæ & Panarucæ Reges gentilismum adhuc sequuntur. Distat hinc propemodum sex milliaribus Passarua, muris item munita civitas, cuius rex Mauritanorum religioni deditus, cum circa annum 1596 Pallambuensis Regis filiam uxorem duxisset, post alteram statim à concubitu noctem, eam cum omni suo comitatu nefarie obtruncavit, hac una de causa, quod, ut ipse, Mauritanam fidem non agnosceret. Ceterum non contentus hoc facinore, Panarucam insuper Civitatem oppugnavit; cum inde spe sua frustratus discessisset, ad Pallambuam properavit, interclusoque sudibus in fundum impactis, portu, ne vel naves vel scaphæ transire possent, quadrimestri eam spatio, civibus ad summam penuriam redactis, obsedit. Merces, quæ hinc auferuntur sunt præcipue garnitra illa, ut appellant, subtilia & exigua; qui licet fructus sit fragis nostris haud absimilis, tamen eam duritiem obtinet, ut maximum usum habeat in murænulis istis, quas Pater noster vulgo nominant, conficiendis: Reperiuntur etiam Bombacij alijque ex gossypino panni, qui magna copia Bantam deportantur. A Passarua decem milliaribus occidentem versus Ioartamum civitas portu commodissimo, & fluvio iuxta defluente, insignis sita: in qua pleræque naves ab insulis Moluccanis Bantam excurrentes sese reficere atque aquari solent. Civitas alioquin ipsa muro valido cincta, versus partem fluvij occiduam Gerricam civitatem proximam habet, cuius rex à ceteris regibus omnibus supplicem in modum honorari solet: ex utroque hoc oppido magna salis copia in alias oras defertur. Sequitur has Surrabaia vicino etiam flumine & proprio rege celebris. A qua austrum versus sex leucis Brandaum abest, cui idem regulus, qui Surrabaiæ, imperat, solium & sedem Ciday; tenens. Est & hoc valde munitum oppidum, portu tamen minus commodo; ita ut navibus stationem durabilem ministrare haud possit. Ad decem abhinc leucas Tubanum occurrit, urbs suum & ipsa regem habens. Vnde leucis quinq; Caioanum abest, Civitas regem quidem proprium, sed negotiationem nullā habens; sicuti & Mandalican, in propinquo ibidem sita. Versus occasum trium leucarum spacio Iapara ad sinum quendam conspicitur, civitas erectis tantum & in terram altiuscule defixis sudibus leviter cincta, sed portu tamen perquam oportuno prædita: Regem etiā habet terra marique potentem. Hinc ad Mataram magnam & spatiosam civitatem 25 leucarum itinere pervenitur: Cuius Rex adeò potens est, ut alijs quibuscunque obsidionem & bellum levi de causa minitari atque indicere non dubitet. Nostri, dum Bantæ adhuc essent, territos sæpenumero Bantenses ad minas eiusdem meminere. Ceterum à Iapara occasum versus, quinque leucarum itinere ad Patinum & inde tribus ad Daumam civitates pervenitur: quarum posterior prævalido muro cincta, Regem proprium adhuc hodie veneratur: Hinc tribus leucis Taggal seiungitur; unde porrò ad amplam civitatem Carabaon, muro fortissimo insignem fluventoque admodum dulci irriguam venitur. Hæc ab elevatis duobus montibus ad civitatis iugum sitis & ephippium equinum referētibus, facile cognoscitur. Sequitur eam Dermayum & Monicaon. Intra Monicaon & Iacatra

Lib. 3 cap. 10.

Palambua.

Panaruca.

Passarua.

Ioartamū.

Gerrica.

Surrabaia.

Brandaum

Cidayum.

Tubanum.

Caioanun.

Mādalica.

Iapara.

Matara.

Patinum.

Dauma.

Teggal.

Carabaon.

Dermayū,

Monicaon.

Cravaon.

& Iacatræ medium, Cravaon, pagus magnus ad sinum quendam introrsus positus ob piscium afluentem ac commodam capturam solis piscatoribus habitatur. Iacatra fructibus plurimis omnique præsertim commeatu uberrimè referta est: unde & nostri, qui itinerarium huius expeditionis, anno 1598, ediderunt, *Sundam Calapam* Iavanis Iacatram dictam aiunt; quod *Sunda* lingua Iavanorum ubertatem notet, & *Calapa* nucem Indicam: quasi locum dicas, in quo Indicorum cocorum proventus maximus sit. Verum illis ipsis editoribus oblitis quasi sui exciderat, quod in eodem Itinerario, pagellis aliquot præcedentibus, ad undecimum nimirum Iulij anni 1596, Iacatram immerito Sundam Calapam nominari tradiderint, cum Sundæ vox de sinu & statione propriè Bantensi intelligenda sit. Nos quid sentiamus, ex ijs, quæ supra suo loco de eodem attulimus, satis liquere existimo. Collocata est autem Iacatra ad sinum similiter maris admodum patentem, in quo insulæ exiguæ aliquot, & inter ceteras latens scopulus sive vadum est, in quod illisa Amstelodamum navis maximum incommodum passa fuit, ut mox dicetur. Secundum verò urbem fluvius in mare se exonerat, Tonioniava nominatus: nec alio munimento, quam sudibus & palis in altum exstantibus circumcingitur, quomodo & alia huius tractus oppida n nulla, ut indicavimus. Alias ad negotiationem, quæ maxima eo olim loci fuisse memoratur, haud inidoneo loco posita, & aquationi præsertim oportunissima est. Ad plagam denique occidentem pagus occurrit Tenhara dictus, quo in transitu multæ se insulæ offerunt omnibus Bantam petentibus permeandæ. De qua dicendum nunc superest. *Iacatra.* *Tenhara*



Banta urbium totius insulæ primaria est, Principemque facile locum obtinet: Sita ea insulæ parte, quæ Samatram respicit, à qua viginti circiter quinque milliaria maritimo itinere distat. Situs eius in depressiori quodam loco ad radices montis est, ex quo desuper duo rivi per utrumque Civitatis latus defluunt. Quo etiam ex præcipitio per mediam civitatem riuus tertius derivatur, magnum usum cum ob lotiones, quibus plurimum indulgent Mahumeticæ superstitionis sectatores incolæ; tum firmum munimentum urbi ministrans. Muri civitatis orgya una crassiores, ex latere cocto rubēte exstructi sunt: ijsque & propugnacula adiecta, haud inscienter fabrefacta: in quibus ænea tormenta sed rotis carentia, passim disposita; quæ tamen peritè tractare nequeunt. Habet & portas quasdam inaccessas, in quibus & noctu & interdiu excubiæ aguntur. Turres nullæ sunt, præter theatra quædam trium tabulatorum spacio elata, & ex truncis lignisque crassioribus consertis erecta. Hæc scalis acclinatis ascendunt, post se easdem attollentes, ut ita, occursanti hosti ex alto vim inferant. Muros insuper Civitatis non ita pridem eleganti ex arboribus longissimis firmissimisque circuitu exornari ac communiri circumquaque curarunt, quò & supra eundem circuitum tuto ambulare & contra hostem pugnare liceat. Tota civitas tribus tantum insignibus plateis pervia est, quæ omnes ad *Banta.*

regium palatium,& Paceban,ut ipsi vocant,ducit. Atque inde vicissim una ad mare directè tendit;altera ad portam terrestrem excurrit, tertia ad montis clivum. Lapidibus strata civitas non est,sed maximè arenosa,& alveis aliquot interstincta visitur,ijque alvei cum ad sordes evehendas haud satis ampli existant, & ipsa quoque urbs per se paludosa sit,plerumque cænosi & fætidi inveniuntur. Templum capacissimum habet (ipsis Mesquita dictum) situm verò juxta palatium Regis ad latus occiduum. Ad orientale eiusdem palatij latus armamentarium bellicis omnibus machinis instructissimum patet: ad austrum denique aula infantis Regis posita est: cui domus proregis adhæret. Estque in proximo platea campestris; in qua servi, mācipia regisque officiarij ac clientes agunt, & denique stabulum equorum & culina habetur. Porro civitas universa in quatuor partes seu regiones distributa est; quarum quælibet Præfectum agnoscit, qui tempore belli,incendij atque aliàs ei præcipue parti curat. Suntque regiones hæ certis terminis ita inter se distinctæ discretæque,ut in qualibet earum parte peculiare tympanum servetur,quod malleo appendente pulsatur quotiescunque vel incendium vel alius aliquis motus oboriatur. Hoc tympanum ingentis dolij magnitudinem,cados novem vel octo capientis, adæquat: idemque & circa meridiem & auroram & vesperam feritur. Sunt etiam ijsdem peculiares pelves quibus campanarum loco vel ad excitandum vel alias unum in locum convocandum populum utuntur. Hunc pulsum *Chino* ipsos appellare supra monui. A quo haud multum dissonat quod hodieque Danorum idioma usurpat, qui concentum illum, qui pulsu campanularum festivis præsertim diebus cietur *Chime* nominant. Singulis civitatis seu platearum divergijs sui excubitores dati sunt;& mox, vespertino crepusculo ingruente,ponticuli omnes removentur, ita ut transitus per oppidum nocturno tempore nemini pateat. Circa Palatium & Paceban, de quo dictum, ubi & carcer publicus, singulis noctibus quinquaginta viri armati excubant: & præter id ad nobilis cuiusvis domum homines decem aut duodecim vigilias agunt: Nobilium ædes ingresso, primo statim occursu,area quadrilatera se offert, quam Paceban etiam appellant. In hac litigantium aliæq; causæ audiuntur. Tugurium verò,in quo excubiæ aguntur, arundinibus aut folijs palmarum contectum est. In areæ verò dictæ diverticulo aliquo sacellum, ut plurimum, habent domesticum & sibi peculiare,quod *Mosque* etiam vocitant, ubi sub meridiem plerumque preces faciunt;eique adiunctus puteus sive lavacrum est ad lotionem; qua, ut dixi,frequenter utuntur. Introrsus pergenti aditus angustus offertur angulosis & sinuosis anfractibus multis obseptus, ubi mancipia dominos suos à nocturnis & fortuitis in omnem eventum insultibus defensura commorantur; nam ut ipsi ingenio perfidi, ita nec fidunt cuiquam: deestque toti fere huic genti, quod est sanctissimum humani pectoris bonum,fides. Ædificia omnia octo aut decem ligneis sudibus columnarum in modum fabrefactis superinstructa sunt,superne quidem palmarum folijs contecta, infernè verò ad aerem captandum tota patentia. Cubicula nulla habent, ditiores tamen cortinis sericis vel gossypinis intergerinis conclavia separant. Ad recondenda quoque necessaria tabulata nulla sunt. Vnum interim conditorium est simplici contignatione ac sine fenestris ex lapide constructum; & desuper stramine obtectum: in eo bona sua omnia, si forte incendium exoriatur, conservant: Quod in hunc etiam finem crassioribus arborum ramis intortum ac contabulatum est arenaque confertim inspersa communitum,ne ignis penetrare profundius possit. *Goddon* appellatum id indigenis supra monui. Trabes universæ ex arundinibus,Bambo dictis, assulatim dissectis constant: unde non labore modo sumptuque perexiguo, sed temporis quoque quam brevissimo spatio ædes exstruunt, plurimæq; peregrinarum gentium non urbem tantum, verum etiam suburbia,quæ circa eam sunt, & littus utrimque prætexunt, exstructionibus eiusmodi paratissimè & levibus impensis exornant.

Fora Bantensia.

Negotiatio per oppidum universum maxima est; singulisque diebus triplex forum habetur: Primum in loco quodam spacioso,ab ortu Solis ad horam circiter nonam; frequentaturque assiduè ab Arabibus, Turcis, Chinensibus, Quillinis,Pegnanis, Malayis, Bengellanis, Guzarattis, Malabaribus, Abexinis, Lusitanis & nostratibus. Hoc finito alterum celebratur iuxta Palatium Regis,quod ad horam usque primam perdurat;excipitque tum forum tertium non procul à Chinensium habitationibus officinas & locū habens. Quilibet autem peculiari & ad hoc destinata statione merces suas venum exponunt, noveruntque tam ementes quam vendentes,quò quidlibet deferendum,& ubi inveniendum sit. Sic in foro matutino,ad eius statim ingressum, ubi templum vallo cinctū adstat, fæminæ piper plenis saccis vendunt. Paulo post aliæ inveniuntur fæminæ quæ Betele,

tele, folia nempe masticationi quotidianæ inservientia & Areccam, melones, Bannanásq; vendunt, quibus etiam proximè assident, quæ liba & placentas similesque cupedias venales habent: notandumque à fœminis etiam ibi negotia tractari, emtiones venditionesque perfici: idque nec alienum à nostrorum moribus esse, dissidere tamen à gentium nonnullarum consuetudine, quæ ab omni negotatione fœminas sequestrant, existimantes nequaquam mulieris honestatem pati, eam alicui negotiationi præesse, ex qua possit lucrum facere; ut habet lex penul. ff de edend. L. fœmi. ff de reg. iuris. Eodem in foro alius se locus mox aperit, ad cuius dextram omnis generis arma & ferramenta & inter cetera dolones, quos *Criffen* nominant; cum santelo albo citrinoque prostant; ad sinistram verò saccharum & cydoniata aliaque confectiones promuntur. Huic vicinum est forum fabarium, ubi albi, nigri, rubri, virides & cærulei phaseoli veneunt, junctumque huic ceparium forum, ubi & inambulare solent, qui pannis lineis quæstum faciunt. Ad dextram huius loci, gallinarium est forum, vendendis anatibus, gallinis, columbis, psittacis alijsque id genus avibus destinatum: sub exitum eiusdem, viæ dirimuntur, ita ut una ad Chinensium tabernas, altera ad olitorium forum, tertia ad Carnarium deducat. Ad Chinensium tabernas iturus ad dextram Gemmarios offendet, pyropos, adamantes, hiacynthos, Granatos similesq; pretiosos aliquot lapillos venum exponentes. Ad lęvam picturæ variæ habentur. Chinenses omnis generis & coloris sericum, itemque pannos bombasios, Damascenos, Holosericos, Satinum, fila aurea, vasa Porcellana, sportulas elegantissimas, Laccam, patinas & cantharos cupreos, hydrargyrum, præstãtes capsulas, papyrum, aurum foliatum, conspicilla, pectines, specula minuta, sulphur, gladiolos, radicem Chinæ, umbellas aliaque divendunt. Alteram viam ingredientibus ad dextram quidem forum lintcariorum virorum, ad lævam vero fœminarum occurrit: septum autem, intra quod fœminæ consistunt, transcendere nulli fas est. Ex utroque latere forum est pomarium, ubi pariter nuces herbæque variæ & fructus nostris dissimiles venduntur. In reditu forum est piscarium, & ad eius sinistram Carnarium. Inde ad forum aromaticum itur, ubi mulieres varia aromata certis mensuris minutisq; ponderibus distrahunt; Cuiusmodi fere sunt piper rotundum & longum, Caryophylli, nuces Moscatæ, Macis, Cinnamomum, Cuminum, Zingiber, Zedoaria, cubebæ, santalum, calamus, aromaticus, Rhebarbarum, Galanga, fœniculum, anisum, coriandrum aliaque pluria. Oryzæ forum ad dextram est, cuius ibi copia maxima. Hinc sequitur forum figulinum: forum etiam in quo Sacci, storeæ, culcitræ: & aliud in quo Sal distrahitur: ad sinistram oleaceum est; & sic ordine quælibet res peculiari suo & destinato loco venalis habetur. Mensuræ modus, quo piper distrahunt, tria propemodum piperis pondo intra se complectitur, vulgoque *Gantam* nominant.

Religio, quam sequuntur indigenæ, sive superstitio potius, Mahometica est. Quæ secta maximam Orientis partem, Turcis longè lateque rerum paulatim potientibus, pervasit: In mediterraneis tamen Iavæ locis gentilium, adhuc cultum & Pythagoricum nescio quid retinent; cuiusmodi etiam, annos ante trecentos, omnes universæ insulæ extitisse ex Paulo Veneto colligere est. Nam aut Christianismum aut paganismum cum Iudaismo tunc tantum India noverat. De paganismo, ubi de Bali mox insula agendum, quædam addemus. Christianismus qui antiquitus fuerit, & mox, sub annum 1499, accedentibus Lusitanis, etiamnum deprehensus est, à D. Thoma Apostolo originem habuisse, & ad eam usque Lusitanorum tempestatem invicta fide ac constantia perdurasse tradunt. Hodieque in Malabaria ad promontorium præcipuè Camorinum Christiani tales habitant; exceptisque Nestorij alijsque vitijs aliquot, quibus inquinati sunt, saniter in multis sensisse priscique ac veri Christianismi vestigia adhuc nuper retinuisse constat. Eaque à Iesuitis, qui hodie nobis Indicas res concinnatas dederunt, cum omitti aut involvi, &, ut ingenium istorum hominum est ad tegendos longo ævo inveteratos Romanæ sedis errores callidum, etiam aliter dici quam res habeat, comperiam, tribus hęc verbis attingenda sunt. Nam ante Lusitanorum in Indiam adventum, quod nec Osorius diffitetur, omnibus promiscue ad Eucharistiam accedentibus, non solum Christi corpus in panis specie; verum etiam in calice & vino, sub sanguinis figura, porrectum fuit. At Iesuita Maffeius quam hæc paucis perstringat, & veluti sepia involvat, ex verbis eius patet, quibus altaris mysteria religiose eos venerari tantum ait. Sic nec imaginum apud eosdẽ Thomistas usus unquam fuit attestante Iosepho Indo; quod ne meminit quidem. Lodovicus Cadamustus delubra eorum vas tantum habuisse inquit, aqua & balsamo impletum. Quin & sacras scripturas sermone Chaldæo studiosissimè coluisse, earumque interpretes in

Religio Bantensiũ.

Christianismus Indorum cuiusmodi.

Lib. 3. de rebus Emanuelis.

Maffeius lib. 2 Ind. Hist.

pretes in locis publicis universos, qui convenirent, ad earumdem intellectionem diligenter erudijsse ingenuè etiam Osorius fatetur; & quod amplius est, interpretes eosdem sive sacerdotes, uxores duxisse; ità tamen, ut prima uxòre mortua, alteram non superinducerent. Quæ omnià Iesuita, ut Pontificijs traditionibus adversa, silentio præterit. Nostra hac demum tempestate Romanam ecclesiam agnoscere, & in castra pontificia transire cæperunt, opera presertim Lusitanorum, qui summum nunc ibi imperium tenēt. Præfectus quoque ipsis nuper est episcopus, ut accepi, Franciscus Rozzius Iesuita; qui postquam à Papa approbatus fuit, cornua erigere dicitur adversus Archiepiscopum Goanum, se, non illum, Primatem iam habendum Orientis asserens, suosque in toto Indiæ tractu Christianos esse antiquissimos, & interrupto tenore à D. Thoma descendere: cum ceteri illi, quibus Goanus præsit, recens, sint ad fidem perducti; en cor Zenodoti; en iecur Cratetis. Memorabile est quod plurimi etiam autoptæ, & qui oculis suis rem usurparunt, commemorent, esse in eodem Thomistarum numero quosdam, quibus alterum crus à genu ad talos usque insigni tumore protuberat; eosque ex prosapia percussorum D. Thomæ haberi; quasi videlicet hanc obtruncatoribus non tantum suis sed eorum etiam progeniei, execrationis ac pænæ notam reliquerit divinus ille vir. Quod à Iesuita quoque præteritum equidem miror. At Bantenses, ut indicavimus cum merè Mahometistæ sint, Alcorani etiam statuta severè sequuntur. Prophetas tantum quatuor agnoscunt, Mosen, Davidem, Iesum & Mahometem. Cultum suum in templo, quod Mesquita vocare dixi, magno cum silentio ac singulari devotione peragunt. Orantes faciem ad Solem dirigunt seque in terram subinde abijciunt. Episcopum suum *Ceque* appellant; eumque Meccha ad se transmissum accipiunt: quemadmodum à Romano Pontifice legatum vel nuncium Hispani alijque qui Pontificem adhuc agnoscunt. Ad monachorum ritum horas quasdam quotidie lectitant, & ieiunia bis in anno instituunt; maximè verò à quinto Augusti, ubi elapso quadraginta dierum spatio, cum mancipijs & ministris universis Pascha domini celebrant, simul in terra coepulantes; & tunc famuli Dominis suis solennem honorem exhibent, pedes eorum & crura permulcendo, idemque à mento per faciem ad occiput usque identidem repetendo.

Bantensiū ritus alij. Primariorum uxores nullo propemodum tēpore spectandas se domo efferunt. Quod si ex cognatis suis uxorem quis ducat, tunc ante exactas nuptias nec sponsus nec sponsa domo pedem protollunt. Cumq; dies nuptijs dicatus advenit, cognatorū ministeria ornatissimè vestiuntur; cernunturq; ad sponsi & spōsæ ædes hastæ aliquammultæ in terram defixæ, albis rubrisque vexillis gossipinis, lancearum militarium instar, supernè religatæ. A prandio equus ephippiatus sponso adducitur, quo ipse per compita urbis ostentandi sui gratia exspatiatur atque inambulat. Vesperi ad sponsam redit, cui interea, dum sponsus abfuit, ministri ceterique nuptiales convivæ munera offerunt: Inter quæ & dos ipsa eleganter adornata, quæ tamen 25 Imperiales daleros nostræ monetæ non excedit, cōfertur. His peractis convivium amplum & geniale datur: nuptijsque mox in totum finitis nulli exinde extraneo conspicienda sponsa relinquitur. Nostrates, dum Bantæ adhuc agerent, elocavit Sabandarius in matrimonium cognatæ alterum suum filium, tradiditque in dotem quinquaginta famulos; mulieres totidem, & virgines quadraginta: nummi, quos addiderat, caixæ erant numero 300000. Quæ ad nostræ monetæ valorem revocatæ vix ultra 56 florenos conficiant, 12 millibus caixis pro Realio Philippeo uno computatis. Mulieres verò virginesque eas omnes fas marito in thorum & cubile, cum libet, assumere: Liberos autem, qui ex eis nascuntur divendere leges non sinunt; sed geniti coniugi legitimæ cedunt; quemadmodum Ismael Saræ. Vnum interim detestabile habendum quod ex natis ijsdem multos ab uxoribus sæpenumero interimi, aut saltem, ubi concepisse mulieres illæ virginesve deprahenduntur, abortum eis procurari memorent.

Si quando nobilis seu primas aliquis ad Regis palatium pergit, præcedunt perpetuò servorum aliqui hastis & gladijs instructi, idque eum in finem ne mancipium forte aliquod sese inter eundum illi obviam offerat. Fastuosè enim & arroganter admodum incedunt, pannis filo aureo intextis vestiti, & caput sindone Bengalica subtilissima, telam Cameracensem referente orbicularemque in modum formata contecti. Palliola nonnulli manicata holoserica coloris aut rubri aut atri gestant; ut & pugiones, quos *Crissas* vocatos dixi: Sequuntur ipsos ministri aliquot, quorum unus cistellam Betele refertam, alter urceum aquarium, tertius verò umbellam gestat; nudisque pedibus omnes incedunt, calceatos prodire ignominiosum existimantes: intra tamen ædes crepidis subinde

sive calceis utuntur ex corio rubro: cuiusmodi à Malaccensibus & Chinensibus venum importantur.

Arma Bantensiū Militiaque Arma eorum sunt sarissæ flammigeratæ, dolones item & gladij lati. Clypei sunt aut lignei, aut ex corio multiplici conglutinati, Thoraces etiam ex bracteis ferreis annullatim commissos consertosque gestant. Capillos magna ex parte prælongos fovent, ut & ungues prominentes. Dicto superiorum admodum audientes sunt, & vindictæ ità cupidi, ut ab hostibus forte læsi, per ipsa quoque arma sese ad occidendum vicissim percussorem adigant. Stipendium extra belli usum, nullum accipiunt. Durante bello haud aliud quam vestes, arma, victum, oryzam & pisces merent. Mancipia plerique sunt omnes: & quo numerosiora & plura quis habeat, eo opulentior & potentior à cæteris censetur. Sunt enim hæc primatum divitiæ & opes potissimæ. Otiosi perraro sunt. Cumque aliud quod agant non suppetit, saltem in vaginis ligneis, quibus pugiones & gladiolos suos recondant, sculpendis parandisq;, occupantur. Conficiunt illas ex santalo albo, tam eleganti artificio, ut spectantibus admirationi sint. Quin & arma sua poliunt toxicoque plerumque in hunc finem inficiunt, ut vulnera letalia percussis inferant, tam verò eis delectantur, ut nec dies nec noctes sine illis sint, etiam Cervicalibus ea dormituri supponentes. Alijs eadem contingere non permittunt, veriti nimirum, ne gladio iugulentur proprio.

Sunt enim non infidi solum, sed & perfidi, superbi, malitiosi & crudeles; in victos immaniter sævientes, Milites interim industrij & imperterriti habentur; nisi quod tormentis & sclopis nostratibus uti nesciant. In ædium ipsorum vestibulis plerumque tres vel quatuor hastarum clypeorumque fasciculos parietibus affixos conspicere est.

Mercatorum ratio. Mercatores indigenæ apprime versuti, fallaces, ingeniosi infidique sunt erga peregrinos præsertim & advenas; inter sese aliquanto fidelius agunt: & qui opulentiores sunt, domi plerumque manent, alijsque qui negotiationem peregre exerceant certam pecuniæ summam in dupli vel maioris minorisve, prout peregrinatio longa futura sit, restitutionem dinumerant, quam ad rem syngraphis datis sese mutuo obstringunt: ità ut prospere & feliciter itinere confecto creditori pro tenore contractus satisfiat: Quod si reversus debitum solvere non possit, cogitur uxorem & liberos creditori pignoris loco tradere, donec debitum integrum solutum sit: nisi forte navis ipsa publicam calamitatem passa fuerit bonaque naufragio perierint: Tum enim creditor commodatam pecuniam ex iure perdit, nec exigere à debitore quidquam potest. Syngrapha, de quibus dixi in arboris cuiusdam membranis ferreo stylo describuntur; atque in unum deinde convolvuntur: unde & volumina antiquitus dicta. Nonnulla etiam si grandiora fuerint, intra assulas binas funiculis decenti forma colligantur. Vtuntur quoque papyro Chinensi & Charta quadam ex arborum folijs. Artem typographicam ignorant, accurate interim atque eleganter calamo pingunt, nec literas ultra viginti habent; quibus tamen efferre atque exprimere quidvis valent. Loquuntur etiam, præter propriam, lingua Malabarica. Nam eam qui novit non continentem modo Indiæ, sed insulas quoque adiacentes universas peragrare, & ab omnibus intelligi poterit. Nec scholæ desunt, in quibus arabicum præsertim idioma docetur.


Persæ. Persarum plerique intra oppidum agentes Gemmarij sunt. Iavani nos *Coracones* nominant. Sunt viri perhumani & quibuscum contrahere commodè licet. Erga peregrinos etiam benevolos se exhibent. *Arabes.* Arabes & Pegnani mari præcipuè negotiantur, coementes, ut plurimum, merces Chinensium, quas alibi distrahunt, quamvis & piper etiam emant. *Malabares* Malabares Quillinique in fœnus pecunias plerumque alijs dinumerant: Guzaratæ, cum inopes maximam partem sint, pecunias fœnori accipiunt nautarumque officijs præcipue funguntur. Vbi Bantam accedunt mulierem sibi omnes ad diuturna nocturnaque officia pro more emunt, eandem discessuri alijs iterum divendunt. Quod si interea gravidæ factæ sint, natos quidem secum abducunt, mulieres vero in libertatem asserunt, ut postea alijs nubere & rem familiarem propriam administrare possint. Nam divendere eas fas non est.

Lusitani. Lusitani quamvis locis fere omnibus, ubi quæstus fieri possit, arces & castella munita habeant, Bantæ tamen dominium obtinere hactenus nullum potuerunt. Itaq; licet operose cum mercatoribus cæteris negotia sua exerceant, extra tamen civitatem in suburbio iuxta Chinenses habitare coguntur: harum enim nationum neutri intra oppidum larem habere permissum. Per oppidi compita absque ministris & pedissequis nunquam incedunt, gravitatem magnificentiamque suam ubique præferentes.

Chinenses,

Chinensiũ mercatura. Chinenses, ut dictum fuit, seorsim agunt locusque quem incolunt, sudibus & palis communitus & veluti separatus habetur. Ædificia tamen ipsorum ornatu atque elegantia structuras reliquorum longe superant. Gens industria est & callida & ad rem attenta ac lucri cupida. Quamprimum Bantam appulerint, idem, quod de Malabaribus & Arabibus ceterisque indicatum est, in more positum habent : ut nimirum de fæmina, quæ domestica aliaque ministeria exsequatur, ante omnia sibi prospiciant. Qui assidui Bantæ commorantur toti in id sunt ut piper pæne omne ab incolis parvo coemant : idque vicissim, ubi naves Chinensium appellunt, vel alijs etiam magno distrahant. Quotannis circiter Ianuarium multi eò & frequentes commeant; secumque adferunt vasa porcellana, vestes sericas, Damascenas, aurum ductile aliaque, sed præcipuè nummulos illos infilatos, quibus in contractibus utuntur etiam ipsi Iavani. De quibus cum supra dixisse memini, hic repetere omittam. Plurimum etiam lucri apud Bantenses faciunt vinum ex oryza & nucibus myristicis arte quadam chymica eliquando. De religione & ritibus eorum ut aliquid etiam addamus, constat non tam Deum quam Diabolum eos adorare. *Religio Chinensiũ.* Deum quidem esse fatentur, sed mortalia ab eo magnopere curari, aut dictis factisq; & cogitatis humanis interesse vix existimant. In templis Cacodæmonis quandam statuam editiore quodam, sed obscuro tamen & tenebricoso loco constitutam habent,

28.



horrendo admodum aspectu; caput enim triplici corona cum exertis vastisque cornibus cinctum est: facie ac vultu terribili & formidoloso, pedum manuumque loco ungues exerit, & faciem insuper ventri impositam ostentat : ad idolum hoc flexis genubus in faciem provolvuntur, & capite terram aliquoties feriunt. Hoc facto, quidquid allatum est fructuum aliorumque eduliorum, supra aram eidem offerunt pedibusq; eius subijciunt. Postea in genua considentes capite, quasi dormitantes, nutare incipiunt, dum Cacodæmonem satiatum esse oblatis suspicantur; tum enim quod in ara adhuc superest, domum secum auferunt; idque, instituta inter amicos visceratione, hilariter simul ipsi absumunt. Hoc autem omne, non tàm impetrandi cuiusquam commodi, quam depellendi maleficij & incommodi causa faciunt. Rogati autem à nostratibus cur Diabolo potius, quam Deo supplicent, hoc solum respondent, ad Deum placandum nulla oblatione nullisque

precibus

precibus opus esse, cum is natura sua optimus sit: Cacodæmonem verò tanquam geniũ malum & ad nocendum paratum, sacrificijs eiusmodi leniendum placandumque esse, ne quid mali forte intentet. Sunt etiam inter eosdem Chinẽses, qui Solem & Lunam stellasque & cælum præcipuè ipsum, unde cuncta in terras bona promanent, omni studio colendum existimant: & hi quidem Solem Lunamque coniuges esse asserunt, defectum eorum, si quando is forte in Eclipsibus accidat, multis sacrificijs, ne de vita periclitentur, expiãtes. Alias hospitales sunt, & in convivijs lauti ac liberales, & præsertim cum alter alterum vespertinis horis pro more gentis excipere soleat. Tunc enim non exhilarantur modò, sed noctes sæpenumero totas choreis indulgent làrvatique discurrunt. In re interim domestica atque expolienda supellectile cultus & nitoris amantissimi sunt, optimique oeconomi.

Causarum agendarum apud Bantenses ratio

Conventus porrò apud Bantenses publicos, ubi intensior diei æstus paululum deferbuit, in Regis palatio instituunt, de causis vel privatis vel publicis judicaturi.

29



Quicunq; autem lites & forẽses cõtroversias habẽt, ipsi præsentes adesse causamq; suam coram dicere tenentur, absque procuratoribus aut advocato: quibus locus ibi aut quæstus non est. Causæ verò maioris momenti & Rempublicam cernentes, sub noctem ad Lunæ facem decernuntur; idque ex veteri, ut videtur, Persarum instituto. Hinc ædificiorum tecta & arborum cacumina conscendunt pertinaci contuitu, donec oriatur luna, cælum observantes; Quâ postmodum exortâ in senatum procedunt. Congregati mox, omnes in terram consident, Rege, aut eius vicario, sese in primariorum medio collocante, causasque necessarias proponente & deliberationem ac sententiam cuiusque rogante. In audiendis responsis à summo ad imum descenditur: collectisque singulorum sententijs, tandem quid facto opus sit decernitur.

Coloni aliique in mediterraneis extra Bantam agentes.

Haud procul extra Bantæ pomæria ad radicem pæne montis, quem *Gomon Besar* vulgo appellant, ubi piperis magnus proventus est, optimum atque innocentissimum hominum genus agit, quod eo jam nuper ex locis montanis Passaruę, de qua supra dictum, commigravit. Passaruæ enim Regulus cum homines istos tributis atque exactionibus gravioribus alijsque incommodis sollicitos semper haberet vexaretque, certis conditionibus

nibus à Bantæ Rege latifundia hæc impetrarunt, in quibus urbem, *Suræ* vocabulo, condiderunt : ubi præcipuè Rex ipsorum agit : nam ipsi non ibi solum, sed in locis etiam ac vicis vicinis lares habent. Vivunt inter se pacifice admodum atque amicè, soli agriculturæ dediti. In victu ac vestitu perquam simplices ac sobrij deprehenduntur. Nihil, *Pythagorici Javani.* quod vitæ spiraculum habuerit, occidunt aut edunt, Pythagoram in hoc & gymnosophistas secuti : Cuius etiam opinionis plerosque olim Iavanorum fuisse, antequam Mahometi sacris imbuerentur; multi censent. Vestitus eorum papyrus est, ex arborum folijs albicans hunc in usum parata : eiusque parte aliqua caput velant, reliquum corpus viridi sindone contecti.



Et quod maxime mirandum, coniugij perpetuò expertes vitam transmittunt: indiesque ex Iavanis aliqui se in societatem ac disciplinam eorum dedunt; eo convenarum solo accessu veluti renascentes, adeò ut de hisce jure usurpare liceat, quod de Essenis olim Plinius, gentem hanc solam, & in tota non India modò, sed Orbe, miram; quæ sine *Plinius lib. 5 cap. 17.* fæmina, omni abdicata venere, tot per secula quasi æterna perduret, in qua nemo nascitur. Bantæ forum quotidie fere frequentant, piper venum apportantes.

Reliqui coloni de certo agri modo, quem excolendum sumere constituunt, cum domino paciscuntur. Cuiusmodi etiam plurimos ipse Rex habet, atque ij Regis captivi nominantur. Mancipiorum item servorumque nonnulli similiter in vicis conterminis atq; hæredijs dominorum suorum agunt, curamque habent ut in tempore colligantur fructus horreisque inferantur. Nonnulli quoque certo pretio hæc ipsa à dominis conducunt, sibi, si quid reliquum est, reservantes. Sunt & alij, qui alternatim operas suas heris præstare tenentur, sex nimirum diebus domino, & alteros sex sibi vacantes : quorũ non coloni tantum & agricolæ, sed piscatores etiam sunt. Eundemque in modum & servæ fæminæque herorum suorum nomine vel in foro emendis vendendisque rebus, aut domi texendo nendoque occupantur. Cuiusmodi, ut plurimum, mulieres novem florenorum nostratium pretio veneunt emunturque. Liberi ex ijsdem geniti, non minus ac parentes, dominorum proprij habentur, suntque toti in herorum suorum potestate atque arbitrio, nisi quod necare eosdem absque regio consensu fas nôn sit.

Navigia. Navigiorum genera apud Bantenses varia sunt. Triremes quas nos vocamus, illi fustas & suo idiomate *Cathuras* indigitant. Sed his præcipuè in expeditionibus bellicis uti consueverunt. Est illis tabulatum unum, sub quo remiges seu vincta mancipia collocantur. Superficiem eiusdem tabulati milites tenent. Præest plerumque ex Bantensibus primas aliquis : impositaque habent tormenta ex minoribus, quas Bassas vocamus, quatuor. Quorum in prora duo, reliqua circa puppim prominent. malus tantum unus est, cum velo bombycino : Exstatque in puppi tentorium cum pergula & peristylio non ineleganter elaborato. Parones, quos latium olim, & hodieque Lusitani *Paraos* apellant, alias

Juncos



Iuncos dicunt. His tugurium in meditullio est domus in modum undiquaq; contectum. Antennæ non sunt ad pares angulos transversæ, sed obliquè malis alligatæ, unde & vela, quæ ex sparto & gramine constant, in speciem trianguli formata sunt. Antennarum altera pars basin navis attingit: & nunc à dextra ad lævam; modò à læva ad dextram celerrimè detorqueri potest; prout navigationi expedire videtur. His, ut plurimum, duplex malus est, alij etiam sunt, quibus in prora insuper minor malus additur, quam blindam naucleri nostri vocant: huiusmodi autem navium genere nō tantum in explorandis maritimis regni partibus & à prædonibus tutum littus prestando propter celeritatem Bantenses utuntur, sed ijsdem etiam Moluccas, Bandam, Samatram, Malaccam aliaque in Indico Oceano loca atque insulas adeunt, merciumque iusto onere imposito ad lares redeunt; licet rudis sit omnis, & nulla arte eorundem constet navigatio. Nam nec hydrographicarum pinacum usum ullum habēt, nec rationem earum adhuc capere valuerunt: Et nuperrimè admodum Lusitanorū ac nostratium institutionibus edocti pixide nautica uti, & siderum in navigando rationem aliquam habere cæperunt. Olim, ut refert Plinius, (cuius tamen hodie, quod sciam vestigia nulla supersunt) Taprobanenses (qui, ut dixi, Samatrani nunc dicuntur Iavanis hisce proximè contermini) cum siderum in navigando observatione destituerentur, volucres secum vehebant easque emittebant sæpius, & meatum earundem, terras petentium comitabantur. Quin & hodieque Bantenses non tantum, sed & Iavani fere omnes cæterique Indi non ultra octo ventorum nomina noverunt: Idque eam præcipuè ob causam quod toto vertente anno non nisi duo, ordinarij & veluti Etesiæ venti *moncon* ipsis dicti perspirant, Circius nimirum, quem nostri *NoortWest* appellant; & Vulturnus, qui *oost sudoost* ijsdem dicitur. Quorum Circius Iavanis *Zeylaon*, qui circa Octobrem efferre se incipit perduratque ad initium pæne Aprilis anni sequentis; Et tunc excipiens Vulturnus, *Timoor* ipsis appellatur ab insula, quæ eo in positu, per quem spirat, sita est: ut & reliquis fere ventis à locis nomina indunt. Quod & Galli nostrates in nonnullis faciunt, qui Noton ventum *le vent d'Escosse*, id est, ventum Scotiæ nominant. Denique inter navigia sunt insuper ipsis, præter parones grandiores, quos diximus, parvi etiam myoparones & lembi lusorij piscatorijque magno numero

Navigatio Bantensiū.


Lib. 6. cap. 23.

Venti in India Etesiæ, Moncon dicti.

maximæque celeritatis: de quibus omnibus cum alij satis multa dixerint hæc vel obiter posuisse hoc loco sufficiat.

Animantia Iavæ præcipua. Inter cætera animantia, quæ Iava producit, Elephantus est, cicuratus & mansues præcipuè hoc tractu: Eiusque in exantlandis laboribus maximus hîc usus: & præter ministerium quod vehendis oneribus præstat, etiam bello utilis habetur. Dentes verò in operibus & instrumentis monilibusque fabricandis tanti fiunt, ut ex Æthiopiæ parte quę est à Sofala, usque ad Melinde, singulis annis in Indiam devehantur millies sexcenta Pondo, præter eos dentes qui ex his & reliquis Indiæ insulis convehuntur. Non exigua etiam huius Eboris pars ad Sinas defertur.

32



Rhinocerotem quoque haberi indigenæ nostratibus affirmabant; venditumque ipsis cornu, quod unicornu loco domum reportarunt; tametsi unicornu non sit, ut ij referunt qui se probe scire autumant. Huius animalis color Elephanto fere similis est, magnitudo Tauri forma apro proxima, præsertim quod ad rostrum attinet, demto naso qui cornu quoddam est recurvum, omni osse durius: eoque pro armis utitur, ut aper dentibus. Habet etiam duo cingula tanquam draconum volumina, à dorso usque ad uterũ circumeuntia, alterum jubam versus, alterum ad lumbum. Cervos vero & cervas Iava plurimas alit: ijque sclopetis præcipuè transfigi cum soleant, nec eo armorum genere Iavani cum satis commodè uti norint, maximi sæpenumero eorum greges turmatimq; vagantes cõspicere est. Præter apros & uros bovesque silvestres, qui magna copia habẽtur, boves etiam & buculæ cicures sunt, lac effuse præbentes. Nec desunt simiæ & simij & inter aves Gallinæ ac Galli gallinacei pavonesque ac psittaci, milleque formarum alites alij. Sed præcipuè admirationem meretur Emis avis, quæ nostris à Rege Iacatræ dono missa, Amstelodamum etiam viva ac salva perlata est, sed de ea suo mox loco plura.

Nidulantur & Crocodili in Iavæ fluminibus: qui in latebris suis insidias naviculis struentes totos sæpenumero homines auferunt. Narrant nostrates Crocodilos hosce *Crocodili à Chinensib⁹ cicurãtur.* singulari ingenio à Chinensibus vivos capi, intraque ædes certo exinde loco pasci ac cicurari: & mox probè pastos pinguesque redditos inter eduliorum delicias haberi. Christophorus Acosta ait virgam fieri ex arbore avellanæ Indicæ, duorum digitorum crassitudine, ad Crocodilos venandos.

Superest

Superest paucula his adijcere de Iavæ fructibus atque aromatibus nonnullis, quorum aliquoties jam superius mentio se obtulit. Arecca, quam vocant Lusitani nostratesque, Malabaribus *Pinan*, & ut Clusius habet, *Pac* Malaccensibus dicitur, Arabibus *Fausel*. Arbor est recta, fungosa materie, folijs palmæ, fructu nucis myristicæ, nisi quod altero latere pressior; altero latior duriorque existat. Integitur nucleus involucro admodum lanuginoso, & foris subflavo, perquam simili dactylis, ubi maturuit. Immaturum stupefacere aiunt & veluti inebriare. Maturum autem & jam siccatum cum lycio & Betle folijs commiscent: & ea ratione usurpatum non cerebrum modò sed & ventriculum expurgare, gingivas & dentes stabilire existimant. *Arecca.*

Folia autem Betle, mali medicæ folijs similia sunt, sed longiora paululum, & in extremo auctiora; venulas quasdam secundum rectitudinem exertas habentia. Probe maturata flavent optimaque tum habentur, durantque diutissimè & continenter quasi recentia vigent. Frutex cuius hæc folia sunt, proximè defixis stipitibus sese implicans in altum consurgit, non secus atque piper, cui adeo similis est, ut propius una consiti vix discerni eminus possint; fructu plerumque caret, quamvis quidam apud Malaccenses fructum proferre scribant, lacertæ caudam æmulantem, quique saporis haud ingrati sit & ab indigenis comedatur. Suffixis palis educatur, non secus ac vitis vinifera. Qui plus ex illis commodi quærunt, piperi aut Areccæ, frutices hos quam proximè applantant, ut reflexi & in Cameræ formam contorti umbracula præbeant. Folia hæc nemo vel virorum vel fœminarum in India est, qui nó perpetuò sive domi suæ sit, sive foris inambulet, seu quicquid aliud agat, quocunque diei tempore, calce prius, quam ex ostreorum testis parant, oblita commandat atque esitet; rarò tamen solitaria propter eorum amaritudinem, sed fructu Arecca adhibito. Solent etiam aliquem demissuri, aut ipsi ab adstantibus discedentes his folijs præparatis plena bursula sericea abeuntem honorare. Nemo autem discedere sustinet, nisi betle prius donatus: id enim demissionis est indicium: Existimant quoque eiusdem Betle masticatione oris anhelitum tetriorem castigari. Siquidem apud eos summæ incivilitatis est fætentem habere animam: ita ut si tenuioris fortunæ aliquem cum potentiori sermonem conferre necesse sit, manu ori apposita loquatur, ne teter aliquis odor alterius nares feriat. Sic etiam mulieres viris congressuræ Betle mandunt antequam colloquantur: quin & illecebram atque irritamentum ad lasciviam esse persuasum habent. Idque rationem aliquam habere temperamentum indicet, quod calidum & siccum esse ad finem secundi excessus; & sapor & odor probent. *Betle folia.* *Frutex.*

Habet & Iava duos insuper fructus magni apud omnes usus, Mangas nimirũ & Ananas. Quorum Ananas suavissimus & sapidissimus est, magnitudinem melonis sortitus, superiore parte colum lino fusum, reliqua facie Pini fructum exprimit. Colore est ad aspectum valde amæno & ex rubro viridescente, odore gratissimo. Ex hortis, ubi nascitur transeuntibus sese illico prodit. Fructus ipsi musti acriusculi saporem, refert, nec facile edentibus satietatem sui elargitur. Acrimoniam eius arguit, quod culter ad semihoram ei insertus ultra partem mediam exedatur & hebetetur. Stomachum tamen manducatus insigniter non lædit, nisi tanta copia ingeratur, ut â calore ventriculi nativo superari & concoqui nequeat. Radix eius carduo eduli perquam similis est, sed & folia non sunt disparia. Est autem Indiæ Orientali peregrinus hic fructus, nam ex provincia S. Crucis in Brasilia primum in occidentem Indiam atque inde in hanc delatus fuit. Mangas verò procera & vasta admodum arbor est valdeque ramosa. Fructum fert magna ex parte anserino ovo maiorem, nascitur etiam in alijs Indiæ locis. Editur fructus in laminas sectus aut sine vino, aut vino maceratus. Conditur etiam saccharo ut commodius adservari possit; atque interdum cultello aperitur, & in eius meditullium zingiber recens, allia, sinapi, sal, cum oleo & aceto insperguntur, ut vel cum oryza edant, vel olivarum códitarum modo. Saliunt etiam & elixant atque in forum venalem proferunt. Frigidus & humidus est nonnullis, alij calidum constituunt. *Ananas.* *Mangas.*

Fructus quos Cocos vocari supra diximus, struthiocamelini ovi magnitudinem habent, nuces indicas alias appellamus. Arbor est omnium utilissima & commodissima, vulgo *Palmam* vocant. Nostrates, quæ in Iava huic similis est, *Lantor* indigenis nominari memorant. Valde procera atque elata consurgit, crassitudinem tamen vix integræ spithamæ assequens, ramis tota vidua. In summo eius cacumine folia emergunt, ex quibus ad stipitis contiguitatem *Cocos* fructus extuberat, ita ut decem vel duodecim quam proximè, quasi conglomerati & colligati inde dependere videantur. Radices profundas non agit, sed obiter, quasi in fundi superficie, reptantes habet, ita ut ad quemvis vel levissi- *Cocos fructus.*

vissimum motũ vacillatura & corruitura videatur, nihilominus firmissimè stat, & instar mali cuiusdam nautici in maximam consurgit altitudinem. Ascensuri crenis seu incisuris quibusdam levibus arborem exasperant. Lignum eius rarum, fungosum & fragile minimèque solidum est. Flos autem fructum prægressus, castanearum nostratium efflorecentiam æmulatur. Substantia interior seu medulla papyrum & tenuitate & candore refert: quemadmodum etiam pro papyro ab Indis usurpatur, ut nonnulli referunt. Nostrates in peculiaris illius palmæ (quam *Lantor* appellatam dixi) non, ligno sed folijs scribi à Iavanis ferreo stilo memorant. Cuiusmodi etiam folia cum integra, tum per medium secundum longitudinem secta, characteribusque inscripta, ab argonautis nostris ex Iava Amstelodamum relata fuerunt; & inter cetera etiam liber, ex ijsdem compactus; quem in hunc modum conformant: Multa folia ita præcidunt, ut omnia longitudine paria sint: Foliorum verò extremitates perforant, ijsque compingendis duo ligna complanata, & ad eundem modum perforata coniungunt. Tum folijs ordine compositis, & lignis intrinsecus adiectis, utrimque per foramina funiculos immittunt, & omnia complicant arcteque devinciunt: & quod, post ita compactũ volumen, funiculorum utrimque superfluit, circa illud involvunt, idemque nodis astringunt. Quoties autem legere volunt, nodos laxant, & folia rursus explicant. Tetigi, obiter etiam supra eandem hanc libros cõformandi apud Indos rationem, ubi de Chirographis ipsorum ceperam dicere: verum in libris hisce non chirographa tantum conservant, sed res etiam alias memoria dignas literis mandant.

Libri Iavanorũ ex Lantor *arbore.*

Ipsa autem Palma arbor extruendis navibus admodum propter nativam suam proceritatem conveniens est, funes rudentesque ex nucum exteriori cortice parantur, vela & carbasa ex folijs texuntur, quibus aliqui etiam ad contegendas ædes & obturandas navium fissuras utuntur; parantur inde & storeæ & pilei contra solis pluviarumque vim persistentes. Interior cortex conficiendis poculis & vasis culinarijs alijsque inservit. Ceterum fructus maturitati propinquus, aqueo humore totus refertus est, qui progressu temporis in candidum nucleum indurescit; isque verus fructus est & saporem avellanis nucibus similem linguæ offert. Antequam autem indurescat, quælibet nux aquæ heminam fere continet, & potum admodum suavem salutaremque hominibus præbet, quo plus autem fructus ille maturatione accrescit, eo plus aqua sensim minuitur, & dulcedinem suam amittit, acetosum quid linguæ exhibens. Ex candido isto nucleo succum quendam lactis instar torcularibus suis incolæ exprimunt, eoque in culinis ad decoquendam oryzam utuntur, sed & oleum inde conficiunt, cibis, lucernis & pharmacoplijs commodissimum. Dum autem corticibus suis inclusi sunt, nuclei isti, per universum orbem citra corruptionem distrahi & transportari possunt. Si qui forte nucem non expetant florem eius resecant & ad eius sedem angusti orificij urceum exquisitè applicant iuncturas argilla perlinentes, ut nec halitus ingredi, nec quicquam egredi possit, hoc facto paucis diebus urceus aqua totus completur dulcissima & quæ serum sapore exuperet. Hæc dimidiæ horæ spacio soli exposita in acetum fortissimum facessit; distillata verò alembico vinum exhibet, quod præstantia sua Rhenensi nihil concedit; Decocta, & soli exposita in sacchari substantiam cogitur, ut ita & arbor & fructus hic maximas hominibus in India habitantibus commoditates præbeat: & non tantum cõficiendis navibus, sed ijsdem etiam onere variarum mercium instruendis sufficiat.

Mambu. Nascitur etiam in Iava insula arundo ingentis magnitudinis, quam *Mambu* nominãt: unde præcipue ædificia fere omnia conficiunt. Gignitur, aut potius medulla huius arboris *Tabaxir* est, quod magno emitur, ab Arabibus, Persis, & Turcis: qui in biliosis præsertim affectibus ac dysenteria eo utuntur. Nostrates quoque pharmaceutæ trochiscos ex eodem conficiunt, addito semine Oxalidis. An etiam hunc succum Iavanense Mambu contineat, nostrates navarchi nihil adhuc comperti retulerunt: In eo interim copiose habetur, quod Bisnager, Batecala & pars provinciæ Malabarum profert.

Habet & Iava fructum, quem Duriam nominant: cuius flos apud Malaccenses *Buaa*,

Duriaon. arbor verò *Batan* dicitur: Estque procera & elata admodum, ligno firmo & denso constans, cortice cæruleo vestita, ramis multis & fructibus frequentissimis prægnans atque superbiens. Flos ex candido luteolus est; Folia spithamæ dimidiæ longitudinem & duorum triumve transversorum digitorum latitudinem habent, in ambitu nonnihil serrata, foris ex nigro viridia, intus verò splendida. Fructus ipse melonis magnitudine est, cortice duro. Qui fructum hunc prius non gustarunt, eum aperientes, odorem putrescentis cæpæ naribus percipiunt; semel manducatus, deinceps tum odore tum sapore suavissimus omnium creditur.

Piper deniq; apud Iavanenses abunde provenit. Maturum habetur Octobri ac Novẽbri mensibus: Sub Decembrem Bantam infertur;ubi vernaculo idiomate *Sahang*,Malacitano *Lada* dicitur. Distinguitur in album,nigrum & longum. Inter plantam verò quæ piper nigrum fert, & eam quæ album,tam exigua est differentia, ut à solis incolis discerni possit : quemadmodum vitem,quæ uvam fert nigram ab ea,quæ candidam,vix dignoscimus,nisi cum uvas habent,& illas quidem maturas. Quæ autem longum piper profert, longe alia est planta : etenim non plus habet similitudinis cum superioribus quam faba cum ovo, hoc in Bengala præcipue nascitur. Candidi plantæ rariores sunt, nec nisi certis Malaber & Malaccæ locis proveniunt.Solet magnatum mensis inferri: qui eo utuntur quemadmodum nos sale. Singulorum icones apud Clusium inveniuntur. Iava præter nigrum, etiam longum producit; ut memorant. Et possint his addi insuper Cubebæ,Tamarindi,Costus Indicus,Calamus aliaque aromata quibus Iava præcipuè fæcunda est. Sed hæc vel digito intendisse hoc loco satis sit. *Piper.* *Aromatum hist. lib.cap.22.*

CVM itaque, ut supra diximus, relicta Bantæ statione anchorisque levatis Iacatram, aliud Iavanorum emporium,cursum nostri direxissent advesperascente jam die, circiter tertium decimum Novembris,oppidum eminus conspiciunt magnumque simul myoparonum numerum ultro citroque per flumen,quod urbem præterlabitur commeantiũ. Die sequẽte, qui erat 14 Novemb.plurimi lembi paronesq; ex oppido egressi naves adeunt, commeatu & varijs fructuum generibus luculenter instructi. Venit inter alios etiam oppidi sabandarius, vir singulari, ut videbatur, humanitate praditus linguæque Lusitanicæ peritus. Hic ad navium Præfectos adijt, eosque Lusitanico sermone honorificè admodum salutavit. Dixitque præterea regem illorum fama commotum omnia curaturum, quibus indigere ipsos animadverteret. Proinde sive commeatu sive alia re opus eis esset,omnia sine dubitatione postularent. Offerebat quoque se obsidis loco in navibus mansurum,dum nostri in terram descenderent, ut aromata aliaque sibi necessaria compararent. Verum nostri id excusantes hospitem suum Bantensem,qui hucusque comitatus fuerat, una cum duobus ex navalibus præcipuis Sabandarium in oppidum reducere ac comitari imperant. Qui in ædibus Sabandarij benignè liberaliterque excepti sub vesperam ad naves redierunt retuleruntque præter commeatum vix quidquam haberi posse : Et regem, qui tunc extra oppidum animi causa in locum quendam propinquum secesserat, à Sabandario de adventu navium certiorem redditum. Vix biduo elapso ipse Rex ad naves accessit. Præfectos salutandi & classem videndi ergo. Erant in eius comitatu ex nobilitate viri præcipui : quos omnes appositis epulis genialiter navarchi invitarunt: & mox,ubi navium figuram,armamenta ac machinas sic satis considerassent,amice demissi fuerunt. Rex etiam muneribus seorsim cohonestatus omnia vicissim humanitatis officia studiose pollicebatur multisque indicijs, quam esset in nostros propenso animo, cum gestu, tum vultu atque oculis ostendebat. Verum nostri, ubi de rebus necessarijs abundè sibi prospexissent, nihil ibi ulterius morati vela ventis dederunt. Vix miliari unico promoto, Amstelodamum navis plenis velis in scopulum defertur; qui infra undas adeò acclivis delitescebat, ut navis jacta una ex anchoris, postica sui parte ob pondus in mare relaberetur : quamvis rimas agere ac laborare exinde paulatim cæperit. Hinc navarchis cum Præfectis in senatum convocatis agi cæptum de itinere perficiendo. Præfectorum fere omnium sententia huc tendebat, ut Moluccæ peterentur, sed renitentibus navarchis, qui domuitionem, multis allatis rationibus, suadebant. Dumque hæc fiunt littusque Iavæ pedetentim legunt, sub tertium tandem Decembris diem ad Tubam & Cydaiam anchoras jaciunt. Adsunt continuo incolæ; merces suas offerunt, nuces myristicas, caryophylla aliaque aromata. Sabandarius denique & ipse naves intravit, salutatisque navarchis Emin avim dono obtulit. Addebatque magno desiderio teneri regem naves classemque universam propius contuendi. Avis, quam dixi, navarcho præcipue Scellingero honorarij loco data; & postmodum viva Amstelodamum, uti & superius innui, perlata : Vbi multos cum menses certa pretij pactione omnibus publico spectaculo fuisset,tandem in illustrissimi domini Georgij Everardi Comitis de Solms &,laudatæ memoriæ,potestatem venit,qui eam lõgo tempore Hagæ ducavit: Deinde Reverendissimo & illustrissimo Principi Ernesto Electori Coloniensi donavit: & is demum invictissimo Cæsari Rudolpho,huius nominis secundo. Picturam interim ad avis ipsius magnitudinem illustrissimus idem Comes vivis coloribus expressam sibi servaverat: Quam exinde CL.V. Carolus Clusius ab illustrissima Domna Sabina Egmondana,defuncti Comitis vidua, commodato acceptam minoriq; forma *Iacatram appellunt.* *Cydaia.* *Emin avis.*



forma delineatam Exoticis suis inseruit. Erat hæc avis, ubi surrecta cervice incederet, quatuor pedum & aliquot unciarum altitudine; colore subnigro. Anterior colli pars, quatuor pæne uncijs infra rostrum, bina veluti membranacea palearia, ceu barbulas, propendentia habebat uncias duas longa, coloris rubri miniati. Postica itidem colli portio deplumis, à capite secundum longitudinem rubri miniati coloris erat; deinde eiusdem pars rubentibus aliquot plumulis, quibus nigræ intermixtæ visebantur, tecta. Et licet notas haberet haud paucas cum struthiocamelo communes, veluti caput exiguum & pæne calvum; & quod sine delectu voraret quidquid obijceretur; in eo tamen differebat, quod pedes bisulcos non haberet, sed tribus digitis præditos. Asserebant quin etiã navarchi prunas aliaque ignita sine læsione deglutire consuevisse. Quod tamen à Clusio, qui avis huius accuratam historiam contexuit, omissum video.

Lib. 5 Exo. cap. 3

Regem ergo cum nostri ex Sabandario percepissent hoc unicè expetere, ut nimirum naves intrare ac lustrare posit, naviumque duces compellare; libentissimè se id ipsi permittere, inter cæteros, Hellius respondit. Quocirca & navis præcipuè Amstelodamum die postero honoris gratia aplustria vexillaque explicat, totamque se ad regem magnificè excipiendum componit. Verum expansis eum in modum vexillis, misit ad naves Rex quæsitum quid sibi id vellet, nam intellexisse se cum Bantam oppugnarent, classicumque caneretur, idem factum fuisse. At nostri respondent hoc more gentis suæ facere in Regis præcipuè gratiam, quem digne excipere omnibusque officijs demereri studerẽt. Venit & Lusitanus ex ijs, quos renegatos vulgò nominant; isque cum multa polliceri ambiguisque ac blandis sermonibus demulcere nostros deprehenderetur, nec in navibus subsistere, advenientibus de terra cæteris, iterum iterumque rogatus vellet, subornatum à Bantensibus Lusitanisque haud temere sibi nostri persuadebant. Atque ità lembis multisque paronibus vectorum plenis, sub meridiem, navigijs nostratium in speciem amicitiæ Cidayenses appropinquant. Præcipui ex ijsdem ad onerariam, cui Amstelodamum insigne & nomen, remis velisque contendunt :. Reliqui liburnicam petunt. Præfectus Hellius, & Scellingerus, qui Amstelodamo præerant, Regem ipsum adesse existimantes, circa foros atque introitum advenientes expectant; Quo autem cogitatũ scelus commodius exequerentur Iavani, caryophyllorum ac nucum præsertim myristicarum pondera aliquot simul adduxerant, ut, dum ijs in naves ex myoparone transportandis distinerentur classiarij separatos atque occupatos facilius invaderent; Quemadmodum etiam accidit. Nam vix nobilium præcipui, quos inter, Regem fore nostri rebantur, navem cum satellitio ingressi fuerant, quin ferrum continuò stringunt, ac duodecim uno pæne momento conficiunt, inque ijs præcipuæ autoritatis viros. Hellius, cuius partes erant Regi advenienti gratulari, dum nobilem, quem Regem exstimabat, honorificè excipit, à Sabandario, qui proximè astabat, dolone confoditur.

Nostrates à Cydaiensibus circumventi cladem accipiunt.

Navarchus

34



Navarchus Scellingerus, vulnere accepto, ad arma convolabat, sed vulneratus lethaliter concidit. Duo ex militum primipilaribus, licet saucij, acriter se defendunt: Et unus ex ijs, sumpto gladio, Sabandarium, qui adhuc in cædes aliorum grassabatur, medium transverberat. Nam & nauclero, qui clavum gubernat, intestina ex vulnere aqualiculi in pedes propendebant: Idque vulnus Sabandarius idem inflixerat. Interea qui in navis interiori parte erant tumultu exciti barbaros hastis, contis, gladijs per tabulata suffodiunt ac proturbant. Atque inde instructis tormentis, igneque subiecto, in fugam præcipites acti; in qua multi perierunt. Qui Liburnicæ insidiabantur, animadverso sociorum successu, magna cum trepidatione sese recipiunt, nihil ausi: eamque valde augebat nostratium è navibus in cymbas sese eijcientium, & undique ad auxilium socijs ferendum cōvolantium alacritas. Ex maioribus navigijs Hollandia post primam statim tormētorum explosionem, solutis anchoralibus, Amstelodamo ad opem ferendā, quamproximè latus applicuit. Iavani cæteri, qui è littore adhuc rei eventum expectabāt, ubi Hollandiā navem ferri propius ad terram animadverterent, cum paronibus ulterius prodire cœperunt, existimantes victoriam è partibus suis stare: Sed & hi nostratium lembis, tormentisque navium, impetiti tergum vertere, ac fuga sibi consulere coacti fuerunt: Quamvis haud pauci ex ijsdem depressi, & multi mortalium aquis suffocati sint, exceptis illis, qui se in fluctus sua sponte proiecerant. Nam à partibus insulanorum ultra 150 desiderati fuêre: In navi Amstelodamo duodecim primo impetu nefariè ceciderant; sauciatorum duo superstites relicti; Navalium reliqui illæsi tredecim tantum numerabantur. Inter duodecim autem, quos interemptos dixi, duo erant adolescentuli, quorum, alteri præcipuè post necem illatam vulnera adhuc aliquot, sicuti & alijs nonnullis inflicta fuerant; ut gentem hanc insigni quadam feritate esse ex eo intelligi posit, quod in mortuos etiam sævierint. Ex ijs, quos vivos nostri tenebant, perspicuè didicerunt Lusitanorum Bantensiumque machinationibus hæc omnia adornata fuisse: paronemque, qui nuces myristicas advexerat, deditā operā in id Banta missum, ut eo facilius nostri inescarentur, ac moras eo loci ducerent. Peracta jam strage, Houtmannus & Carolus in navem Amstelodamum ingressi miserrimamque hanc cladem oculis arbitrati maximum animo dolorem

lorem conceperunt. Sed cum lamentis ac lachrimis promoveri nihil poterat, peremptorum ac funerum ratione habita, ipsique navi ex Mauritio atque Hollandia clasſiariorum aliquot ſupplemento addito, navibus inde ſolutis, octavo idus Decembris Maduram, inſulam amplisſimam, tenuerunt. Et eodem ſtatim quo appulerant veſpere, inſulanorum aliqui, inter quos Regis interpres erat, lembis advecti, humaniter eis, ut videbatur, de adventu gratulantur, ſuiq; principis nomine multam ſalutem nunciant. Et ſimul munuſcula expoſcentes quærunt num Regi ſuo fas eſſet naves ac duces coram inviſere ac ſalutare. Reſpondent noſtri omnino hoc ipſi & licitum & liberum fore, modò haud pluribus quam quinque aut ſex comitantibus accederet; hærere enim adhuc in recenti ſuorum memoria Cydaienſium perfidiam. Poſtero inde die idem interpres maturè ad naves regreſſus ſeorſimque in navis puppim à Præfectis vocatus interrogare cæpit, an ex animi ſententia res eſſent, noſtri vicisſim ex occaſione reſpondent quæruntque an Regi quæ pridie eius diei tranſmiſerant munuſcula, grata acceptaque fuiſſent. Eaque dum ultro citroque referuntur, animo perturbato ſupervenit ille, quem in aqualiculo ingens vulnus accepiſſe diximus, navigij gubernator, nudato mucrone interpretem iſtum confodere cogitans; niſi ex Præfectis Carolus cõpeſcuiſſet, hominemque obiurgaſſet, quod uno ab Indo vindictam dum ſumere ſtudet, ſe ipſum, necdum perſanatum, multo maiore cruciatu ac propemodum morte afficeret. Atque ita leniter repreſſo naucleri impetu, interpretem confeſtim miſſum fecere; Et id dum agunt, eminus de terra, præter lembos, ingentem paronem adventare animadvertunt, centenis haud minus vectoribus repletum: Quocirca & interpreti in mandatis dedêre, ut Regem ſeriò moneret ne tanto cum populo naves accederet: & præſertim ne ad eam, quã ipſe tum egrederetur, navim diverteret, ſed ad Mauritium aut Hollandiam potius curſum inſtitueret. Acceptis hiſce, infelix ille, Regio paroni obviam quidem proceſsit, ſed mandata parum dextrè vel exſecutus ipſemet eſt, vel à Rege ceteriſque intellecta acceptaque fuerunt.

Madura inſula.

35.



Nam recta ad Amſtelodamum pergere nihilominus inſiſtebant. Et jam Houtmannus cum ſuis celocem intrare cæperat, & abitum quoque Carolus in ſuam prætoriam parabat: Verum animadvertens claſsiarios furere, ac queri ſe jam denuò peti & ſimul deſeri, iuſsit ex celoce ſuos continuo regredi Carolus, Houtmannum increpans quod navim

claſsiarijs

classiarijs pæne nudatam nequaquam deserendam non ignoraret. Nauclerus autem ille, quem modò dixi, circa aqualiculum periculosissime licet vulneratus, ubi propius propiusq; iam suam ad navem accedere intelligeret, iterum de grabato exsiliens sclopetum manu arripuit atque exonerasset in turbam promiscuam, nisi à ducibus inhibitus extortumque ei de manibus sclopetum fuisset. Quæ dum fiunt; nec de cursu instituto Madurenses quidquam intermitterent, tormentum in eos iam propinquos admodum, inscijs ducibus, exoneratum est magnaque strages data. Nam interempti pæne omnes, qui intra paronem erant, sævientibus præcipuè classiarijs, qui emori velle haud illibenter vociferabant, modò ne inulti morerentur. Ex ijs, quos vivos ceperant, intellexere, constitutum apud ipsos fuisse suam in potestatem navem redigere, modò tulisset occasio: aliàs negotij atque animi solius causa venisse. Inter occisos Rex præcipuè, & Cherissa erat, mahumetanus antistes. Captivus, præter ceteros, filiolus regis habebatur, annos octo natus, ingenio acri: atque eleganti adolescentulus: qui & reliquorum sociorum suorum nomine intercessit, liberosque eos omnes reddidit, Nam prandio liberaliter excepti universi in terram confestim demissi sunt. Super universo autem negotio convocatus exinde senatus fuit, decretumque, ad factum hoc classiariorum, quamvis immane, dissimulandum videri leniendosque paulatim singulorum animos, tunc adhuc intumentes nimium, atque in fermento totos. Quibus peractis, cum Moluccas aut Insulam Bandam petere, quæ inde ducentorum circiter miliariorum spatio, Orientem versus, aberat, Ducum pæne omnium votum esset; restitêre tamen navarchi & gubernatores, qui ad clavum sedebant, uno excepto qui Ducum seu Præfectorum sequebatur sententiam. Navarchi non modò navium inhabilitatem, sed classiariorum quoque, & præsertim fabrorum naviculariorum paucitatem urgebant, superesse nimirum fabrum navicularium classi toti unicum tantum, cum navis unaquæque propemodum quatuor desideraret: Vnam ex navibus maioribus cum liburnica separatam à reliquis dimittere nec hoc consultum navarchis videbatur, quamvis vel eo quoque ex Præfectis aliqui propendebant. Atque hunc in modum dum inter sese altercantur, suffragijs tandem omnium statutum fuit ut navis Amstelodamum, quæ jam ex concussione illa ac periculo, de quo supra dictum fuit, laborabat, & dissolutis aliquot locis compagibus aquam adeò immodicam hauriebat, ut perpetuò ducenda sentina esset, & nautæ ac navales quoque socij ad quatuor naves dirigendas tuendasque deficerent, statutum, inquam, fuit ut incendio absumeretur. Quapropter omnium primò pecuniarum marsupia, quorum unum & quadraginta erant, in Hollandiam partim, partim in Mauritium translata fuerunt: continebatque marsupium unumquodque Realios Philippæos 200. Atque ità Amstelodamum, exportatis deinde, quæ reliqua erant, commeatu & armamẽtis omnibus, combustum est. Priusquam ignis navi inijceretur, Molenarius subitanea morte exstinctus est; Consenserat quidem ante obitum, ut Moluccæ unâ navi peterentur, sed ea lege, modò scripto consignatum sibi traderetur se semper, ob rationes pro parte superius allatas, contrarium, id est domuitionem in universum suasisse. Mors eius quod repentina esset, &, sumpto pro more prandio, tam inopinatò eum invasisset, multis veneficij suspicionem iniecit. Quam primum enim ægritudo accumbentem adhuc corriperet myristicæ nucis frustulum accepit, postulato simul aquæ haustu: Quo assumpto, dolorem cordis persentiscere se dixit cumque aquæ potu discutere studuisse, sed ingravescere. Quapropter de mensa continuò in pergulam, quæ circa navis puppim erat, concessit, lamentis & gemitu acerbissimum cruciatum contestatus: Nec diu questus, & vitæ sibi finem adesse sentiens, ut sibi ignoscerent, si quem forte offendisset, adstantes omnes oravit; simulque addens se Deum omnipotentem sibi ut parceret vitamque produceret sæpenumero precatum, & impetrasse etiàm; nunc tantum viginti quatuor horas orare: sibi perpetuo societatis & herorum suorum commodum curæ ac studio fuisse: & antequã ultimum spiritum, quem anhelanti pectore & fesso jam corpore ducebat, Deo redderet, iterum iterumq; orare se per memoriam sui, per quidquid charũ haberent, ut re cum Præfecto Carolo cõmunicatâ, in patriam & ad lares optatos iter unanimes instituerent: Atque inde, aucto in maius dolore, continuo exstinctus est, ingenti totius societatis detrimento ac luctu præsertim eorum, qui virum propius noscerent: Erat enim consilio ac prudentia singulari, nec minus animi virtute ac robore præstans: & classiarijs quoq; ac collegis omnibus, ob comitatem ac mansuetudinem eximiã, plurimum amatus. Tantum cum Bonjngo, quæ illi cum Ducibus reliquis communis erat, lis intercesserat; sicuti nec Houtmanno, vel potius ipsi Houtmannus per omnia probabatur.

Dissensus inter Præfectos & navarchos.

Amstelodamum navis cõbusta

Molenarij repentinus obitus.


babatur. Corpus, antequam exequiæ fierent, nudatum loco elatiori omnium conspectui expositum est, depræhensumque circa collum atque abdomen livere: quæ esse veneficij signa nonnulli interpretabantur. Vnde & magnus animorum motus inter classiarios exortus est: Quorum alij Boningum, alij Houtmanum suspectabant. Verum nudis suspicionibus agi nihil poterat. Consultatum inde inter Præfectos, quique alij Senatus nautici aderant, quis Molenario sufficeretur: Resignatisque successionis literis deprænsum est, qui nominati fuerant, vita omnes excessisse: Quocirca liburnicæ nauclerum Mauritio navarchum designant, renuentibus licet classiarijs, qui alium maluissent.

Amissis hunc in modum, idque temporis tam exiguo intervallo, totius propemodum classis navarchis præcipuis ac Ducibus, Hellio, Scellingero ac Molenario, omnium propemodum, etiam eorum, qui antea diversum suaserant, voces & vota in hoc consentiebant, lares esse repetendos. Itaque Iavæ littus legentes, Pallabuæ sinum ex adverso Balij insulæ positum, vi ventorum marinique æstus vehementia intrare coacti sunt. Hic obsessam à Rege Passaruano Pallabuam ex incolis intellexêre, ob causam superius à nobis obiter memoratam. Nam cum esset Mahumeticæ sectæ addictus Passaruanus Regulus, Pallabuanum, qui gentilismum sequebatur (cuius & filiam uti dictum est duxerat necaveratque Passaruanus idem ob gentilismum, in quo ea persistere volebat) ad Mahumetismum vi perducere studuit. Pallabuano interim auxiliares copias ad obsidionem solvendam Balij insulæ regulus submiserat, utpote qui Mahumetismo similiter adversabatur: sed, occiso duce, regressæ copiæ nihil effecerant; quas tamen iterum reparabat Baliensis, additis multis paronibus, quos in procinctu stare secundum Balij littus nostri etiam eminus conspiciebant. Hæc aliaque ex piscatotibus atque incolis istius sinus nostrates intelligebāt. Sed & ipse Pallabuanus Rex, arctissimè licet obsessus, de nocte unum ex nobilibus clanculum ex urbe demiserat, qui ad naves nostratium salvus perveniens totius obsidionis ordinem ac causas enarravit: Adiecitque dolere Regem hoc potissimū temporis puncto suos ad portus nostrates accessisse; quo officia & honorem illis debitum pro merito exhibere, & quod vellet animusque dictaret, re ipsa efficere ac præstare non possit. Intelligebant insuper Regis huius parentem superstitem adhuc insulæ interiorem tractum inhabitare, ætate admodum grandævum: & quia idem nobilis mentionem iniecerat navigij, nostratium per omnia simillimi, quod ante decennium eundem in sinum appulisset; coniectura ducti nostrates Candischium eum fuisse augurabantur; & Regem hunc grandævum, eundem esse quem 150 annorum curriculum jam tunc peregisse Cādischius idem tradit. Pallabuam ergo prætervecti ad aquationē insulæ Bali naves appellunt: Eoq; in loco aquationi & lignationi & in universum cōmeatui comparando

Pallabua sinus.

Bali insula


36



operam diligentem dederunt, quamvis adversum ventos & maris fluxum, qui illo in freto vehementissimus est, multum colluctati fuerint, antequam unum eundumque omnes sinum

finum tenere potuerint. Hunc finum totumque terræ tractum, ob uberem omnium rerum copiam, nostri *Hollandiolam* appellarunt; alias *Bayam formosam* vulgo nominant. *Hollãdiola* Nam præter fluentorum commoditatem, etiam oryza, & armenta ut oves, boves, porci itemque gallinæ perdicesque abunde, & vili pretio haberi poterant. Nec deerant mala aurea, citria, Limonia & alia id genus, quorum in silvis ibi proventus maximus est. Sed & fructum alium insula profert, pyrum magnitudine referentem, & cortice tenui intextum, forma castaneæ, minus tamen aculeatum, interius albicantem, sapore iucundo, sed astringente nonnihil. Solet hic fructus interdum vel saccharo condiri vel sale macerari, & post, si coquatur, deposita salsugine, iterum condulcescit. Indicas nuces, quas Cocos nominari dixi, plurimas habet: Alias aromata, cuiusmodi Iava fœcunda est, parcius producit. Nec admodum etiam negotiationibus dedita ipsa gens est, nisi quod pannos subinde gossipinos ad loca remotiora traducat. Suntque indigenæ omnes colore, ut ille inquit, noctis, capillo crispo. Sita enim insula est octo circiter gradus ultra Æquinoctialem, Austrum versus: A parte sui altera versus oceanum & plagam occiduam ut plurimum plana est, alterà montibus defenditur, habens in ambitu duodecim propemodum miliaria Germanica. Vestitum Iavanis & finitimis consimilem gerũt; & licet indies magnus hominum numerus vendatur, nihilominus tamen, cum polygamia apud eos usitata sit, ingens eorum se copia offert, qui ex agricultura & arte textoria quęstum faciunt. Equos alit Gallicanis minoribus aut Islandicis non absimiles. Nam quod humiles & robore nostris longè inferiores sint, cataphractum sessorem vix ferunt. Equi hi ex insula rarò transferuntur, & nõ nisi tenuioribus usui sunt: Opulentiores & primarij vel sellis, mãcipiorum opera, vel bubalorum, rhedis vehuntur. Rex ut plurimum, curru affabrè elaborato cui bubali iuncti phaleris & capitijs ornati (quomodo & priscis illis Francorum regibus factitatum legimus) veluti in solio sedens vehitur. Miserant nostrates, cum primum ad insulam appulissent, ex primipilaribus unum cum muneribus Regem salutatum: Qui ubi redijsset, inter cætera, referebat se à Rege perbenignè accep-

37



tum & cum honore demissum & usque ad littus ab eodem deductum fuisse; sedente in eiusmodi curru Rege, quem bubali candentes bini iugalesque ducebant, ipso rege manu

 flagel-

flagellum vibrante, strepitumque, in morem aurigarum nostratium, identidem excitante: Comitatum eius tam equitum quam peditum circiter 300 exstitisse, se inter ceteros equo vectum: armigerosque regios prælongas hastas pugionesque flamiformes inauratos habuisse; & cannas, ex quibus sagittas efflarent cuspide venenatas: Cumque primum ad aulam venisset, in varia Regis Palatia, lustrandi gratia, circumductum, & tandem epularum ferculis magnificentissimis ac pateris solido ex auro constantibus apud Regem ipsum exceptum fuisse. Addunt hoc insuper nostrates tellurem insulæ æquabili planitie introrsum etiam esse, multisque rivis ac fluviolis irriguam; Eorumque nonnullos ab incolis per aquagia & fossas ad prata ac latifundia irriganda certas in partes traduci ac derivari: Esseque habitatam adeò, ut vix semihoræ iter confici possit, quin aut vicus aut oppidum occurrat: ideoque & Regem, ubi res exigit, trecenta millia peditum, & equitum centena millia in aciem educere: & denique quocunque Iavanorum regulo potentiorem haberi.

Religio Baliensium Ethnica. Religionem Balienses omnes ethnicam sequuntur; cuiusmodi fere exceptis Mahumetanis Indi reliqui. Maximo in honore habent sacerdotes, quos Bramenes sive Brachmanas vocant. Penes hos arbitrantur esse rerum divinarum & humanarum scientiam. *Bramenes.* Reges nulli fiunt, qui non sint prius eorum disciplinis imbuti. Tempore belli fas illis ultro citroque securè ac tutò commeare. Inexpiabile namque scelus existimatur, illos secus, quam postulat opinio sanctitatis attingere. Terna fila ab humero dextro in latus sinistrum gerunt, ut designent trinam in naturâ divina rationem. Credunt Deum in specie humana latentem terras lustravisse, ut humanum genus à peste sempiterna liberaret. Quæ sanè à Christianis antiquissimis accepisse verisimile est. Sacris nō ipsi tantū, sed & mulieres ipsorum præsunt. Est & aliud hominum genus, quod valde etiam sanctum habetur. Hi Baneanes appellantur. Lapidem ovi magnitudine pertusum, è cuius *Baneanes.* foramine tria fila prodeunt, è collo appensum gestant. Huius lapidis significatione summum numen contineri prædicant, & eâ de causa maximo honore ab omnibus afficiuntur. Lapis tanta religione cultus, Tambaranc nominatur. A carnibus & piscibus abstinent: Quod cum Pythagoræis Iavanensibus, de quibus supra dixi, commune habent, in eo differentes, quod haud in totū, ut ijdem Iavanenses, à matrimonio omnique venere se abdicent. Semel namque in vita uxorem ducunt. Illis defunctis, uxores prope illorum cadavera vivæ sepeliuntur. Septimo quoque die ferias agunt. Præter hunc diem multos anno vertente dies cantibus & sacris & statis cæremonijs celebrant.

38



Hæc fere Osorius; qui & hoc adijcit, credere eos animum immortalem esse, & post hanc vitam præmia bonis, improbis autem supplicia judicio divino constituta. Idem etiam Osorius religionis alterius apud eosdem Indos paganos mentionem facit; quam Ioguium sectam appellant. Præ se ferunt hi singularem rerum humanarum contemptionem.

nem. Nullas opes poſsident: mendicatis cibis victitant: per omnia fora curſant,ut ſuæ *Ioguium*
ſectæ diſciplinam omnium auribus inculcent. Maxima eorum pars præſtigijs illudit *ſecta.*
hominibus imperitis, eorumque dementia ad ſuum quæſtum abutitur. Omnes autem Indi gentiles hunc hodieque morem ſervant, ut uxores, defuncto marito, vivæ in rogum eius magno cum ſuorum comitatu & multis cantibus atque laudibus inferantur: Quod & nobilis ille Pallabuanus,de quo ſupra retuli, obſervari quoque referebat noſtris,etiamſi in bello mariti occubuiſſent; eaſque mulieres, quæ cum funere mariti comburi ac rogum eundem conſcendere renuunt, parum probas haberi; promptas autem & faciles, honeſtiſsimas & viri amantiſsimas cenſeri, & dignas, quæ illi in altera quo- *Fæminas*
que vita cohabitent. Tradunt recentiorum Itineraria conſuetudinem hanc à Rege quo- *cum mari-*
dam ideò introductam, ut mulierum proterviæ obviam iretur; quæ maritos ſæpenume- *tis defunctis*
ro, ubi eorum ipſas ſatietas caperet, è medio tollere venenis alijſque fraudibus non du- *vivas exu-*
bitabant: eoque flagitio cum Rex peſſum ire quamplurimos animadverteret, hoc ritu *ri, Indorũ*
inſtituto malitiam mulierum refrænatam & cohibitam, fuiſſe, utpote cum moriendum *vetus non*
ſibi una cum maritis intelligerent. Sed antiquiſsimum eſſe & perpetuum hoc Indorum *nuperus*
inſtitutum colligi ex Propertio & Strabone poteſt,qui ante Chriſti nativitatem floruerunt. *mos.* Propertius præſertim hanc eorum conſuetudinem LEGEM FUNERIS ſignatè appellavit verſibus, qui adſcribi merentur.

Felix Eois LEX FUNERIS *una maritis,*
Quos aurora ſuis rubra colorat equis,
Namq; ubi mortifero iacta eſt fax ultima lecto,
Vxorum fuſis ſtat pia turba comis:
Et certamen habent lethi, quæ viva ſequatur
Coniugium, pudor eſt non licuiſſe mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,
Imponuntque ſuis ora peruſta viris.

Vigeſimo quarto Februarij anno 1597 cum jam aquationi & commeatui in naves 1597.
importando toti ſtuduiſſent, convocato tandem ſenatu, iterum de Moluccis petendis deliberatum fuit. Sed renitentibus, ut prius, & patrios lares repetendos identidem dicentibus navarchis, ex Præfectis Carolus & Houtmannus cum obnunciatione palam teſtificati ſunt inque acta referri curarunt; ſeſe invitis id fieri. Atque ita comiter & cum fide apud Balienſes habiti amanterque demiſsi, quinto Nonas Martij, anno, quo diximus, vela in altum dederunt, relictis in inſula ex militarium ſodalitio duobus,qui ſe ſpõte ſua ſubduxerant,quò ibi ſecure inter gentes agerent: Quorum alterum poſt biennij tempus in Patriam Amſtelodamum ſalvum ac ſanum redijſſe & ſuperſtitem etiamnum agere intelligo. Poſtquam oram navibus ſolviſſent, à die nimirum quinto Nonarum Martij ad uſque octavum Calendas Iunias non ſine maximis periculis & difficultatibus *S. Helenæ*
continenter navigarunt; Quarum tamen levamentum in S. Helenæ inſula, quam aſcen- *Inſula.*
dere decreverant, nacturos ſe ſperabant. Eſt enim inſula hæc vaſtiſsimo illi mari veluti divino conſilio ad navigantium uſum iniecta, fontibus, Capris, alijſque animantium generibus, ac terræ fructibus abundans. Incolas nullos habet quod regis Hiſpaniarum edicto prohibitum ſit,ne quis in ea ſtabilem ſedem ſibi figat. Solent tamen Luſitani ad Indias commeantes, ægros hic exponere: quos poſtea redeuntes priſtinæ ſanitati reſtitutos inveniunt,ſecumque avehunt. Portum, ſive ſtationem potius, commodiſsimum habet: à quo non procul ſacellum & pergulæ quædam in uſum ægrotantium. Tota referta eſt altiſsimis montibus, in quibus innumeri caprarum ſilveſtrium greges errant. Valles rivis & fontibus amæniſsimis ſcatent, omnis generis, quum nativis, tum aliunde importatis conſitæ. Aer ſaluberrimus eſt: piſcatio adeò copioſa, ut vel ſola maximam hominum multitudinem alere poſsit. Tum, quod caput eſt, aquatio ita commoda, ut commodior optari vix queat. Huc igitur curſum dirigunt, difficultatibus, quibus premebantur remedia quærentes. Verum ecce dum ſimul navigant, nocte intempeſta, ab invicem ſeiunguntur: Et Hollandia ſola ad ſtationem inſulæ propius accedens corbitas Portugalenſes tres in anchoris ibi ſtare conſpicit: capitaneoſque cum naucleris plurimis in terram deſcendiſſe. Quod cum animadverterent claſsiarij,ſeque commeatu & aquatione ſperata fraudatos,omnium votum erat, etiamſi ſoli eſſent, unam earundem corbitarum, anchoralibus amputatis,in altum abvehere. Sed duces & navarchi laudantes

tes navalium alacritatem rem esse agressu dubiam & plenam periculosæ aleæ, nec in mādatis huiusmodi habere se, sed impetitos defendere se suaque permissum sibi demonstrant. Et licet vicissim opponerent classiarij fraudes & machinationes Lusitanorum Bantensium, quibus ad incitas propemodum redacti fuissent, tamen duces, relictis Lusitanis, altum repetiverunt; ubi post dies aliquot obviam habuere Mauritium cum Liburnica, ex quibus omnia adhuc salva esse compererunt. Atque ita, adspirante exinde feliciter vento, omnia illa maria continuo cursu emensi idibus Augusti in Hollandiam redierunt, uno tātum ex classiarijs corporis ægritudine, toto reditus tempore, absumpto. Hollandia vero navium maxima, cum socios navales quàm paucissimos haberet, magna tempestatis vi oppressa, anchoralibus atque armamentis multis amissis, aut fractis, & malo quoque maiore detruncato, summa cum difficultate aliquot diebus post ceteras portum Texaliæ tenere tandem potuit, universo itinere unde triginta mensibus confecto. Ex omnibus, qui domo abierant, ducentis & quinquaginta, tantum nonaginta reduces superstitesque numerati, ceteris aut morbo aut ferro quomodo memoratum antea, è vita sublatis. Adduxerant secum ex insula Madagascar adolescentes duos, & alios insuper duos Samatranos cum Chinensi uno, iustæ ætatis viro, Abdol nomine. Quorum iuniores Belgicum idioma docti nostris mox usui fuerunt. Nec suo officio Chinensis defuit. Et licet societati, toti non admodum fuerit quæstuosa hæc expeditio, quum ob diuturnos & multiplices sumptus, tum detrimenta complura accepta, multis tamen animum addidit, ut non tantum in Iavam maiorem, verum etiam alias tunc adhuc incognitas oras classes emiserint; ita ut sequenti anno supra octoginta naves grandiores, omnibus rebus instructissimæ, ex Hollandiæ & Zelandiæ portubus in Indias tam orientales quam occiduas, aliasque novi orbis remotissimas insulas deproperatæ fuerint.

CAP. XXV.

Altera Amstelodamensium ad Indos Orientales navigatio; eiusque eventus & felix totius classis reditus.



MSTELODAMENSES ergo, hoc veluti experimento longinquæ navigationis peracto, nequaquam deinceps Indiæ studium intermisere, sed classem longè instructiorem, quam rursus in Orientalis Solis regiones immitterent, confestim compararunt. Constabat hæc octo navibus, quarum sex fœderatarum provinciarum nomina & insignia gerebant, Hollandiæ scilicet, Zelandiæ, Gelriæ, Frisiæ, Traiectinæ, Transisulanæ: septima Mauritij Principis Præfecti & archithalassi; Octava Amstelodami vocabulum servabat. Transisulana minor cæteris & ad cursum expeditior, alio quoque nomine Columba dicebatur. Quingentos & sexaginta tam milites quam classiarios in universum habebat: erat præterea bellicis munitionibus egregie instructa & armata. Præfectum seu Admiralium ei Iacobum Neccium dederāt, virum cuius virtuti atque industriæ plurimum fidebant. Viceadmiralius VVibrandus Warvicus audiebat, vir similiter egregius ac strenuus navi Amstelodamo Præfectus. Neccius Mauritium tenebat. Adiuncti erant Consiliarij septem, inter quos haud postremum locum habebat Iacobus Heemskerkius, quem Boreale ad Chinam & Moluccas iter jam iterato tentasse superius meminimus. Classis hæc anno 1598 cal. Maij è portu Texeliano solvens adusque Bonæ spei promontorium coniuncta mansit: ubi partim tempestatibus, partim locorum imperitia dispersi diversum cursum tenuerunt. Coniunctæ manserunt Hollandia; Mauritius, Transisulana: Quæ ad insulam S. Mariæ delatæ sunt: ceteræ quinque ad ignotam insulam (Do Cerne nonnulli vocant) appulerunt: quam ut notiorem facerent, Mauritij ei nomen indiderunt. Ad hanc insulam portus est commodus, & statio satis tuta: quem *Varvicum* de nomine Viceadmiralij appellarunt. Insula ad gradus circiter viginti citra æquinoctialem sita est, Madagascari versus Austrum obiecta: magnitudine Hollandiæ pæne æqualis. Adnavigantibus foris tota in montes cōsurgere videtur, multas tamen intus planities habet. Arboribus miræ proceritatis abundat, quarum lignum picem nigredine, duritia & lævitate politum ebur pæne vincit. Sunt & arbores ibi sive ebeni eiusdem generis ligno rubente, aliæ instar ceræ coloris lutei: Quarum

Jacobus Neccius Amiralius Varvicus Vice-amiralius.

1598.

Mauritij insula alias Do Cerne.

Quarum omnium, portionem aliquam noſtri ſecum domum avexerunt. Magna quoque volucrum magnitudo erat, quas *Walgh-vogels* noſtri nominabant, quod quo longius diutiuſque elixarentur, magis lenteſcerent & eſui ineptiores fierent, præter pectora, quæ ſaporis jucundioris deprehendebant: ſed facile ab eſu harum avium abſtinuerunt in magna columbarum, & præpinguium pſittacorum ut & piſcium copia.



Teſtudines tantæ magnitudinis repertæ ſunt, ut viri quatuor in una conſiſtentes ad greſſum eius de loco in locum promoverentur: & denique intra unius teſtam homines decem conſidentes commode epularentur. Ad littus ceram candidiſsimam 300 librarum pondo, Arabicis aut Græcis literis inſcriptum conſpexêre, maris eiectamentum, & Arabum, ut videtur, naufragorum monumentum. Tota deſerta eſt hominumque & quadrupedum quoque veſtigijs vacua, ſalubri interim cælo & ſolo fertili; & aquis denique limpidiſsimis irrigua. Mox recollectis viribus & ſcapha una aut altera de novo exſtructa aut reparata, tabulam ligneam arbori cuidam affigunt, adiectis Hollandico, Zelandico & Amſtelodamēſium inſignibus cum huiuſmodi inſcriptione, CHRISTIANOS REFORMADOS. Planitiem etiam quandam ſpatioſam admodum varijs fructuum ſeminibus conſeverunt; periculum facturi, an terra fructus eiuſmodi productura eſſet, qui poſtea delatis eò navigantibus refectioni forent. Gallinas ſimiliter aliquot cęli noſtri navibus exemptas ibi reliquerunt, ſi forte ſolo aſſueſcentes ſobolem propagarent. His peractis, ad naves regreſsi omnes, iterque inſtitutum perſequi cæperunt. Reliquæ autem naves ternæ, Hollandia, Mauritius & Tranſiſulana, quas in Inſulam S. Mariæ appuliſſe diximus, cum ex votis haud omnia ibi quæ optaſſent, nanciſci potuerint, & bellum quoque inter Barbaros eſſet, aquatione facta, Iavam verſus plenis velis curſum inſtituerunt, ita ut Bantam ſub ipſum anni exitum appulerint. Et ſtatim inſulanorum civiumque gratia ſibi conciliata, commercia cum ijs exercere ſe velle demonſtrant: quamvis initio tergiverſari videbantur Iavani, dictitantes piratas eſſe, illos ipſos, qui nuper deceſſerant, interea per mare volitaſſe, & jam ad prædam faciendam regreſſos. Verum noſtri ut hac ſuſpicione ſe liberarent ex Indis, quos ſecum prima expeditione domum abduxerant, unum aut alterum cum Chinenſe illo, quem Abdol nominatum dixi, adiunctis ſuorum nonnullis, cum donis ad Regem mittunt, cuius adhuc pueri tutelam prorex gerebat, Cephates illis appellatus. Dona erant poculum argenteum inauratum, cum operculo affabrè elaborato: multa veſtis purpurea & ſerica; itemque ſpecula vitrea, inaurata, aliaque id genus mercimonia, cum quibus diplomata Ordinum ac principis præſertim Mauritij ſigillis munita exhibebant. Eaque magna cum honoris ſignificatione & ab humi reptantibus accepta, per interpretem publicè fuere perlecta. Atque inde, Rege totoque ſenatu conſentiente, negotia ſua noſtrates inſtituere cæperunt. Nec multò poſt reliqua etiam claſsis, quæ ad inſulam Mauritium ſubſtiterat, eundem in portum

Neccius Bantam appellit.

 feliciter

feliciter appellit magnaque sociorum lætitia excipitur. Et Bantenses quidem, qui tunc, ut supra meminimus, Lusitanos (deprehensis atque intellectis eorum fraudibus) territorio suo eiecerant, summam in nostros humanitatem ac beneficentiam demonstrabant. Quotidie enim gallinas, ova, cocos, Bananas, placentas ex oryza confectas, vinumque Chinense ad naves deportabant, tanta precij vilitate, ut cochleari stanneo victum hebdomadalem facile quis sibi parare posset. Obfuit nonnihil commodis totique nostratium negotiationi Abdolis, quem secum adduxerant, præceps loquacitas. Nam is Bantensibus non modò ceterarum quinque navium præsignificarat adventum, sed alias etiã nonnullas ex Zelandia in procinctu esse. Ex quo factum est, ut Iavani mercibus suis & præsertim piperi maius dicerent precium. Initio enim quinquaginta quinque piperis libras tribus, atque inde quatuor Realijs Philippeis æstimabant. Nummos tantum argenteos crepabant, ceterarum rerum non admodum cupidi. Nostratibus tam carè emere recusantibus; pollice & quatuor digitis sublatis, *Lima* ingeminabant, quod ipsorum lingua navem denotat, innuentes scilicet, alias quinque venturas naves, seque in tanta emptorum multitudine facile pretium, quantum vellent, ablaturos. Coemptis ad Bantam aromatis, quatuor naves justo pondere oneratæ domum redire; ceteræ ad Moluccas ire destinatæ. Quæ domum rediere, fuere inter ceteras Mauritius, cui ipsi præerat Admiralius; & Hollandia, quam Iohannes Caroli Iunior tunc Viceadmiralius curabat. Hæ quadringenta piperis, Centum garyophyllorum pódo, sive ut nautæ vocant, onera portabant, præter magnam vim nucum myristicarum, & macidis. Tam verò prosperè navigarunt, ut non totis quindecim mensibus eundo redeundoque iter omne, quod est octo millium leucarum Germanicarum, emensi fuerint. Vbi Texeliæ portum subiere,
1599. anno à nato Christo 1599, Iulij 19, Admiralius confestim terra præmisit, qui Principi Mauritio non modò feliciter peractæ navigationis nuncium, sed regis etiam Bantensis literas ac dona deferrent. Ipse verò navibus Amstelodamum contendere maturavit, apulitque 27 Iulij, cum omnium & gaudio & admiratione spectantium naves, cuiusmodi in Hollandiam nullo ante id ævo appulerint, quæ tantum iter tam brevi temporis intervallo perfecerant, & tantas simul opes advehebant. Fuere Duces ab urbis magistratu cum multis laudibus ac lætitiæ significationibus accepti; & ob tam præclarum facinus, perinde ac meriti erant, ornamentis pluribus ac honoribus illustrati: Et reliqui quoque pro cuiusque meritis ac dignitate stipendijs liberaliter remunerati.


Neccij festina & felix navigatio.

Inter eos autem, quos ad Moluccas interea destinatos diximus Varvicus Viceadmiralius, quem Amstelodamo præfuisse diximus, Admiralij tum Præfecturam, decernente ipso, antequã ab ipsis decederet, Admiralio Neccio, accepit. Viceadmiralius creatus, ac præfectus Gelriæ navi, Iacobus Heemskerkius. His ducibus Iavæ littus, austrum versus legentes ad Tuban primum, maritimum eiusdem insulæ oppidum appellunt: ibi ad eos adijt Lusitanus quidem apostata, qui abnegata Christiana religione, Mahumetanas superstitiones fuerat amplexus. Is si tres aut quatuor menses commorari ibi vellent, spem faciebat fore; ut quantum naves capere possent, copiam ibi aromatum consequantur. Est enim Tuban ijs locis emporium non inamænum, muris & portis suo more factis, munitum. Regem habet totius Iavæ potentissimum: utpote qui, si quando bellum gerat, multa hominum millia in militiam educere potest. Singularem pompam & magnificentiam omnibus in rebus ostentat. Aulam eius magna sequitur nobilium multitudo: qui mercaturam exercent amplam & quæstuosam. Merces ipsorum sunt vestes sericæ, undulatæ, & gossypinæ, sed in primis piper: quod in Baly insula navibus vehunt, ibique pannis gossypinis, è quibus confectas vestes non Iavani tantum, verum etiam vicinarum omnium insularum cultores gestant, ut plurimum permutant. Vestes inde Bandam, Ternatam & ad ceteras insulas mittunt, proque earum precio macidem, nuces myristicas, caryophylla, quæ Iava non fert, domum reportant. Vulgus piscatu vivit & pecudum proventu, qui copiosus ijs locis. Medium corpus umbilico tenus panno gossypino tegunt, superiori corporis parte nuda. Nobiles tunicis utuntur undulatis, aut holosericis, quibus admodum superbiunt, sed imprimis curvo ad latus pugione. Qui illustri loco nati sunt, magno famulantium agmine stipantur. Omnes, quibus paulo res amplior, equos alunt, parvos illos quidem, si cum nostris comparentur, cruribus gracilibus, sed celeres admodum & expeditos. Ephippia ijs imponunt ex holoserico, aut corio Hispaniensi pulcherrimè facta, nostris non absimilia, nisi quod posterior pars paulo est depressior: in quibus undique draconum & horribiles cacodæmonum effigies (quo ornatu maximè gaudent) expressæ & inauratæ cernuntur, fræni lapillis candidissimis,

Varvicus Admiralij præfecturã accipit: Heemskerkius Viceadmiralij.

Tuban Iavæ oppidum.

Regis & Nobilium Tubanensium mores & exercitia.



diſsimis nitent: oreæ bullis ærgenteis, inauratis aut æneis etiam, pro cuiuſque opibus
exornantur. Equitandi artem optime callent, ea plurimum ſe exercent. Nonnunquam
terni, aut quaterni, aut plures in campo urbis ſubiecto equum in gyrum agendo, ad cur-
rum admittendo, in medio curſu ſiſtendo & frangendo, laudis certamen proponunt.
Haſtis utuntur è ligno levibus, quas ſcite tractant. In Indicis certaminibus unus, haſtam
tenens intentam, alium præcurrentem veluti jam jam percuſſurus inſequitur: quem
ubi fuerit aſſecutus haſta inclinata, quam poteſt celerrimè calcaribus adacto equo, præ-
tervehitur: hunc rurſus alius inſequitur, & pretervolat: nec facile ludi finem faciunt,
niſi laſsis jam omnibus equis. Huius territorij Rex, acceptis, quæ noſtri offerebant, do-
nis, comiter eos excepit & commeatibus viciſsim juvit. Hinc deinde vigeſimo quinto *Madura*
Ianuarij ſolventes, triduo poſt ad Maduram inſulam anchoras iecerunt. Inſula hæc Ia- *inſula.*
væ maioris lateri ſeptentrionali prætenditur, oryzæ proventu admodum felix, quæ in ſo-
lo adeò lacuſtri & limoſo naſcitur, ut bubali, quibus pro jumento utuntur crurum te-
nus aquis immergantur. Incolæ magnam partem præda vivunt: quam non à peregrinis
tantum, verum etiam à finitimis auferunt. Navigijs paulo maioribus nullus eſt ad eam
ob brevia & arenas aditus. In hæc delati noſtri, quum ſine perito aliquo duce eluctandi
inde, & reliquum etiam in Moluccas iter perficiendi ſpes exigua eſſet, ſuos dividunt:
Gelriam & Zelandiam ad vicinum Iavæ oppidum, Iortam nomine mittunt: unde Ia-
vani in Moluccas navigaturi plerumque ſolvunt, ut de viæ duce ſibi proſpicerent. Vl-
traiectina verò & Amſtelodamum Aroſbaiam verſus, quod eſt ad occidentem Maduræ
oppidulum, dirigunt curſum. Et mox iactis ibi anchoris, è ſuis quoſdam in terram mit-
tunt, qui oryzam & ſi quid aliud ibi alimoniæ reperiretur, emerent: quos vix egreſſos
inſulani invadunt, & armis veſtibuſque ſpoliatos, in cuſtodiam abducunt. Admiralius,
quum diu ſuorum adventum fruſtra expectaſſet, tres alios naviculæ impoſitos ſubmit-
tit, qui quid ceteris accidiſſet explorarent. Hos quoque ſtatim oppreſſos eodem cum
ceteris carcere includunt. Tandem multis precibus perfecerunt, ut Amiralium de ſtatu
ſuo certiorem facere liceret: ita tamen ut nuncio perlato, continuo in cuſtodiam redi-
rent. Amiralius hoc nuncio accepto, Iorta ceteros evocat, ut coniunctis viribus & con-

 ſilijs

filijs rationem aliquam sociorum liberandorum inirent. Primi dies aliquot literis ultrò citroque mittendis consumpti. Insulani lytri loco duas maiores machinas cum instrumento ad eas tractandas necessario, pannos aliquot laneos & holosericos, mille insuper Realios poscebant. Respondet Amiralius si pecunia sibi & mercibus satisfieri patiantur velle se cum ijs agere: machinas non esse suas, sed reipublicæ, nec eas sibi alienare licere. Insulanis quotidie magis magisque insolescentibus, nec ullas conditiones æquas admittentibus, Amiralius de suis vi liberandis consilium capit, quos custodia tantum circundatos ea in scapha, qua vecti fuerant, asservari existimabat. Quinto ergo Februarij die centum & quinquaginta viros armatos versus oppidum mittit: Ibi secundum maris littus ingentem insulanorum conspiciunt multitudinem Lusitanis duobus ducibus; qui pacis insigne præferentes ad colloquium nostros evocarunt, ad rem omnem pacificè & amicè componendam: verum fraudulenter ab eis id factum, ex hostili, quo tota urbs fervebat, apparatu, facile erat colligere. Viginti ergo sclopetarij exscensione facta, pugnæ dant initium, & insulanorum aliquot glandibus conficiunt. In scaphas revocati ad terram propius accedunt; quum insulani ex altera oppidi porta ad exitum intercludendum prorumperent: quibusdam è suis septi custodiam mandant, ut liber esset in portum exitus & accessus.

Madurensium cum nostris conflictus.


38.



Dumque ità eminus pugnatur, & hinc glandium, illinc sagittarum densissimus cadit nimbus, exoritur ventus vehemens, simul unda recedit. Quapropter nostri, omissa pugna, naves repetunt: ad quas dum per turbidum mare vehuntur, duabus eversis scaphis, in quarum una triginta sex, in altera tredecim erant, vectorum alij fluctibus abrepti, alij in littus delati, & ab insulanis crudeliter occisi perierunt ad viginti quinq;: ceteris, qui ad aliam littoris oram devoluti erant, intercedente apostata Lusitano, qui abusque Tuban hanc in insulam nostros secutus fuerat, vitæ gratia facta eorumque genibus innixorum capitibus terræ manipulus inspersus: quod signum apud eos erat in gratiam receptos. Captivos insulani mox in fossam quandam, duobus passuum millibus ab oppido distantem, detrudunt; nonnullis compedes inijciunt, omnibus arctam custodiam apponunt: qui tandem omnes duobus Realiorum millibus persolutis, sunt demissi

demiſsi. Receptis captivis decimo ſexto Februarij iter proſequuntur, & multas prætervecti inſulas tertio Martij Amboynam perveniunt.

39.



Quæ Moluccis finitima eſt, Bandâ circiter milliaria viginti quatuor, occidentem borealem verſus, diſtans. Ptolemæo, ut videtur inter Sindas etiam inſulas relata. Ferax eſt caryophyllorum, malorum citriorum, Medicorum, cannarum ſacchari, aliorumq; id genus aromatum, quorum tanta eſt vilitas, ut globulo ſtanneó octoginta vænierint mala aurantia. Incolæ (quod rarum in eo nigrore & gentibus) ſimplices ſunt & candidi; haſtis utuntur ligneis ferreo cuſpide, eoque inſtar harpagonis incurvo: iiſque tam ſcitè & tam certo ac deſtinato ictu uti norunt, ut quæ vel tres digitos lata tangant. Clypeos quoque geſtant & gladios ad pugnam: vulgus, cultrum etiam. Naves habent noſtrarum inſtar triremium non incommode factas, quas mira celeritate circumagere promptum habēt. Draconis pleriſque effigies: cuius caput, prora, caudam, puppis repræſentat: utrimque apluſtria dependent, ad ornatum. Magna lætitia incolarum excepti noſtri, à rei maritimæ præfecto adventus cauſam exponere iubentur. Profeſsis ſe negotiatores eſſe, qui contrahendi cum ipſis de aromatibus aliarumque mercium comparandarum cauſa advenerint, continuò in terram exeundi poteſtas data. Vnde & die ſequenti thalaſsiarchi noſtri legatus cum nonnullis egreſſus, honorificè excipitur, & in tentorium quoddam, è velo arborum ramis alligato factum, deducitur. Poſt colloquium domus noſtratibus, in quam merces ſuas inferrent, exſtruendæ permiſſa eſt poteſtas: eamque mox pro præſenti copia exædificare cœperunt. Quum autem animadverterent inſulam tantis mercibus, quantæ ad onerandas naves quatuor requirerentur, non ſufficere: Zelandia & Gelria, de primorum communi conſilio, Bandam profectæ ſunt. Die igitur Martij undecimo, navibus ſolutis, per multa brevia & ſyrtes in conſpectum inſulæ cuiuſdam deſertæ perveniunt; Inde Poelſetton appellant, eamque vehementer reformidant, utpote quam eſſe cacodæmonum domicilium exiſtimant. Si qua forte tempeſtate in eam deferantur, velis remiſque in fugam incumbunt. Hanc ergo dum prænavigant, riſui & voluptati noſtris fuit Indus homo, quem ad vada & ſyrtes iſtius tractus præcavendas quaſi navarchum & Pilotam ſibi adſciverant. Is enim in prora conſiſtens & harpagonem ſive, ut vulgo appellant, haeckonem manu tenens, magno veluti niſu inſulam à ſe & navibus avertendo curſum adiuvabat. Feſſus harpagonem ita ponit ut anterior eius pars foras promineret, nec auferri eum prius inde ſinebat, quam è conſpectu inviſæ telluris eſſet perventum. Malacia cum eſſet, per foros fiſtulabundus curſitabat. Et ea quaſi muſica vel dæmones placare, vel animum ſibi ipſi addere ſtudio habens. Vnde & quanta eorum hominum ſit diffidentia, quantaque ſuperſtitio cognoſcere licet. Decimo quinto Martij ad inſulam Bandam, Moluccarum celeberrimam naves appellunt. Eſt ea in tres veluti inſulas ſparſa, ambitu ſuo univerſo paulo plus quinque miliaria complectens.

Amboyna.


Gelria & Zelandia Bandam verſus miſſæ.

Poelſetton Inſula.

Banda inſula.

Sex

40.



Sex aut septem habet oppidula, inter quæ præcipuum Nera. Regem nullum agnoscunt, sed suis institutis vivétesad seniorum cœtus, ubi cósultatione opus est res referunt. Magnus hic, aromatum præsertim, mercatus celebratur. Nam ex Iavâ & Malaccâ & Chinâ magno huc numero negotiatores confluunt; qui omnis generis merces & invehunt & vicissim exportant. Incolæ Mahumetani sunt plerique omnes: suæque sectæ aut, ut verius dicam, superstitionis Ceremonias tam accuratè observant, ut nec divini nec humani quidquam prius auspicentur, quam Deum suo more sint conprecati. Ædem sacram ingressuri, pedes abluunt: in quem usum pollubrum aqua impletum ante cuiusque ædis fores collocatum visitur. Preces tanto cum clamore peragunt, ut vel procul exaudiantur, ter plerumq; hæc verba ingeminantes; *Stofferolla, Stofferolla, Ascehad an la, Ascehad an la, yll lolla, yll lolla, Mahumed di e rossulla*, ultimum verbum elocuti vultum manu sibi permulcent, eumque ritum quam superstitiosissimè observant. Alias enim precationes demurmurant, hoc modo: Terram veste aut culcitra consternunt, cui insistentes, ter aut quater oculis cælum suspiciunt, mox in genua prolapsi, caput ter aut quater humi abijciunt, nec in templis tantum, verum etiam domi, imò in publico quoque hac superstitione utuntur. Gens est collectitia & variarum nationum veluti colluvies quædam. Publica negotia tractaturi, plerumq; in templa aut lucos suum quisq; cibum apportant, eumq; diem velut publico epulo exhibito, magno cum gaudio obeunt. Tota insula in factiones est distincta & intestinis laborat dissidijs. Occasio irarum hæc præcipuè fuit. Labbetaccæ oppidi habitatores in ditione & territorio Neranorum arbores quasdam felices aliquando deiecerant. Hanc iniuriam Nerani, utpote civitatis primariæ habitatores, cum ferendam sibi non esse putarent, res in bellum abijt, quod etiamnum hodie inter eos durat, ita ut se canum instar occidant lanientque, quotiescunque alter alterius victor existat. Comberenses & Vayrani in eadem etiam insula haud dissimile inter se odium gerunt. A Neranorum partibus stant Lontorenses & Pollervina & Pulvaia, duæ exiguæ ad fauces ingressus positæ insulæ. Nerani in bellum contra Labbetaccenses profecturi socijs evocatis epulum præbent. Vbi in publico omnes consederunt, loco mensæ folium arboris Bonanæ collocatur; inde frustum panis, quem Sagu appellant, cuique porrigitur, & patella ex arborum folijs facta. Ei oryza cocta inditur, cui ius carnium superfundunt. Hunc cibum pecudum ritu, avidissimè simul & immundissimè vorant. Cæteris epulantibus, nobiles in medium progressi ludicra armorum certamina exercent, & ad tympani pulsum, & æris tinnitum mirificos saltus edunt. Fessis alij atq; alij succedunt, donec, epulo finito, quisq; ad suam se recipit stationem. Excubias noctu præsertim, diligentissime agunt, tam in oppidis, quam in silvis; & magna voce alter alterum inclamat, ut eò quisque sit vigilantior, ad diei usque exortum. Navigia, quibus plerumque

Incolarum Religio.

Bella & odia intestina.

plerumque in bello utuntur, hoc modo componunt: Ligna aptata, funibus colligant, intus ligneis retinaculis committunt, ita ut asserum juncturæ arctè coeant. Corticem arborum ab ipsis clappus nominatum, malleo contundunt quoad mollescit. Eo, stupæ nostrati non multum dissimili, commissuras inferciunt, deinde calcem illinunt, ita præparatam ut aquæ vi non solvatur. In prora duas plerumque machinas æneas collocant: quarum tractandarum usum aliquem habent; sed magnum, ceterorum armorum. Galeas quoque gestant, & in ijs pro pluma manucodiatam. Quibus lorica est, invulnerabiles se credunt. Quando naves in bellum educuntur, omnia hominum clamore atque ululatu, tympanorum strepitu, æris tinnitu, armorum concussione circumsonant. Qui in navium foris stant nobiles & primipilani, veluti imaginaria pugna, mira corporis agilitate modo huc, modò illuc feruntur: & quanto quis elegantius saltat, tanto fortior habetur. Ad navium latera utrimque pergulæ sunt, ex arundinibus confectæ, quibus mancipia insidentia ligneis batillis, remorum loco, naves propellunt. Bellorum magnum usum habent: in quibus nec ingenium ipsis deest ad excogitandum, nec animus ad audendum, nec robur ad perficiendum. Hostium occisorum capita, domi ad ostentationem propalam sospensa, & mox detracta panno gossypino involvunt & lanci imposita & suffumigata humo mandant. Amicos mortuos & in feretro positos mulieres circumstantes, quanta possunt vocis contentione inclamant, è somno veluti eos excitaturæ: quos ubi immotos jacere animadvertunt, epulum parant suo more instructum: ad quod amici omnes, & reliqui funus comitati invitantur. Sepulturę hic est ritus. Funus albo sindone instratum, humeris ad sepulchrum ferunt: proximè viri, inde fœminæ sequuntur. In sepulchrum cadavere illato, thuribulum affertur, totamque eam diem ac noctem thus, acerra sepulchro imposita, incenditur. Mane & vesperi tam nobiles quam ignobiles ad demortui sepulchrum preces demurmurant. Nostratibus quid precarentur rogantibus, responderunt, illud, ne mortuus resurgat. Etsi verò armorum exercitationibus unicè delectentur, habent tamen & alia quædam exercitia non iniucunda. Pila cum primis scitissimè utuntur, non eo quo nostri modo, sed longè diverso. Lusuri, orbiculatim circumstant, unus in medio consistit: inde quis pilam sphærica figura è vimine contextam in medium jacit, quam alius pedis pulsu exceptam, inde proximus quisque ferit, tanta peritia, ut plane admirabile videatur. Quod si quis forte à pilæ ictu aberret, ut ineptus ab omnibus ridetur. Nonnulli medio saltu, quidam etiam toto corpore circumacto pilam dexterrimè excutiunt. Et ut mira agilitate sunt præditi; ita quoque longævi sunt supra modum, adeò ut centesimum & trigesimum annum nonnulli excedant, pari cum ætate prudentia. Viri mulierum laboribus fruuntur: quæ totos dies domi desidentes macidem, nuces odoratas folliculis eximunt: piper, caryophylla legunt. Nostri mercibus in naves importatis, domum Neræ, incolis consentientibus, extruunt; & nonnullos è suis, qui commercia omnia ac negotia deinceps procurarent, ibi relictos, Præfecto eius loci, Sabandarium etiam vocant, commendant. Heemskerkius quoque ipse, accepta dataque fide, de eodem cum insulæ primoribus seorsim & serio agit. Inde Iavæ littus relegentes in patriam salvi & incolumes post novem mensium navigationem, feliciter appellunt. Nam 5 Iulij anni 1599 Banda solventes sub Aprilis vigesimum anni sequentis in Hollandiam atque inde Amstelodamum læti pervenerunt.

Funebres ritus.

Ludicra exercitia.

Insulani Bandenses longævi.

Heemskerkij è Banda reditus annò 1600.

Heemskerkio igitur faustis avibus domum cum suis reducto, nunc ad reliquas duas naves, quas ad Amboynam sub imperio Varvici substitisse diximus, revertemur. Hæ naves haud diu ad Amboynam commoratæ, quod justum aromatum onus nancisci haud possent, ad Ternatam Moluccarum unam, contenderunt. Abest hæc insula à Banda duo deviginti miliaribus, aromatum quam frugum feracior. Earum enim rerum, quæ ad alimoniam pertinent, exiguus ibi est proventus: præter paucas capras & gallinas nulla habet pecora: nec oryzam fert, aut aliud frumentum. Panem tamen habet, quem è ligno conficiunt hunc in modum: Est ibi arboris genus, ligno molli & pæne friabili. Succisam, in festucas secant. Segmenta malleo tundunt: quæ soluta farinam præbent. Ex ea panem candidum pinsunt, palmæ magnitudine, forma quadrata: præcipuum insulanorum inter se mercimonium. Cocis abundat, Bonanæ floribus, malis, sed in primis caryophyllis. Incolæ comes sunt & humani sed petaces: nec vulgus tantum sed Rex quoque ipse & aulici. Furtum tamen detestantur, in eoque deprehensos acerrimè puniunt. Nam puerum quoque vix undecim annos natum, quod duo aut tria Nicotianæ folia (Tubac vulgo vocant) esset suffuratus, religatis in tergum manibus magno cum omnium ludibrio, sed maxime puerorum, catervatim insequentiū & furem inclamantium; circumduxerunt,

Ternatæ insulæ situs: fructus & mores incolarum, aliaque.

runt, degentibus adhuc ibi nostris. Lusitanos capitali odio persequuntur & assiduum cum eis bellum gerunt. Ternatæ enim opposita Tidor jacet, in qua Lusitani habitant. Eam 20 Iulij anno 1599, cum nostri adhuc ibi essent, ingressi Ternatenses pagum quendam diripuerunt, tribus occisis, quadraginta duos capivos fecerunt, inter quos regis Tidorensis frater erat. Adductus ad regem Ternatæ, & auditus, foras producitur, & ad flumen sistitur. Iubetur manus lavare. Inclinatum à tergo quidam accedens gladio ferit: mox alius accurrens medium secat. Corpus deinde ad mare subvectum, fluctibus exposuerunt. Armis utuntur hastis è ligno vel arundine factis, quas celerrimè manu emissas contorquent: gladio lato admodum & quatuor pedes longo, sclopos etiam habent, sed raros, Lusitanis ut plurimum ereptos. Deliquia Solis aut Lunæ eclipses maximè eis sunt formidabiles. Tum enim lugubri voce quiritantur, & ploratum edunt; regis sui vitæ metuentes: Accidit ut sexto Augusti hora octava circiter vespertina, lunæ esset eclipsis, hîc lamentari omnes, vociferari, precari, tympanum: æs pulsare; omnes denique incredibilem mærorem præ se ferre. Rogantibus nostris, Ecquid ita tristes essent, responderunt, Lunæ jam vultum obduci & condi: ideoq; vereri se, ne ea res vel regi vel primatū alicui mortem portendat. Vbi Luna jam è terræ umbra est eluctata, nihilque adversi aut regi aut magnatibus accidit: diem festum & supplicationem indixerunt, hac pompa: Præcedebant quidam vasa Porcellana manibus protensis ferentes, sequebantur armati: inde tres daduchi: post hos adolescens regali vestitu amictus; ante quem umbella inaurata ferebatur. Pompam claudebant mulieres, suo more eleganter ornatæ. Narrantibus nostris esse in patria sua qui longo ante tempore eiusmodi deliquia prospiciant & prænuncient, fidem vix habuerunt, eosque, qui id facere possint, divinos homines dicebant.

Piscandi ratio. Piscatus etsi apud eos non est valde copiosus: varijs tamen ijsque miris rationibus exercent. Maioribus piscibus hac ratione insidiantur: Reti capiunt pisciculos quosdam

41.



minutos: deinde in anteriori navis parte arundinem figunt in sublime erectam: per cuius fastigium perforatum funem traijciunt, è cuius extremo hamus dependet: paulo supra, folium aliquod latum arboris, vētum excipit, quo funis in anteriora propellitur. Piscator arundini assidens pisciculos, qua hamus in aquam dependet, jacit: ad quos

deglutien-

deglutiendos accurrentes thynni, alijque pisces maiores, hamum una vorant. Fiscellas quoque, quarum longe est alia quam nostratium figura, in profundum demergunt. Post aliquod temporis spacium redeunt; & de scapha, an pisces in ijs sint, contemplantur. Vbi inesse animadvertunt, piscatorum aliquis in mare insilit, & fiscellam cum piscibus effert. Est enim ijs in oris aqua tam limpida, tamque perlucens, ut quæ in fundo eius ad multas orgyas alto jacent, perspicuè cernantur. Multus ibi est navalis apparatus, & varia navium genera, triremes, onerariæ, præsidiariæ, oriæ, parones. Regia triremis magnifice erat instructa, quum ad pompam, tum ad terrorem. A mancipijs agebatur, eo modo quem supra in Bandæ descriptione explicavimus: quarum singuli telorum fasciculum altera tenebant manu. In tabulato æneæ machinæ septem, multæque hastæ, nostris longiores, stabant infixæ. Post has lectus erat regius, inauratus, & peristromatis pulcherrimis constratus: è cuius sponda regis pendebat armatura, tota rubro holoserico subducta. Rex modo in lectum se reclinare, modo adsidere, modò inambulare. Asidebat ei asidue quidam flabello ventulum faciens. Statura corporis erat mediocri, capite crasso, novitatis avidus, charus suis, potens. Septuaginta enim insulas imperio suo subditas habere ferebatur: Mahumeticæ superstitionis cultor. Vix fama de nostratium ad insulam adventu percrebuerat, quin navi conscensa statim advehitur, perque interpretes,, qui essent, quam ob causam venerint, rogat. A nostris ut navim ingrederetur invitatus, renuit, sive insidias veritus, sive regiæ dignitatis memor autoritatem hoc pacto ostentare voluit. Et mox duce navium ad se evocato, aliquandiu, adhibito interprete, collocutus, cum jam jam navim ingressurus videretur, barbaro quodam fastu, apobathræ vilitatem caussabatur. Eam mox classiarij panno obducunt, & reliqua ad eum excipiendum adornant. Quæ dum fierent, advesperascit. Valedicit ergo, & abit, quod cum Sol adhuc luceret, sibi Deum comprecandum esse diceret. Sequenti mane naves viginti tres cogit, egregiè ornatas, cumque ijs eleganti ordine distributis ter naves circumvehitur, vectorū alijs canentibus, alijs tympanum, alijs æs pulsantibus, omnibus strepitum cientibus. Nostri mirari, stupere, nec quid sibi id vellet satis explicare. Metuentes ergò ne homines barbari gladiatorio animo ad se affectarent viam: armatos occultè collocant, ne qua forte clades per imprudentiam acciperetur. Verum hunc eis honorem habitum, res postea declaravit. Et ne tunc quidem navim ingressus est; sed per interpretem omnia egit ac libere simul negotiandi potestatem nostris fecit. Postea cum duce & navarchis sæpe congressus, unice, à duce præsertim contendebat, ut quosdam è suis ibi relinqueret: Quod & impetravit. Quinque enim remanserunt cum puero: quibus Rex domicilium asignavit; socij pecuniam & mercimonia dederunt, quibus interea dum alteri redirent garyophylla, aliasque merces exoticas coemerent. Varvicus itaque sublatis anchoris Iavam & Bantam versus regressus piperis, macidis & garyophyllorum ibi, quantam adhuc desideraret, nactus copiam, tardius aliquanto, quam cæteri quibuscum egressus fuerat in Hollandiam atque inde Amstelodamum redijt, multis perfunctus periculis & laboribus, quos omnes non privatum modo sed publicum præcipue Patriæ bonum leves reddebat.

Navalis apparatus.

Rex Ternatensis.

Varvici reditus.

CAP. XXV.

Classium reliquarum ad Indos expeditiones secundum annorum seriem ordine recitatæ, earumque res gestæ atque incrementa, & societatum denique Indicarum omnium in unam combinatio eiusdemque ratio ac modus.



RIUSQUAM autem ulla earum navium octo, de quibus jam dictum fuit, redijsset, Societas eadem Indicana nihilominus anno 1599, Ordinum ac principis Mauritij auspicijs, qui negotia Indicana nequaquam intermittenda arbitrabantur, trium adhuc navium classem luculenter instructam submisit, cui præfecit Stephanum ab Hagen: Eaque oram solvit quarto circiter Maij die. Et mox ubi ex navibus illis octo, quatuor, ut narravimus, mense statim Iulio appulissent maximis gazis saburratæ; continuo easdem quoq; ad Indiæ oras remisere, imperium præcipuum relinquētes Iacobo Wilhelmio. Et

præter hanc societatem negotiatores, Amstelodamēsium alij, inter quos Brabātini haud
pauci erant, nova societate constituta, quatuor insuper navigia suis sumptibus compara-
runt, quibus nomina indiderant Belgij, provinciarum fœderatarum, Nassovij & aulæ
Hollandiæ. Admiralius præerat Petrus Both Amersfordianus. Eaque cum superioribus
1599 quatuor 21 Decembris anno eodem, Tessalia relicta, biennio circiter post ditissime one-
rata in patriam redierunt. Quin & antequam regrederentur, eadem societas duas in-
super instructissimas naves paravit, anno 1600, onerum circiter trecentorum capaces:
1600 Et vetus præterea ac prima societas sex ijsdem adiunxit: Quarum nomina erant,
Amstelodamum, Dordracum, Gauda, Delphi, Leyda, & Haerlemum; onerumque singulæ quin-
gentorum habebantur. His cum Imperio Neccius denuò præfectus est. Quæ & varijs
temporum intervallis cum iustis aromatum oneribus domum redierunt. Nam aliquæ
triennio, nonnullæ vix biennio elapso, Amstelodamum festinato regressæ sunt: Quarum
præcipuè Mauritius Zelandiaque cum liburnica celebrantur: quæ & tertium tunc anno
nimirum 1601, in Indiam ierant redierantque. Quapropter, feliciter & ex voto ceden-
1601 tibus rebus, non Amstelodami modò, sed in Zelandia quoque de novo naves instructæ
& ad Indos anno eodem missæ fuerunt. Amstelodami præsertim tredecim deproperatæ;
quę 23 April. Texelia solventes sub imperio Iacobi Heemskerkij quatuor erant, expedi-
tionis impēsas molientibus primæ societatis archegis: Et quatuor aliæ sub Ioh. Grenier
pertinentes ad societatem novitiam: Et denique quinque eiusdem primæ societatis sub
Amiralio Volfardo Harminio. Nomina navium hæc erant: Gelria, Zelandia, Tra-
iectum, Amstelodamum, Horna, Enchusa, Alcmaria, Leo aquilus, Leo candidus, magnus
Leo, Leo rubidus, Vigil, columba. Hæc classis ne ad Indos perveniret ac destinata perfi-
Regis Hispaniarum adversus classem Amstelodamensium navium 13 consilia ac conatus.
ceret summa cōtentione laborabat Hispanus. Itaq; classem in eam validissimam emittit
longèque & navium & militum numero maiorem. Nam ex tredecim nostratibus octo
tantum eò loci, ubi prælium commissum est, præsto fuerunt; Hispano autem integra
classis aderat magnarum navium tredecim, & armis & tormentis ac hominibus multis-
que munitionibus instructissima. Nostri cum viderent se numero ac viribus impares, &
præter classiarios, milites quidem habere, sed ad tantam multitudinem pauculos, viros
tamen acres & armis egregie instructos, ita naves moderati sunt, ut possent tormentis
omnibus uti: quò strages aliqua hosti infligeretur, priusquam cogerentur tanto cum
populo cominus manus conserere. Proinde nostri, quod imperatum fuerat, continenter
in hostium naves pilas grandiores iaciebant, idque certis ictibus, cum sæpenumero no-
stros petiturus Hispanus, ob navium minorem molem maioremque, quò vellent agen-
di se facilitatem, aberraret. Atque ità cum dissonis aliquandiu clamoribus, tubarum
cantibus, tormentorum crebris verberibus mare quasi tremefactum strepitus horren-
dos ederet, magna utrimque alacritate ac contentione dimicatum fuit, dum tandem ex
maximis Hispanorum prætorijs una, quæ producem vehebat; & nostratium item libur-
nica, assiduis tormentorum ictibus verberatæ, aquam immodicam haurirent; adeò ut
receptui hinc signum datum fuerit aliquot utrimque amissis, vulneratis pluribus. Li-
burnica verò nostratium, cum inhabilis ad longius iter videretur exonaratis mercium
præcipuis inque naves alias transpositis, cum septem classiarijs in Hollandiam exinde
salva ac sola redijt. Eodem hoc anno 1601, vigesimo sexto Augusti, in Hollandiam re-
Oliverius de Noort.
versus est Oliverius Septentrio, vulgò de Noort, Vltraiectinus: Qui, superato Megala-
nico freto, terrarum orbem triennij fere spatio universum circumnavigaverat, multa
adversa quà ab hoste, quà à tempestatibus expertus. Solverat anno 1598, egressus, cum
tribus navibus & Liburnica, Mosæ ostium, ubi Helium, seu occiduum in oceanum Rhe-
ni exitum collocat Plinius, retinente adhuc nominis antiqui vestigium cataracta, quam
Hillevoets Sluys, hodieque indigitant. Tenebat totius classis imperium, decernente Prin-
cipe Mauritio, Oliverius, producem habens Iacobum Vlpendamium, quem Amsteloda-
menses adiunxerant. Erant enim, præter ceteros, archegi expeditionis viri spectatissimi,
Petrus à Beveren, Hugo Busius & Iohannes Benningus: quorum priores Dordraci
aut Roterodami, Benningus Amstelodami agebat. Naves priusquam in Oceanum,
quod archipelagus seu mare del Sur appellant, pervenirent, plurima adversa ha-
buerunt; & mox ex ijsdem, duabus amissis, Hispanica quidem una capta sed ante-
quam caperetur, aurum, quod saburræ loco vehebat, in oceanum patentem, cu-
rante duce, proiectum est, ne in manus nostrorum deveniret; quomodo ex captivis
postmodum unus confessus est, qui, manumisso jam duce, decem millia ac ducenta auri
pondo ea fuisse referebat. Mox Iaponiam versus atque inde Manillas cursus institutus,
ubi

ubi corbitas Hispanorum duas obviam habuerunt. Altera harum liburnicam; altera navem,cui ipse Oliverius præerat,adoritur: Liburnica cum lóginsculè abesset in potestatem Hispanorum devenit: Qui cum Oliverio manus conferebat post longam velitationem & occupatos licet navis superiores foros,masculis tamen nostrorum animis repulsus est; ipsaque mox corbita densissimis tormentorum machinis conquassata pessum abijt.Vectores & classiarij cum ducibus ac milite universo,qui perierunt,propemodum 500 numerati.Oliverius occisos sex aut septem tãtum habuit,vulneratos circiter 25.ità ut exiguas licet post tot exantlatos labores tantaq; pericula opes domum retulerit,hoc tamen popularibus suis decus addidisse memorandus, quod hanc circumnavigati orbis adoream,quam sibi Lusitanus unus & duo Britanni quasi propriam vindicabant, Hollandis quoque communem fecerit.

Manilas autem insulas,quas diximus,alias Philippinæ dicuntur,à Philippi Hispaniarum Regis nomine,sub cuius auspicio Hispani ex nova Hispania vela facientes eas detexerunt & aperuerunt,anno Christi 1564. Manilas verò appellant,à portu atque oppido præcipuo, quod ibi Hispani condiderunt,cui Manilæ nomen est. Sunt qui Lussones etiam vocent, à Lussone insula primaria, cuius ambitus mille propemodum leucarum esse perhibetur,in qua urbs ipsa Manila sita est, iuxta quam innumeræ visuntur insulæ, quas omnes generali appellatione Manilas & Lussones vocant. Omnes istæ insulæ ad regnum Chinæ, olim spectarunt, à quo cum levibus de causis defecissent,in statum perturbatissimum inciderunt,potentioribus in inferiores pro libitu sævientibus & tyrannidem intolerabilem exercẽtibus. Collapso igitur regimine politico,expeditum & facile fuit Hispanis ab orbe occiduo ingruentibus eas occupare, & sibi subiectas reddere, cum præsertim catervatim confluerent, qui baptizati Christianos se profiterentur. Chinenses hodieque in ijsdem frequenter negotiantur advehuntque ex China merces quascunque,utpote sericum omnis generis, gossypium, vasa porcellana, pulverem item tormentarium,nitrum; sulphur, ferrum, cuprum,Chalybem,argentum vivum & alia. *Philippinæ Insulæ.*

Sequenti anno, qui fuit à Christi nativitate 1602, reversæ ex India Orientali tres naves garyophyllis, nucibus myristicis & pipere debitum in modum saburratæ. Quas ex Zelandia solutas diximus gubernabat Petrus Houtmannus,cuius in prima ad Indos expeditione mentionem superius fecimus. Hic cum anno 1599 cum duabus ex Zelandia navibus solvisset,ad Insulam Taprobanam, sive Zumatram, naves appulit, ubi à Regio secretario,ipso Rege præsente,confossus est. Hic Houtmannus,ut in laudem hoc eius & rei memoriam obiter addamus,navigationis nostratium ad Indos primus occasionẽ præbuit. Nam cum diu mercaturam cum Lusitanis,qui in Indiam negotiabantur, exercuisset, omnesque cum Indis negotiandi & ad loca ista perveniendi rationes didicisset, deprehensus tandem (lege enim id extraneis vetitum) in carcerem conijcitur & grandi pecunia multatur. Anxius autem quibus rationibus pecuniam istam conficeret, scribit ad mercatores nonnullos Amstelodamenses, polliceturque si pecuniam quanta sibi opus esset,numerent,se Indicæ navigationis,cuius immensa ac supra omnem fidem essent commoda,universas rationes ac mysteria eis commonstraturum: Idque postea è carcere exemtus,abunde & re ipsa etiam præstitit. Houtmanno igitur hunc in modum è vivis sublato,Paulus à Caerden, qui cum duobus Amstelodamensium navigijs eundem mox portum, anno nimirum 1600,tenuit,rerum harum ignarus maximas difficultates expertus est, accedentibus præsertim Malaccã Lusitanis, qui animum Regis jam exasperatum magis magisque adversus Batavos incenderunt. Sed ipse deinde Rex (Achenum alias vocant) cognitis Lusitanorum dolis,alias postmodum anno 1601 ex Zelandia appellentes naves, quibus Laurentius Bickerus præerat,amicè & honorificè exceptas iustisque oneribus saburratas demisit: Quem ad modum etiam,anno eodem,Georgius Spilbergius, cum munera nonnulla & literas Principis Mauritij ad Regem eundem detulisset,benevolè admodum exceptus est,rege liberalem & comem se erga ipsum exhibente. Nam & ad regium epulum eundem Spilbergium invitavit; finitoque mox prandio gladio insuper Indico inaurato & veste auro intertexto nitente à Rege donatus est. Bickerus autem in reditu, præterquam quod Liburnicam Lusitanicam prædæ loco in Zelandiam abduxerat (jam enim,ut antea indicatum est, publicè nostros invadere atque impedire hanc negotiationem Lusitani Hispaniarum regis imperio cæperant)etiam Legatos Regis Zumatræ ad illustrissimum Principem Mauritium tres advehebat: Quorum uni Middelburgi defuncto hoc monumentum positum. *1602.* *Laurent. Bickerus.* *Georgius Spilbergius*

HIC. SITVS. EST.

ABDVR. ZAMAT. PRINCEPS. LEGATIONIS.

A. REGE. TAPROBANÆ. SEV. SVMATRÆ.

SOLTAN. ALCIDEN. RAIETRA. LILLO. LAHE. FELALAM.

MISSÆ.

AD. ILLVSTRISS. PRINCIPEM. MAVRITIVM.

CVM. DVABVS. NAVIB. ZELAND. QVÆ. IN DEDIT.

ACCEPERE. LIBVRNICAM. LVSITANICAM.

VIXIT LXXI. OBIIT ANNO CIϽIϽ CII.

PRÆFECTI. SOCIETATIS. INDICÆ.

H. M. P. C.

Cum itaque hunc in modum effloresceret indies maximumque navigatio Indica incrementum acciperet, unum erat quod remoras & malum quodammodo minari videbatur. Nam cum ex Hollandiæ non solum diversis portubus, sed Zelandiæ quoque, naves eodem quotidie destinarentur, quæ sæpenumero eundem in portum eandemque apud Indos insulam adnavigarent, non impedimenta tantum ac dissidia, sed dispendia quoque hinc maxima negotiatoribus creabantur. Quapropter diversarum tam Hollandiæ quam Zelandiæ Indicarum societatum Præfectis Hagæ Comitis dies dictus fuit: ubi Ordinum generalium assensu communibusq; societatum suffragijs ita conventum est, ut omnes hæ societates in unam contraherentur, unumque votis communibus agerent. Et quo magis id ratum firmiusque haberetur, Ordines confestim edicto caverunt ne quisquã fæderatarum ditionum præter hanc societatem navigationes ad Indos frequentaret; idque spatio annorum viginti & unius. Societas vicissim Ordinibus ac Patriæ communi viginti quinque florenorum millia adnumeraret, quæ in primæ expeditionis decennij proximi rationes referrentur. Additum quoque in ijsdem conditionibus fuit, ut Amstelodamenses, quotiescunq; de novo classis compararetur, impensarum partem alteram; Middelburgenses quartam: Delphi, Roterodamum, Horna & Enchusa unaquæque decimam sextam integri sustinerent: Et simul ut naves in eundem, ex quo solverent, portum redirent: ut aromata, quæ vel Middelburgi vel alibi penes societatem serventur, juxta pondo Amstelodamense æqualiter distrahantur, ut collegia sive Cameræ, quæ aromata mercesque suas divendidit, ab alia accipere possit, cui adhuc de singulis prospectum sit. Administratorum quoque certus numerus cuique consessui deputatus est, Amstelodamo 20, Middelburgo 12. Reliquis singulatim 7. Et si quis ex ijs decesserit, in eius locum tres nominabit loci Camera, ex quibus unum vel Ordines, vel urbis magistratus seliget. Quin & eadem præterea collegia septendecim viros ex medio sui subministrarent: Amstelodamense videlicet octo, Middelburgense quatuor, Delphi & Roterodamum duos; Horna & Enchusa item duos: Decimus septimus Middelburgensis aut Noorthollandus esset per vices: Hi vocati tempori adesse tenerentur, quo omnium suffragijs unanimiter definiretur, quo apparatu & quot navibus instituenda navigatio; quo etiam, & in quas oras aut portus naves dirigendæ, aliaq; eodẽ spectantia. Locus deniq; in quem fieret cõvocatio, per sexenniũ cõtinuum Amstelodami celebrareteur: atque inde Middelburgi biennio: indeque vicissim Amstelodami, ut prius. Nomina Præfectorum, qui hoc contractu anno 1602 continebantur, hæc erant: Cameræ Amstelodamensis, Rheinerus Pauw; Petrus Hasselarius; Gerhardus Bicker; Iohannes Caroli senior; Bernardus Berrewijns; Iacobus Velaer; Iohannes Poppen; Iohannes Honger; Henricus Buyck; Lodovicus de Beque; Theodorus ab Os; Franciscus ab Hove; Elbertus Lucas; Isacus le Meer; Sibertus Petri; Gerhardus Reynst; Hubertus Wachtmans; Leonardus Ray; Arnoldus Grotenhusius, Albertus Simonis Ionckheyn.

Indicæ Societates omnes in unã conflatæ.

Cameræ Middelburgensis, Adrianus Henrici Haeff; Iacobus Borelius, Iohannes Lamberti Coole; Iacobus Petri de Waert; Cornelius Muenicx; Adrianus Bomene; Laurentius Bax; Everardus Becquer; Arnoldus de Clerck, Arnoldus verhoven; Gerhardus à Schoonhoven; Nicolaus Petri; Balthasar à Vlierden; Balthasar de Mucheron.

Delphis

Delphis, Iohannes Lodensteyn; Arnoldus Lodensteyn; Theodorus à Dussen; Gerhardus Meerman; Cornelius Bogaert; Michael Sasboutus; Vilhelmus Edel; Gerhardus Meerman; Iohannes Praet; Iacobus Labiaen; Henricus Ott; Casparus Moorman.

Roterodami Foppo Petri vander Meyden; Vilhelmus Franck; Gerhardus Hugonius; Petrus Base; Iohannes à Veken; Vilhelmus à Loon; Iohannes Iacobi Mus; Adrianus Spierinck; Cornelius Matelivius junior.

Hornæ, Nicolaus Iacobi Sijms; Cornelius Veen; Vilhelmus Petri Crap; Petrus Iohannes Liorn.

Enchusæ, Lucas Gerhardi; Vilhelmus Cornelius junior; Iohannes Petri Schram; Henricus Gruyterus; Iohannes Laurentius è Logsen; Theodorus Pelster; Gisbertus à Berensteyn, Bertholdus Steen husius.

Hoc decreto omnium suffragijs eum in modum approbato communibus operis atque impensis quatuordecim extemplo naves comparatæ. Sex ex ijs Amstelodamensium erant; Middelburgensium tres; Roterodamensium duæ, Delphensium una, & Frisiorum minorum duæ; Primæ huic expeditioni præfuit Stephanus ab Hagen, cum Viceadmiralio Cornelio Sebastiano. Summa summarum, quæ in Societatis commune ærarium illata tunc fuit (Capitale vulgo vocant) excessit flor. 6000000. *Stephanus ab Hagen.*

Ex navibus autem, quas anno 1601 solvisse supra memoravimus, liburnica, cui Vigil nomen, sub mensem Februarij salva appulit anno 1603. Hæc inter alia nuntium attulit, ex magnis navibus quinque in procinctu, ac brevi adfore aromatum ponderibus debitè oneratas: deinde & Volphardum Harminium, qui anno eodem 1601 ut diximus in Indiam cum Imperio & navibus aliquot profectus fuerat, statim in ipso Sundæ freto à Chinensi parone commonitum fuisse Iavæ emporium Bantamum à classe Lusitanorum, cui præerat Andreas Fortado Mendoza, obsideri. *1603. Volphardi Harminij adversus Lusitanos navale prælium.*

42



Lusitanosque qui Goæ essent; ægerrimè ferre aromatum mercaturam, quam ipsi soli hactenus exercuissent, & quod inde est, ingentia illa commoda à Batavis sibi præripi; ideoq; & classem hanc maiorum navium octo; triremium fere viginti Bantamum misisse, eo fine ut nostris, qui ibi negotiabātur, expulsis, cives atque incolas ab eorundem socie-

tate verbis ac promissis, aut saltem, si minus id succederet, vi & armis averterent. Volphardus qui naves tantum quinque ducebat, re tamen cum ducibus ceteris communicata, honestè reverti nequaquam se posse demonstrat, ideóque Lusitanos lacessendos omnium calculis approbatum est. Quod ut alacriter à nostris cæptum, ita quoque perfectum fortiter fuit. Nam & cives & Regulus ipse Bantensium adventu navium nostrarum plurimum excitati, coniunctis cum nostratibus armis totisque in id viribus incubuerunt ut hanc à se pestem averterét. Primo aggressu tormentorum explosionibus classem Lusitanicam dissipare atque inhabilem reddere Volphardus studuit: Mox etiam propius aggressus duas triremes & naves insuper tres, in potestatem suam redegit: quasdam tormentorum vi convulsas in universum demersit & alijs denique ipsi Lusitani ignem iniecerunt, ne in manus nostrorum aut Bantensium devenirent: Reliquæ Amboynam cursum tenuerunt; ubi insulanos plurimos, quod commercia cum nostris exercuissent, ut supra memoratum est, crudeliter interfecerunt, & caryophyllorum præterea succisis arboribus omnem spem fructus in posterum ademerunt. Quod sanè immane & barbarum facinus nec ab ipsis Saracenis, qui se Lusitanis cum in Indiam primum appellerent, infensissimos perpetuo demonstrarunt, factitatum uspiam legitur. Re ex animi sententia à parte nostratium, ut memoravimus, gesta, Volphardus Bantamum intravit, diesque aliquot substitit. Bantamenses eum cum magna lætitiæ significatione, & cum haud mediocri admiratione virtutis, quasi liberatorem suum gratantes exceperunt. Nostri ob partam victoriam Dei omnipotentis auxilium laudibus celebrarunt; & mox relicto oppido ac statione Bantensi cum ad insulas Ternatam ac Bandam cursum direxissent, relatum eis est Lusitanos vastata, ut diximus, Amboyna Tydoram contendisse, ubi propugnaculum locatum haberent. Quapropter, divisa nostratium classe, duæ ad insulam Bandam; & reliquæ tres Ternatam versus vela facere permissæ; Vbi agentem, qui ibi relictus fuerat, Franconem Verdusium incolumem & gratia regis florentem invenerunt. Et postquam aromatum & caryophyllorum præsertim proventum haud magnum fuisse tunc ibi ex eodem intellexissent, ijs, quæ pretio interea suo comparaverat, in naves deportatis, Bandam versus, ubi reliqua iam classis morabatur, profecti sunt. Atque ibi quoque Agentem alterum Hadrianum Venium, vivum ac valentem; & naviũ quoque classis suæ caryophillis ac nucibus myristicis utramque propemodum oneratam cum deprehendissent, gavisi plurimum fuerunt. Earumque mox navium tres aromatibus probe onustas domum præmiserunt. Reliquæ ad insulam eandem subsistentes maturitatem caryophyllorum expectare decreverunt: quorum satis copiosum incolæ tum proventum sperabant. Amstelodamum autem, ineunte statim vere, cum duabus ex classe Iacobi Heemskerkij navibus, quas in itinere sibi coniunxerant, reversæ, insignem aromatum variorum copiam, Piperis nimirum 1330200; caryophyllorum 128300; nucum myristicarum 650400; Macis 99800, ut Cubebarum 9901 libras attulerunt. Duces in terram digressi inter alia Societati referebant, Iacobum Neccium duabus navibus Amstelodamo & Gauda instructum, cum onus speratum in insula Ternata obtinere non possit, iuxta Tidoram, quæ in propinquo Ternatæ obiecta est, binas Lusitanorum naves cum Hollandica una, Mahuo erepta offendisse; Easque petente Rege Ternatensi, qui assiduum cum Tidorensibus bellum gerit, statione ac loco depellere conati Neccio rem ex animi sententia minus successisse: amissos enim ex classiarijs eius octo aut novem, & ipsi digitos dextræ manus bombardica sphærula detruncatos; sicque re infecta Patanam, quæ in aurea chersoneso Malaccæ contermina est, cum navi utraque decessisse.

Neccij adversus Lusitanos pugna.

Rumor tunc etiam allatus de successu & rebus cæterarum navium; & præsertim subsequuturum brevi Admiralium Iacobum Heemskerkium cum ingenti Lusitanorum corbita: Quam ipse Lusitanis, bellum Indicum adversus nostros magis magisque indies lacessentibus, insigni victoria eripuisset. Acceperat hæc corbita onus Macauæ, cursu Malaccam petens, serico, saccharo, Gossypio, Musco alijsque pretiosis mercibus luculenter onerata, habebatq; saburræ insuper loco millena aliquot plumbi & cypri, Tintinago appellati, pondera; fuereq; in universum merces omnes ultra florenorum miliones aliquot æstimatæ. Corbita ipsa divæ Catharinæ nomen gerebat, capax vasorum 1400, homines tum vehebat octingentos, quos inter fæminæ centum fuere. Cum primum Heemskerkij navibus, quæ binæ erant, appropinquaret, classicum canere & vexillum à puppi sanguineum explicare sine mora instituit. At mox acriter à nostris oppugnata, & tormentis quoque grandioribus uno alteroque loco iuxta alvei fundum eum in modum perforata, ut aquam hauriret, sanguineum vexillum albo commutavit seq; in manus ac potesta

Heemskerkij victoria

tem

tem deinde Heemskerckij volens nolens tradidit. Ex Lusitanis septuaginta cæsi; reliqui in deditionem accepti & ex pacto convento in terram omnes demisi sunt. Heemskerkius, post partam victoriam, bona fere omnia suas in naves ex corbita transferri curavit; atque inde habiliorem in usum eâdem reformatâ ac piperè in totum oneratâ feliciter in Patriam cum unâ insuper ex navibus suis revetsus est anno 1604.

Spilbergij Navigationes ac res præclarè gestæ.

Spilbergius quoq; cuius superius meminimus eodem hoc anno domum redijt, multis varijsque longi itineris eventis ac periculis celebratus. In abitu circa caput Viride cum tribus Portugalensium caravelis cōgressus insignem etiam ab ipso hoste gloriam reportavit. Inde ad insulas Corisco, Annabaram ac S. Thomæ digressus continentem versus iter flexit. Atque inde superato bonæ spei promontorio, totum illum tractum Cuffalæ circum latus in insulis Prienneras & Commeres, aquationi incubuit. Hinc Melindæ territorio post se relicto Cochimum prætervectus Zeilanam mox insulam adnavigavit. Vbi à Rege loci in portu Batecoli quam honorificentissime acceptus potestatem per universam eam oram commercia cum subditis exercendi impetravit. Verum cum piperis & cinnamoni, quantum quidem navibus suis sufficeret accipere eo loci non posset, & varia de Candesiani Regis potentia & opibus à Rege Batecoli cognovisset, oratorem, qui mentem & voluntatem eius exploraret, confestim ablegavit. Qui ad Spilbergium mox reversus literas attulit, quibus expetebat Rex, ut sepositis ad tempus negotijs, ad se venire Præfectus non gravaretur, paratum enim se omnem ei benevolentiam & officia exhibere. Spilbergius, hoc nuncio accepto, cum socijs & ministris decem iter ingressus, à Batecoli primum Rege honorifice exceptus est, qui non comitatum solum, sed elephantos etiam aliquot & lecticulam ei addidit, qua una cum ceteris ad Laulæ Reguli territorium deportaretur; Qui haud minus honorifice eum acceptum ad Reginæ Trinquniamalensis aulam deduci deinceps curavit. Vtebantur autem ubique hospitijs gratuitis, & dormituri in cubicula linteaminibus albis obducta, quod maximi honoris in insula ista signum est, deducebantur. Cum verò unius adhuc diei itinere à Candesia abessent, Rex continuò lecticam ex suis unam cum Elephantis aliquot in occursum ipsis misit: Quorum Lectica regio ornatu conspicua, & panno Attalico in totum obducta visebatur. Mox ad fluvium quendam haud procul ab urbe cum venissent, subsistere ibi iussi sunt, & adventum regij Præfecti expectare, qui paulo post maximo comitatu accedens Spilbergium ad urbem & aulam regiam magna cum honoris significatione deduxit, comitantibus eum circiter mille armatis, cum vexillis aliquot à Lusitanis non ita pridem recuperatis. Nam in alijs huius tractus portubus cum absque Lusitanorum permissu negotationes exercere nemini liceat, hoc quidem Candesiæ regnum ab eo onere liberum omnino & immune est, nihilque tributi nomine Lusitanis persolvit. Vt autem intelligatur, qua ratione hoc iugum Candesianus excusserit, notandum est, quod post obitum Darmæ Zeilonij Regis Candesianus hic Fimala alias dictus apud Lusitanos educatus & in propugnaculo, quod ibidem habebant, columbano baptizatus Iohannis de Austriæ nomen acceperat. Sed mox cum non milites tantum sed & populares suos Cingales faventes admodum experiretur, & jam potentia atque opibus valeret plurimum, Regem se ipsum constituit & Lusitanos omnes, contra quam speraverant, regno in totum exuit. Supererat adhuc filia defuncti Regis, quam Lusitani etiam baptizatam, Catharinam vocaverant, hanc reginam facere & Petro Lopes de Sosa, Malaccensium Gubernatori despondere modis omnibus Lusitani nitebantur, moxque contracto ex Goa & alijs locis ingenti exercitu, eam ad Candesiam civitatem traducebant. Cum igitur maximas secum adferret Petrus Lopes copias, viribusque suis Iohannes de Austria diffideret, cedendum eius furori ratus, relicta civitate lucos & dumeta cum aromatis aliquot occupavit. Inde in transitus ad urbem omnes intentus, ne quid cōmeatus & cibariorum ei inferretur, prohibuit, Lusitanosque omnes ubicunque extra civitatem constitutos trucidavit. Quibus difficultatibus pressus Lopes, ex urbe tandem egreditur, locumque cum exercitu patentem admodum occupat, aperto marte cum Iohanne conflicturus. Congressi igitur die quodam dominico anni 1590. varia fortuna aliquandiu pugnarunt, sed tandem superatus Lopes & interfectus est. Catharina illa Regis, quē dixi, defuncti filia, quæ tum quidem annorum novem vel decem erat, Lusitanis etiam erepta & Fimalæ matrimonio iuncta est. Propugnacula quoque Lusitanorum, qui Columbam confugerant, passim deserta tunc simul subverti imperavit. Atque exinde ad regnum suum amplificādum & adversus Lusitanos præcipuè communiendum cogitationes suas omnes convertit. Vt ergo unde digressi sumus, revertamur, Rex deinde postero

Candes regnum Lusitanis non subiectum.

die

die equos aliquot ephippijs phalerisque egregie ornatos ad hospitium Spilbergij misit, expetens ut ad aulam accederet. Qui assumptis, præter literas Mauritij Principis, muneribus & tabulis aliquot, & inter ceteras ipsius Principis effigie, & conflictus ad Neoportum delineatione, ad Regem adijt: Cumque eum salutasset & munera ad pedes eius deposuisset, Rex candido indutus vestitu ea filio & uxori contemplanda transmisit. Ipse postea obambulando cum Præfecto de rebus varijs conferre cæpit. Et mox ubi de statu ac situ nostrarum regionum, deque bello, quod adversus Hispaniarum regem gereretur, certior fieret, animo gavisus est, seque ignorare adiecit esse præter Lusitanos alios insuper coloris candidi. Spilbergium deinde cum reliquo comitatu in cænaculum aulæis pretiosissimis stratum & magnificè exornatum deduci curavit. Vbi disposita subsellia Hispanica, & mensa oblonga aliaque in morem Europæorum ac Lusitanorum, apud quos, ut diximus educatus fuerat, parata omnia cernebantur. De fædere verò ineundo ubi sermonem, post alia, inijceret, Spilbergius, respondit Rex se cum Regina & principibus suis paratum esse vel humeris suis cæmentum & lapides adportare, siquando fæderatis provincijs Principique Mauritio placeret, in suo territorio propugnaculum aliquod excitare: quod & literis ad Principem & Provincias datis postmodum confirmavit. Spilbergius vicissim ut se quoque Lusitanorum vere hostem esse ipsi probaret, in gratiam eius tres Portugalensium naves, qui in propinquo morabantur, cepit & Regi incensis navibus, captivos tradidit. Cumque instrumentis musicis plurimum Rex delectaretur, sibi unum alterumque concedi rogavit. Quod non solum concessit Spilbergius, sed & in omni instrumentali musica exercitatissimos insuper duos iuvenes eidem reliquit. Idq; Regi tam gratum fuit, ut non solum utrumque in aulam statim receperit, alterumque ex ijs sibi ac filio suo à Secretis esse voluerit, sed linguam quoque nostratium addiscere incipiens novam Hollandiam regnum suum vocaverit. Primus ex hac insula nostras in oras cinnamomum & gemmas pretiosissimas, & inter ceteras pyropum tantæ magnitudinis, qualis ante id visus non fuerit, pendentem nimirum carattas quadringentas Spilbergius secum detulit. Appellatur autem ab alijs hæc insula Ceilan, ab alijs Zeylon, ab alijs Tenarisim, id est, delitiarum terra. Ptolemæum si sequimur, hæc Taprobane erit, nō Sumatra. Sita est enim è regione Commerini promontorij, ubi Taprobanam diserte collocat, quem dixi, Ptolemæus. Osorius Zeilandam ab incolis nominari ait, & in longitudinem à Septentrione ad meridiem circiter ducenta & quinquaginta passuum millia patere: latitudinem verò, ubi est latissima, non ultra centum & quadraginta passuum 1000 habere: esse autem fertilem admodum, neque solum varijs frugibus abundantem, verum & herbis & plantis odore mirifico redolētibus egregiè vestitam: quæ quidem sine ulla cultura proveniant: magnam præterea cinnamoni vim passim fundere, & multos præterea pretiosissimos lapides atque multiplices è saxorum ingentium venis erui: & gemmas etiam incredibili multitudine & singulari colore atque fulgore, extractis ostreis è fundo maris reperiri: ad hæc miram Elephantorum copiam nutriri, esseque totam insulam septem regnis distinctam, è quibus tamen unum & opibus & dignitate & imperio multum reliquis anteeat: eumque in civitate maxima, quæ Columbum appellatur, imperij sedem & domicilium collocare. Hodie id totum præcipuè tenet, de quo jam memoravimus Fimala, Lusitanus Iohannes ab Austria ea qua narravimus occasione nominatus.

Ceilan Taprobana, nō Zumatra, secundum Ptolemaū.

Neccij res.

Neccius etiam, quem supra post navalem cum Lusitanis pugnam, Patanam in auream chersonesum profectum indicavimus, magnum piperis & aromatum numerum eodem hoc circiter tempore domum retulit. Est autem Patane iuxta mare, medio inter Sianum & Malaccam loco situm oppidum, totius territorij sive regni, quod ab hac civitate denominationem Patanes habet metropolis. Cum ibi Neccius ageret à fæmina imperium administrabatur, & tum quindecim plus minus annos regno sola præfuerat. Nostri cum in regni portu, qui miliari circiter dimidio ab urbe distat, naves constituissent adfuit statim aliquis, cuius officium erat, naves peregrinas scrutari ac perlustrare. Hic cum fructus simul aliquot recentes nostris obtulisset, Reginam & incolas omnes ob adventum eorum maximopere lætari dixit, negavit tamen commerciorum ipsis exercendorum fieri potestatem posse, priusquam Præfectus ipse & in urbem veniret. Qui postero die, acceptis secum, quas adferebat, Principis sui literis cum muneribus in terram descendens, Elaphantorum aliquot ministerio ad aulam profectus est. Exhibito autem Reginæ & proceribus Principis diplomate potestas ipsi cum incolis commercia exercendi statim

statim facta est, dato alicui ex primoribus negotio, qui de pretio aromatum cum eo ageret, daretque operam, ut quantum onerandis navibus satis esset, acciperet. Sed & domus nostris attributa est, ubi dispositis mercibus negotiari cum incolis commode possent. Confectis autem rebus omnibus, cum naves pipere satis multo onerassent, honorarium denuo Reginæ jam valedicturi pro more obtulerunt. Cumque procuratores ibi relicturi essent, qui mercibus divendendis & coemendo piperi operam in posterum darent, commendatos sibi eos habituram sese, prolixè & serio Regina pollicita est. Excusabat verò se, quod minus pro dignitate & minus frequenter eos compellasset invitassetque, decuisse id scilicet personam suam, quæ mulier esset. Rogabatque ut in posterum in Indiam velificationem facturi, ad Patanem applicare nunquam intermitterent. Donabat denique Præfectum Crise sive gladio Indico pulcherrimè inaurato, petens ut sui recordaretur, & sicubi navem Pataniam periclitari ab hostibus in mari offenderet, suppetias adcurreret. Quod cum Neccius ceterique facturos se diligenter ac studiose promisissent, gustatis, qui appositi erant, fructibus, ad domicilium se atq; inde ad naves suas & patrios mox lares receperunt.

Anno sequenti, qui fuit 1605 severum edictum Hispaniæ Rex promulgat, quo Hollandis Zelandisque non Hispaniarum ac Lusitaniæ solum regnis interdictum voluit; sed ne ullas in partes Indiarum tam Orientis quam Occidentis navigarent, sub gravissima capitis pœna & amissione bonorum omnium seriò prohibet. Sed, quod dici solet, frustra prohibet qui inhibere non potest, ità etiam hæc archegis indicanæ societatis maiori stimulo fuerunt ad navigationes feliciter cæptas alacrius multóque ad bellum & vim omnem arcendam apparatu luculentiori instruendas. Nam eodem statim anno Cornelium Matelivium, qui ipsemet Societatis pars erat, ad Solis Orientis oras cum instructissima classe ablegarunt, virum bellicosum alias & impigrum, addito Vice-admiralio Oliverio Vivero, viro similiter cordato ac strenuo. Classis tota navibus duodecim cōstabat, quarum nomina erant, Arbor Auraica, Mauritius, Nassovius, Amstelodamū vasorum singulæ 700 capaces: Reliquæ ut Middelburgum, Leo candidus, leo ater, Sol magnus, minor Sol, Erasinus Roterodamus, Fœderatæ Provinciæ, Concordia, paulo minores habebantur. Hisce naucleros præfecerunt navarchosque, qui haberi potuerunt, quàm peritissimos, imposito insuper singulis, præter classiariorum robur, debito militum fortissimorum præsidio. Matelivio in mandatis præcipuè datum, ut omnia pro re & occasione quàm commodissimè moderaretur. Et vix ea solverat, classis, cum anno proximo nova subsecuta est octo navium, sub imperio Pauli à Caerden, justo classiariorum & militum etiam numero roborata, quorum aliqui in hoc conducti ut in præsidijs, si opus esset, stipendia facturi certum ad tempus commorarentur. Hæ cum Maio mense vela ventis darent, redierant commodum aliquot ante diebus naves duæ caryophyllis ac nucibus myristicis alijsque aromatibus luculentissimè oneratæ. Quæ & adferebant in procinctu esse Admiralium Stephanum Verhagen cum navibus duabus & alias tres brevi subsecuturas. Admiralius Verhagen mense statim Iulio utramque in portu navim cōstituit, reliquæ sub Octobrem demum, appulerunt. Verhagius initio profectionis suæ varia fortuna usus fuerat: Ad insulam statim Mosambiquam Lusitanos obviam habuit: navemque eorum multo ebore oneratam primum expugnavit, ac bonis omnibus evacuatam igne concremavit; mox alia adhuc quinque navigia minora cepit, oryza & milio saburrata: simulque, in terram exscensione facta, animadvertit insulanorum animos in nostrates magis quam in Lusitanam gentem propensos: Deinde vela faciens reliquit ex classe sua naves tres, quæ Portugalensium quasdā corbitas eo loci operirentur. Goam prætervectus in armis esse præsidiarios, & classem triremium in portu paratam stare cōspexit, sed egredi non ausam, nisi celocibus & lembis levibus, qui remis sese quam citissimè in tutum reducebant: Vnam interea satis magnam navem mercibus probe onustam offendit; sed Arabicam esse intelligens, Mecha profectam, liberam demisit. Hinc Cananoris oram legens & urbi appropinquans ad usque stationem, quam sinus maris facit, sub oculos quasi propugnaculi, quod ibi Lusitani ædificarunt, classem constituit: Misitque confestim, acceptis obsidibus, ad Cananoris Regem Legatos & literas, quibus amicitiam & officia sua erga ipsum, & odij adversus Lusitanos causas demonstrabat; Respondit multa cum benevolentiæ atque affectus significatione Rex, receptos in suam & maiorum suorum tutelam Lusitanos annos ante 102, eademque adhuc fide ac pactione se teneri: aliorum nihilominus & ipsorum quoque amicitiam ac fœdera nequaquam aspernari: rogare denique amanterque petere ut Maldivias prætervehentes classi suæ,

1605. Edictum Hispaniæ Regis.

Cornelius Matelivius in Indiā cum classe mittitur.

1606. Pauli à Caerden nova classis

Verhagij eventa resq; gestæ.

quæ ibi in portubus esset, parcere velint,se id omni officiorum genere, ubi occasio esset, remuneraturum. Postea inito cum Malabarum Rege ad Calecutum fœdere, Zumatram versus profectus legatos,qui ad Principem Mauritium missi fuerant à Rege Acheno,ut supra memoravimus, domum reduxit. Atque inde Bantamum iter instituens Lusitanicam navim intercepit. Erat in ea Moluccarum Præfectus cum pulvere tormentario multaque annona militari Amboinam petiturus. At Verhagius his omnibus potitus ipse confestim Amboinam cum classe abijt; ut propugnaculum quod in ea Lusitani ab annis aliquot habuerant,tam commoda oblata occasione expugnaret. Itaque naves ubi Amboinā advenisset,quam proximè fieri potuit,ad littus ipsumque propugnaculum admovit,& ita tormenta disposuit ut undique illud ferire difficilè non esset. Propugnaculo qui præsidebat Gubernator hæc animadvertens nuncium cótinuò ad classis præfectum mittit, & quid negotij ibi habeat, curque ad locum illum applicarit, quem Regis Hispaniarum nomine possideat, quærit: Respondet Verhagius, missum se fœderatarum Provinciarum nomine à Principe Mauritio, ut locum illum expugnaret. Quo audito Gubernator,cum nec vires nostratibus nec animum deesse cerneret, non expectandum ratus donec ad tormenta res veniret, mittit statim ad Classis Præfectum Hagium,qui facta deditione decessum & conditiones paciscantur. Cum igitur obtinuissent, ut quicunque locum mutare vellet, sclopo armatus decederet, vexilla autem Regia cum tormentis ceteroque commeatu castrensi relinquerent,quique manere ibi vellent juramentum fidelitatis Ordinibus & Mauritio præstarent, sexcenti quidem Lusitani postridie eius diei propugnaculo egressi sunt: quos duobus navigijs nostrates ad alia loca traduxerunt, multaque mox tormentorum displosiōne sibi invicem gratulantes propugnaculum ingressi signum in eo Mauritij constituerunt; inveneruntque, præter commeatum & alia,tormenta ænea triginta. Cæterum Lusitanorum qui in matrimonio vivebāt, quadraginta sex, præstito Ordinibus fidelitatis iuramento, in insula remanserunt. Insulani autem ipsi ob insperatam hanc victoriam & jugum Portugalensium à cervicibus suis excussum Deo grates dixerunt; nec immerito id Lusitanis accidisse addentes quòd vel immanem illam & omni barbarie truculentiorem tyrannidem, in se & fruges suas paucis ante annis exercuissent,ut & modò memoravimus. Verhagius his peractis ubi & commeatu mox ad integrum annum sufficiente alijsq; rebus & milite præsertim ac novo Præfecto propugnaculum instruxisset, navem iterum, Tidoram petiturus, conscendit. In itinere Middeltonij Angli cuiusdam naves obviam habuit,qui,ut ferebatur, cum Lusitanis faciens tormentarium pulverem aliaque pro caryophyllis Portugallensium præsidiarijs vendiderat, ita ut aliquot jam pulveris cados habere & pugnam cum nostris auide expectare eos,ijdem Angli de re universa interrogati responderent. Nostri nihilominus,quasi fidem his dictis non haberent, strenuè progressi sunt;& mox ubi ex adverso regiæ Tidorensis naves appulissent, per tubicinem statim deditionem sibi fieri Verhagius imperat. At præsidiarij, quamdiu spiritum ducerent defensioni se incubituros respondent. Hærebant in littore,iuxta castellum duæ naves Lusitanicæ, magnæ; quas priusquam ad castellum aliquid tentaret, expugnandas Præfectus censebat; ablegatisque statim duabus ex classe navibus, oppugnari eas per Iohannem Mollium, virum strenuum curabat. Resistebant initio Lusitani, & non solum tormentorum, sed & sclopororum ac bombardarum displosionibus ita repugnabant,ut glandibus plumbeis quasi grandine oppletus aer videretur. Verum cum nostri scaphas etiam armarent, & jam undique naves illas circundarent, Lusitani, ut sibi consulerent,in aquam prosilientes naves tandem diripiendas nostris reliquerunt: Qui tormentis inde grandioribus duodecim & tormétario etiam pulvere suas in naves translatis igne easdem accensas,vēto & maris fluctibus cōmiserunt. Prospexerant hæc omnia ex munimento suo Lusitani;deditionem tamen ut facerent adduci non potuerunt. Itaque nostri cum Taranatensium Rege consilio inito, ad pugnam sese gnaviter parant, ipso cum 14 navigijs, quorum singula 140 armatos continebant,in auxilium veniente, ijsque paratis omnibus cum Tidorensi etiam rege agendum similiter censebant, ut sese intra terminos suos contineret & Lusitanis suppetias nullas ferret,dum ipsi cum Lusitanis manus conserunt. Quod cum Tidorensis facturum se recepisset, Taranatensis quidem cum quingentis plus minus armatis in terram, ut & pugnam spectaret,& Tidorensem ab auxilio Lusitanis ferendo magis magisque absterreret,descendit. Interea Iohannes Mollius cum centum & quinquaginta armatis in terram profectus,ut terrorem Lusitanis incuteret, duos eorum vicos igne succendit; moxque ad castellum appropinquans,munitionem sibi aliquam ex dolijs sive vasis qui-

buſdam

busdam vinarijs terra oppletis, loricæ quasi loco paravit. Inde ad tormenta conversus castellum quassare cæpit, idem ab altera etiam parte qui in navibus erant facientibus. Cæterum Mollius cum classiarios ad pugnam terrestrem minus assuefactos esse non ignoraret, clanculum de nocte ad mænia usque propugnaculi paucis cum militibus accessit, & via ibi patefacta irruptionem cum ijsdem facere tentavit. Non cessabant etiamnum, qui in navibus erant, castellum petere donec explicato Mauritij vexillo signum ipsis Mollius daret, quo viso displosiones intermiserunt. Et licet Mollius cum vexillo & sex militibus socijs, in castellum jam irrupisset, furori tamen Lusitanorum non resistere valens, cum præsertim ipsi quidem ardentibus pilis ex turri quadam tanto cum fervore pugnare viderentur, ut vexillum inde ignem conciperet, & totum conflagraret, ipse verò in turba cadens, crus alterum fregisset, emittere quidem tum ab eo conatu, & post horæ quadrantem, re infecta, ad munitionem suam redire coactus est. Interea tamen idem Mollius tametsi jam progredi amplius non posset, nequaquam tamen cessavit hortari suos, ut recuparatis viribus insultationem denuo tentarent. At illi secundo adventantes facili negotio reiecti fuerunt. Itaq; naves ad tormenta iterum cõversæ, turrim potissimum, unde pilas flammeas contorquere Lusitani videbantur, continuis ictibus petierunt. Habebant Lusitani ipsi in turri ista nitrati pulveris plurimum, eoque (partim ipsorum incuria, partim nostrorum displosionibus) ignem concipiente, turris cum 70 plus minus præsidiarijs in aerem patentem magno cum intuentium stupore dissipata est. Horrore igitur perculsi, & exanimati quasi Lusitani, cum eodem momento impressionem facere nostros animadverterent vitæ suæ uti parcerent, deditionem se facturos proclamarunt. Atque ea tandem ratione propugnaculi expugnatio facta est: quod exinde funditus eversum nostri solo æquarunt, Lusitanis omnibus, quorum quingenti adhuc cum uxoribus & liberis numerabantur naviculis aliquot ad alia loca & potissimum ad insulas Philippinas delatis. Ex nostris duo fuerunt occisi & præter Mollium, sex vulnerati: Lusitani ex suis septuaginta tres amiserant, vulneratos duodecim aut tredecim numerabant. Mollio crus deinde in integrum restitutum curatumque quam optimè deinceps fuit, domumque mox reversus statim cum imperio & navibus duobus Indiam repetijt. Solvebant hæ anno 1606. Alteri navium Goudæ, alteri Gelriæ, cui Mollius præsidebat, nomen erat. Hac victoria Portugalensibus in totum ex Moluccarum ditionibus, præterquam ex Solor exigua admodum nec magni momenti insula, exclusis, ingentes Deo gratias nostri egerunt: Et ut negotia deinceps commerciaque tam apud Tidorenses quam Taranatenses amicè ac tuto tractarentur, id præcipuè operam dederunt, ut pax inter utrumque regem, qui, ut superius etiam meminimus, Vatinianis inter se odijs æstuabant, firma ac duratura constitueretur; in quod, etiam post reliquorum abitum, Vice-Admiralius præcipuè incubuit.

Tres porrò aliæ illæ naves, quas, sub Octobrem demum, Admiralium Verhagium subsecutas dixi, inter cetera Varvicum (qui ut videtur, cum unitæ societatis navibus illis 13 prima statim expeditione, oram solverat) in procinctu quoque esse commonebant, eumque navem suam, quæ aquam hauriebat, ad Mauritium insulam appulisse, ut obiter ea parte, qua dehiscere ac rimas agere inciperet eam reficeret: Nuncium etiam de expugnata ab eodem Varvico ad Patanem ingenti quodam Lusitanico navigio adferebant, sed ipsos vectores cum resistendo non essent, cum pretiosissimis aliquot mercium fuga sibi consuluisse: relictam interea fuisse ingentem Serici Chinensis vim & moschi aliarumque rerum magnam copiam; Eaque omnia cum Regina Patanensi æquis partibus distributa, & à nostris deinde portionem Reginæ pretio aut mercibus alijs redemptam inque naves Varvici comportatam fuisse. Reversus est autem ipse Varvicus anno exinde proxime sequente 1607, circa veris initium, cum navibus Hollandia & Dordraco, in insula, ut innuimus, Mauritio reparatis, cum jam propemodum quinquennium è patria abfuisset, è centum & quinquaginta, qui profecti fuerant, sexaginta tantum domum reductis. Memorabile vero est, quod in insula ea, sive deserto potius, ubi homines nulli agunt aut sunt, naves reparare, & alteram quoque puppi integra (quam navigij partem, speculum sive *de Spiegel* nostrates vocant) instruere & ad navigationem de novo idoneam reddere potuerint. Primo ubi ad insulam ventum esset, arborum aliquot millenarum cædem fecerunt, ex quibus officinas ac tuguria excitavere, in quæ merces ac navium armamenta aliaque deportari curarunt: Mox & ferrariæ aliquot officinæ, ustrinæque, in quibus ex lignis carbones conficerentur, institutæ, ubi & clavorum minorum ultra viginti millia conflaverunt, præter maiores illos, qui teretes toti sunt, & boltas vulgo vocamus

Varvicus.

1607.

camus. Habebat insula à parte Orientis Austrina portum ac stationem satis commodam, in quo navim utramque Varvicus collocaverat; totamque mox insulam cum aliquot ex suis animi causa circumambulans complecti eam in ambitu milliaria circiter triginta sex deprehendit. Sed de ea cum superius satis dictum sit, hic eadem repetere supervacuum fuerit.

Induciæ Belgicæ, deque Indicis navigationibus disceptationes. Miserat hoc anno sub finem Ianuarij Archidux Albertus ad Ordines fœderatarum Provinciarum Legatos, qui de pace aut saltem inducijs faciendis cum Ordinibus agerent. Sed cum illis responsum esset tractationem se nullâ admittere, aut cum eo qui libertatem suam impugnaret, pacem ferire ullo modo posse, alios continuò Archidux, atque inter eos Ordinis Franciscanorum primatem Ioh. Neium, transmisit, qui literas Archiducis manu subsignatas afferebat, quibus inter alia profitebatur se cum fœderatis provincijs, utpote liberis & in quas nihil sibi juris vindicaret, de pace vel in perpetuum vel ad annos certos, prout visum Ordinibus foret, faciendâ agere constituisse. Eaque mox ubi agi cepta; multa variaque se obtulerunt, & inter cetera, de jndica navigatione seriò actum; sed de ea cum spondere se aut promittere quidquã sine Regio cõsensu nequaquã posse Ordinibus affirmarent; negotium Neio datum, ut in Hispaniam profectus mentem quasi Regis pertentaret. At Ordines interea rationes & argumenta in medium protulerãt quibus permoti à navigationibus jndicis abstinere, se nunquam posse professi fuerunt. Principio jure naturæ & gentium constare dicebant, negotiationes & commercia pacis effecta ac fructus amicitiæque testimonia esse. Eaq; nemini nisi hostibus denegari debere, nec ullum pacis exemplum ea ratione factæ posse reperiri, quâ intermissa & prohibita commercia fuerint, cum id non pacis, sed proscriptionis potius foret indicium. Quæ aliaque in contrarium dum adducerentur, Indicana Societas, ut demonstraret, quid de eâ re expectandum Hispanus haberet, classem instructissimam comparat, navium tredecim; cui Petrum Wilhelmium Verhueff; qui in pugna navali Heemskerkiana (de qua mox) ad Gibralterram strenuè se fortiterque gesserat, Præfectum constituit. Nomina navium erant, Hollandia, quingentorum onerum capax, navarcho utens Simone Hunjo; Provinciæ cõfœderatæ quadringentorum capax, navarcho Theodorico Iacobæo; Amstelodamum, quadringentorum, Navarcho Petro Gerhardo; Leo ruber, sagittarum colligatarum fasciculum ungue tenens, ducentorum, Navarcho Iohanne Valisio; Aquila centum, Navarcho Rutgero Thomæ: Pavo centum, Navarcho Bartholomæo Gisberti: Mittelburgum quingentorum, Navarcho Cornelio Leonardi; Selandia trecentorum, Navarcho Simone Martino; Roterodamum, quingentorum, Navarcho Iohanne Cornelio Vittio; Gryphus centum, Navarcho Iohanne Vandiccio; Horna quadringentorum, Navarcho Martino Clutio. Ex his nõnullæ ad Chinæ aut Iaponiæ regna, aliæ aliò cursum instituere iussæ sunt, milite omnes, annona, mercibus, pecuniâ signatâ, omnibusque ad tam longam navigationem necessarijs, abundè instructæ.

1608. Solventibus hisce, reversæ ex India anno 1608. naves tres, cœli illius mercibus omnigenis præter piper, luculenter oneratæ. Inter cetera enim, trecenta onera nautica Garyophyllorum, centum nucum myristicarum, quinquaginta macidis, tum gemmarum, serici facti & infecti, cinnamomi aliarumquæ pretiosissimarum rerum vim non exiguam magno cum omnium, qui negotia illa tractabant, gaudio atque applausu Amstelodamum jntulerunt.

Matelivij expeditio Malaccensis Præfectus porrò Matelivius (de cuius expeditione & classis apparatu superius obiter diximus) cum in mandatis præter alia haberet amicitiam cum Regibus Indorum modis omnibus firmare, & nostros ab hostium ac Lusitanorum immanitate, quantum daretur, tueri, quo negotia tuto & sine periculo institui ubivis possent; ad Malaccam præcipuè tentandum aliquid consilium cepit. Postquam igitur sub Aprilis finem, anno 1606. ad auream Chersonesum, in cuius extremitate Malacca ad maris sinum collocatur, naves appulisset, misit continuo ad Regem Ihortanum, qui nostris erat fœdere sociatus, vt sibi adversus Lusitanos auxilio veniret. Ipse interea Malaccam propius accedens non potuit, prout voluit, naves ad oppidum quam proximè applicare. Itaque à tormentorum explosionibus licet bellandi initium faceret, proficere tamen propter nimiam ab oppido distantiam parum potuit. Et adventus quoque Fœderati regis, qui indies expectabatur, spatium præsidiarijs Malaccensibus adversus insultum omnem muniendi se, non exiguum relinquebat. Cæterum Rex ille, vbi mox cum triremibus aliquot & Æthiopibus bis mille ad classem nostratium appulisset, habita statim deliberatione constitutum est, vt renovato cum eodem Rege fœdere, sequẽti die qui erat Maij decimus octavus, in littoris oram

tram descenderent, experimētum facturi si promissis, aut alia quacunque ratione, suburbanos ab oppido separare & sibi conciliare valerent. Octingenti propemodum fuere, qui in terram abierunt, & suburbium ab incolis, qui in urbem primariam confugerant, desertum incensumque repererent: ita ut Lusitani præsidiarij haud leviter hinc nostrorum conatibus resistere cœperint.



Nostri nihilominus una cum Indis auxiliaribus magis magisque appropinquare instituunt, atq; ita cominus pugnare, ut in primo statim congressu haud pauci ex nostris graviter admodum sauciati fuerint, & aliqui etiam prostrati occubuerint. Reiectis tamen & compulsis in urbem Lusitanis cum suburbium totum nostri tenerent, castellum continuò opera tumultuaria extruxerunt, allataq; quatuor tormenta vulgaria ita disposuerunt, ut turrim simul & propugnaculum arcis Malaccensis ferire possent. Verum cum hoc modo parum proficere se animadverterēt, & classis Lusitanica Goa quotidie expectaretur, decretum paulo post fuit, ut machinæ bellicæ cum ægris & sauciatis omnibus ad naves reducerentur, trecentis non amplius armatis in littore relictis, qui traducto postea per fluvium ponte, aditum sibi ad monasterium quoddam in propinquo ibidem situm aperuerunt. Hinc ulterius meridiem versus, strato prius per paludes inter littus & monasterium intermedias itinere, centum & quinquaginta nostrates cum quadringentis Æthiopibus profecti castra sua, priusquam à Lusitanis animadverti potuerint, ea civitatis parte, qua maximè infirma habebatur, metati sunt, paratis excitatisque munitionibus, & propugnaculo satis capaci, medio inter littus & urbem itinere; in quo & tormenta aliquot disposita postmodum fuerunt. Antequam verò eorum in urbem displosio fieret, misso tubicine, deditionem uti facerent incolas hortati sunt. Cumque nihil obtinerent, 12 tandem Iulij muros & mœnia quatere ceperunt: Missique sub noctem qui loci conditionem explorantes animadverterent an ulterius ad urbem accedere, & munitiones propius excitare liceret: ijque mox reversi viam & modum commonstrarunt, per quā progressi vallum dimidiæ lunæ formâ, quod vix 60 passus ab urbe distabat, celerrimè excitarunt: Dum autem de impressione hinc facienda cogitant, accepto de adventu Lusitanicæ classis celeri nuncio, tormenta ad littus reducere, & qui in obsidione erant iterū naves conscendere coacti fuerunt. Nostros autem ubi obsidionem solvere Lusitani vi- *Malacca obsidio.*


 dent,

dent, facta subito eruptione castra diripere trucidatis si quos in ijs adhuc depræhenderent, annisi sunt; Verum nostri capta versoriâ, paululum regressi ita eos exceperunt, ut 50 plus minus amissis in urbem se recipere adacti fuerint.

Pugna navalis inter Lusitanos & Matelivium.

Dehinc naves ingressi, levatis die 17 Augusti anchoris, in occursum classi, navigarunt quam ex 14 horrendæ magnitudinis navibus & totidem minoribus nec non & triremibus quatuor constare, circa vesperam eiusdem diei compererunt, imperium in eam, qui vicem Regis Goæ obtineret exercente. Lusitani visis nostris ad tormenta statim conversi, tam crebra displosione ea exonerarunt, ut centum & quinquaginta ictus ea vespera numerarentur. Sequēti die cum viderent Lusitani unam ex nostratium navibus, cui Nassoviæ nomen erat, à reliquis paulo disiunctiorem, nec posse ei facile ob maris & ventorum malaciam à nostris succurri, facibus & flammis ita eam propemodum obruerunt, ut coacti fuerint classiarij scaphis periculum effugere. Ipse Matelivius cum alia quapiam navi, cui Mittelburgum nomen erat, à tribus Lusitanorum maioribus navigijs circumventus, pugnando se longo tempore defendit, donec auxilio ei venientes socij, tela ignita in unam trium istarum Lusitanicarum navium confertim proijcerent.

47.



Tunc enim exorto subito incendio Matelivius, præcisis anchoralibus, periculo se eripuit: Navis verò altera Mittelburgum nomine, cum à duabus Lusitanicis ita teneretur, ut dissolvere se nequiret, concepta simul flamma, una cum illis incendio perijt; Classiarij interim scaphis ac lembis aliarum navium periculo maxima parte liberati fuerunt: Lusitani ignem evitaturi magno numero in mare desilientes suffocati atq; à fluctibus abrepti sunt. Velitatione eiusmodi ad meridiem usque continuata, reliquum tempus reparandis iterum navibus, quæ à tormentorum explosionibus haud parum ab utraque parte labefactatæ fuerant, datum est. Die deinde vigesimo Augusti cum ab anchoris etiamnum hærere Lusitanos nostri viderent, plenis eos velis impetere & persequi statuerunt. At illi adventum eorum expectare nolentes, levatis statim anchoris Malaccam versus abierunt. Quocirca & nostri, ut in specula quasi essent, ad reges Indorum vicinos diverterunt, reparandis & de novo navibus commeatu prospiciendis, dum & ægri quoque & vulnerati valetudinem aliquam recuperarent, operam navatur. Interea Lusitani relictis ad Malaccam septem navibus, mari sese denuo committere & fortunam tentare cæperunt,

runt. Idque nostri cum primum perciperent, eodem iterum reversi pugnam restaurarunt. Et Admiralius quidem una cum duabus navibus alijs, quarum alteri Soli, alteri Provinciæ nomen erat, appræhensam, quæ paululum separata à socijs hærebat, Lusitanorum navem in apertum secum mare protraxit, Lusitanisque qui in ea erant primo impetu trucidatis pæne omnibus, igne comburendam socijs, qui in navi altera versabantur, reliquit. Ab altera parte Vice-admiralius à duabus Lusitanicis corbitis appræhensus, pugnandi finem ante non fecit, quam flammam altera concipiens incendio periret, altera crebris tormentorum ictibus perforata & armamentorum usu omni destituta inq; mare oberrans & comprælensa mox Vulcano fit consecrata; una cum alia insuper Lusitanica navi, quæ à duobus nostratium navigijs oppugnata deditionem fecerat.



His peractis, ad portum denique Mallaccensem conversi, de expugnandis etiam reliquis Portugalensium navibus consultarunt: Verum cum rem eam arduam ac plenam periculi vix aggredi sustinerent, accidit ea nocte, ut metu perculsi Lusitani, evacuatas tormentis, rebusque bellicis ceteris, naves eas omnes incendio ipsimet perderent, gaudium nostris haud exiguum hoc modo relinquentes. Dissipata igitur & eversa hunc in modum classe ista Lusitanica, cum exigua inde ad nostros spolia commodaque pervenissent, & verò primarios quosdam Lusitanorum captivos secum Matelivius detineret, acceptum pro eorum liberatione sex millium coronatorum lytrum inter classiarios omnes æquis portionibus liberaliter distribuit: Simulque & gregarios quicunque tenerentur, facta cum nostris quibusdam, qui Malaccæ vicissim captivi servabantur, permutatione, liberos omnes remisit.

Hæc Indicanæ navigationis initia incrementaque fuerunt: Et agere jam simul Ordines cæperant de alia ac simili ad Indos Occiduos instituenda expeditione maritima, quo modo & obiter superius iniecimus, cum ecce induciæ inter fœderatas provincias & archiduces in tempore pactæ conatus eos omnes interruperint. Quibus etiam inducijs ad Orientem navigationes, quæcunque tam à Lusitanis, quam nostris frequentarentur, pacatæ utrimque ut essent ac tutæ certis similiter conditionibus adstipulatum: Ita ut, anni 1609 exitu, Admiralius Petrus Both, cuius & ante mentio jniecta, ad Solis orientis Indos insigni cum classe, ac milite non modo, qui Indiæ præsidiarios suppleret, pleno cum imperio demissus sit, sed & fæminas ac familias integras classiarijs militique concessum

secum

ſecum abducere,quò & novæ in Indiæ inſulis coloniæ ac veluti ſatus noſtratium hominum fierent.

Reverſæ quoque anno deinde ſequenti aliquot & præter ceteras naves duæ: Quarum altera Iaponiam adierat commercijque exercendi jus noſtris apud Cæſarem Inſulæ impetraverat. Et quo id certius haberetur, reliquerat eadem navis ex ſuis nonnullos, qui ibi interea, dum naves hîc noſtræ pararentur, negotia ſocietatis agerent. Vnde & miſſa hoc anno 1611. claſsis, id præſertim in mandatis habuit, ut una aut altera navium, ubi in Indiam ſalvi adveniſſent, Iaponiam verſus, continuò amandaretur. Navis autem illa, quam dixi utraque magnum tunc theſaurum ſocietati intulit. Nam auri tonnas, ut vocant, circiter 40 attuliſſe memorant. Quæ ſanè ſumma, ut cum vulgo dicam, Capitalis, quod auri tonnas ſexaginta complexum ſuperius memoravimus, partem alteram vel ſola exceſſerit.

49.



Noſtratiũ præſidia Indica ac munimenta aliaque.

Loca præſidiariorum noſtrorum præcipua ſunt hodie Amboina quæ ſe totam noſtratium poteſtati permiſit, accepto à noſtris inſulæ præſide, quem ut ſummi magiſtratus loco ſuſpiciunt omnes ac venerantur: Antiquitus Ternatenſem Regem agnoverant. Banda propugnaculum habet unum munitiſsimum, & forte jam alterum eidem additum eſt: Nullum interea noſtri in indigenas ſibi aut imperium vindicant, niſi quod myriſticas nuces & macides ceteraque aromata certo ac pacto pretio noſtris tantummodo divendere diſtrahereque teneantur. In Inſula Ternatenſi unicum noſtri munimentum collocatum adhuc ſervant: Hiſpani ſimiliter unum armis tuentur, miliari circiter uno alterove à noſtro diſiunctum: quamvis ante inducias promulgatas à claſſe Vilhelmi Verhovij id ipſum occupatum nonnulli exſtiment: quemadmodum & inſula atque arx Tidorenſis, à noſtris, ut memoravimus, ſolo adæquata, ſed ab Hiſpanis poſtmodum reædificata, an in poteſtatem noſtratium redierit, nihil adhuc certi relatum memini; præterquam quod Admiralius, qui Verhovio ſucceſsit, Vittenius cum claſſe eò deceſſerit. Apud Maquianos munitiones quoque noſtri tres tenent, eum videlicet in finem ne forte vel hanc vel illam inſulæ partem inopinato hoſtis adoriri poſsit. Recepti etiam à Motirenſibus noſtrates ſunt: ubi & propugnaculum locatum habent. In Gilolo denique inſula non magna, Admiralius Paulus à Caerden opera militum noſtratium 150, aſſumtis Ternatanis 800, exiguum quoddam Hiſpanis munimentum extorſerat, quod an teneant etiamnum noſtri, an verò ſolo æquaverint, incertum habetur.

Banda libera eſt reſpublica, quamvis Ternatenſis partem aliquam territorij vindicare ſibi videatur, cuius & ſupra meminimus. Tidora proprium & peculiarem Regem agnoſcit. Quem ad Philippinas ſuperioribus annis abductum regno nuper reſtituerunt Hiſpani poſtquã in ea ſolo æquatam à noſtris arcem (de qua jam ante nonihil iniecimus) denuo



5
10
15
SE 20
AFRI
Palma Seca
GENEHOA
Genehoa
Rio Senega
CA
RAGOLI
Tombotu
Niger fluvius
GANBIA
Colenho
Cantozy
MANDINGA
Mandinga
Melli
MELLI
CARAGOLES
Gago
Tambi
C. Roxo
I. dos Alcatraces
Corballe
R. de Pichel
Palmar
SOUCOS
Sierra Liona
Cacers
Anguines
MALAGVETA
Labore
G V I N E
Famba
Iamo
Baixos de S. Anna
C das Palmas
OCCIDENS
Ribiera brava
Ribiera da Palma
Praya das lancas
Ilheo das Polas
Punta großa
Agambo
Ribiera funda
Praya lagarto
Portinho
R das negras
Ribieraon dopeixe
Fazondas de madras
Aqui foado agente darma contra os negros
Citade
Forte Velho
Praya melam
Vngenho dagoa de Jeronimo de Coimbra
I.S.THOMÆ
S Anna
R Grande
R. de S Iuan
G de S Iuan
I de S Anna
Praya de Rey
Dalmada
G do Olwira
Praya da Pedra furada
LINEA
GV
N
DESC
M 20



TRIO
25
30
35
fl. 217
Æ
Lago Sigisma
guarda al:
P A R S
Niger fluvius
Zegzeg
Tuspa
LYBIA INTERIOR
NGANA
ZEGZEG
Acanes grande
LUDAYAS
Acanes pequenos
Dauma
ASSAS
Quinimberim
Aboras
S Lorenco
Minas de ferro
Mina
Aldea dos Almadias
R.Palmar
Rio Primeiro
R.dos Esclavos
R.Benin
R.Forcados
R.dos Lamas
Benin
BENIN REGNUM
Budis
R.S Bartholomeo
R.Real
R.Carmo
R.Camarones
C Corco
3.Pontas
I de Fernando Poo
I de Principe
ÆTHIOPICUS
I S Thome
Citade
ÆQUINOC 25 TIALIS
30
35
Cabo de Lopo Gonsalves
OCEANUS
10
5
O RIENS
EAE
VA
IPTIO
Hispanicæ Leucæ
35
70
Germanica Miliaria
30
60
25
30
35

denuo nunc eandem exædificare cœperunt. Maquian, Motir & Gilolo Tarnatensi quoque regi, plurimarum insularum domino, obstrictæ sunt: Eiusque subditi omnes, ut caryophyllos & aromata nostris tantum divendant, certo pretio conventum est.

In ceteris Indiæ partibus præsidia aut propugnacula non habent nostri, sed fœdera interim cum regibus diversis firmiter colunt. & inter ceteros cum Rege Sianensi, Quedaensi, Patanēsi, Iohorensi, extorri & vero Malaccæ hærede; cum Borneensi, cum Achim & Sumatræ ac Bantami, Iacatræ alijsque aliquot Iavæ regulis. Vbi & negotiatores sive agentes ipsorum nomine assidue commorantur, qui in hoc etiam incumbunt ut sarta tectaque fœdera omnia ac pacta conserventur. Quin & singulis fere annis verbi divini præcones submittuntur, viri cum pietate morumq; gravitate, tum doctrina multarumq; linguarum peritia insignes, qui in illis etiam tenebris Evangelij aliquam lucem puriter accendant. Accessit jam nuper fœderatio, de qua modo iniecimus, cum potentissimo illo Iapanensium imperatore: Quod ipsum quoque apud Chinenses ut obtineatur, nōdum spes omnis decollavit.

Nec omittendum hic porro Guineæ etiam ditissimas & auri feracissimas oras maximo cum negotiantium bono ab Amstelodamensibus jam annos plusquam duodecim assiduè frequentatas; indiesque auri glebas, saburræ quasi loco, præter mercimonia pretiosissima alia, ut sunt oryza, gossypium, ebur in urbis officinas ac promptuaria comportari. Est autem Guineæ regnum inter Gualatam, Tombutum & Melli situm, à Nigri flumine ad Oceanum usque Æthiopicum, pertingens. Primus qui eò navigationem ex hisce oris instituere ausus, Medenblicensis celebratur, anno 1596. magno cum negotiantiū lucro Amstelodamum reversus, navigationis, quæ nunc, ut indicavimus, ordinariò frequentatur, auspicium fecit. *Guinea.*

Et anno denique 1611, dum hæc scriberemus, Isacus le Maire, Mercator & civis urbis, natione Antverpianus, vir industrius & gnavus, cum paucis aliquot alijs Amstelodamensibus & oppidi similiter civibus, viris spectatis, novam negotiandi rationem in Africæ tractu extimo, iuxta caput Bonæ spei, auspicatus, naves binas marinarum belluarum arvina & boum corijs nec non luporum marinorum alijsque pellibus ditissimè oneratas domum recepit. Solverant hæ, Admiralio existente Everardo Stauriensi, sub anni 1609 finem, rebus omnibus, quæ ad iter eiusmodi atque institutum necessaria videbantur, instructissimæ. Adeoque secundo ac propero exinde cursu provectæ fuerunt, ut intra trium mensium spacium, ad stationem, quæ est circa bonæ Spei promontorium & quam à formâ Mensalem nautæ vocāt, appulsæ sint. Et mox ubi ad res, quas animo proposuerant, exsequendas toti se composuissent & modo hæc, modo illa loca insulasque circumjacentes diligenter perscrutati fuissent, magnam mercium, quas dixi, copiam in naves comportarunt. Nam lupis marinis 45000 trucidatis coria detraxerunt: quorum aliquot vento Soleque siccata, nonnulla sale consperfa Amstelodamum importata; una cum arvina earundem belluarum, quæ debitum in modum postmodum excocta, pinguedinem exhibuit, quam idiomate vernaculo nostrates *Traen* indigitant: Eiusque liquoris vasa 500 numerata. Boum verò caprorumque pelles, ingenti quoque numero, ab indigenis, cupro alijsque mercibus redditis, acceperunt; omniumque primi celebrandi, qui instituta cum indigenis istis negotiatione, eiusmodi mercimonia hasce in oras detulerunt. Dum autem rerum suarum satagentes ad ultimum usque Octobris ibidem subsisterent, præter Anglorum unam aut alteram naves, quæ aquandi gratia accedebant; etiam Petrus Both Admiralius & Generalis de quo supra diximus, tempestate à classe reliqua deiectus, eundem in sinum, malo uno & armamentis aliquot amissis, delatus est. Eoque mox relicto, & velis vento datis, intra tertium mensem non minus feliciter, quam antea eòdem navigaverant, inde in patriam regressi sunt. Nondum redierant, cum nihilominus idem le Maire, sub anni 1610 exitum, tertiam navem eodem submisit, Præfecto constituto, præter nauclerum Regnerum Buikeslodensem, filio suo natu maximo Iacobo le Maire. Illis verò quomodo exinde negotiatio cesserit, nihildum allatum intelleximus: Quamvis successibus prioris navigationis excitati alij non destiterunt eandem fortunam sequi, Amstelodamo præsertim duobus insuper grandioribus navigijs, & uno Hornâ easdem in partes destinato. Optandumque foret ut harum similiumque navigationum felici aleâ etiam ulteriora tentarentur, & præsertim quæ in Australiori urbis parte trans Capricorni tropicum cis & ultra Megalanicum fretum immenso tractu terræ jacent latentque nostratium navigationibus atque opera in lucem ac notitiam protraherentur. Ite ergo ad hanc palmam alacres, vos ô Oceani accolæ, &

1611.

Circa bonæ spei promōtorium negotiatio nova.

Tafel-Bay

filij Neptuni Hollandi Zelandique; patet ecce adhuc Orbis propemodum maior pars, nondum est occupata.

CAP. XXVII.

De urbis extensione postrema itemque cataractis novis, Bursa alijsque Operibus.



RIUSQUAM de cataractis, plateis, portis, pontibus, Bursa, Bibliotheca alijsque publicis locis atque ædificijs, quę ad Vrbis adhuc ornatum enarranda superius promisimus, sermonem deinceps ingredior, illud præmittendum tantum est, anno 1585, quomodo & superius obiter innuimus, produci urbis pomęria, valloque terreo & fossa, communiri cæpta; Eaque paucis post annis irrita atque immutata fuisse, latiusque tunc ac serio urbis terminos, & quo hodieque conspiciuntur loco, positos, addita circumquaque fossa quam latissima, eiusque in meditullio, loricæ quasi loco, palos impactos. Quantum verò spacij tunc in universum accesserit, ex eo colligi potest, quod 9100 circiter passus oppidi nunc circuitus contineat, cum antea, dum adhuc muris cingeretur, 4920 tantum, ut supra meminimus, complecteretur. Quibus si accedat suburbij complexus, & ille ampliandę urbi terminus nuper positus, quantus & quam ingens hic ambitus fiet! Muri vero lateritij, qui aliquandiu post urbis utramque extensionem integri etiamnum perdurarunt, quonam tempore solo æquati sint, versiculus, qui idiomate vernaculo tum conceptus, & ad rerum quoque aliarum, quas complectitur, memoriam adscribi meretur, ita loquitur: Int jaer sesthien hondert een/ werden des Stadts Vesten gheslecht / de Toorn gherecht: ende ghemaeckt drij Sluysen/ en wel ses hondert huysen. Atq; ita eodem ex rhythmo tres CATARACTAS seu emissaria, sive ut vulgo vocant, Slusas, superioribus, de quibus primo libro egimus, additas fuisse liquet; Haerlemensem novam; Antonianam, & eam, quę est circa portam viæ sacræ Boeren verdriet/ appellatam. Sunt hæ cataractę novo & inusitato gentibus alijs modo fabrefactæ. Fundus primum eo loci, quo jaciendum fundamentum est, pro muri, qui quinque aut sex Passuum, ut plurimum, latitudinem continet, crassitie, palis firmissimè per fistucas solo infixis constituitur, atque inde murus ex saxo quadrato aut coctili utrimque superimponitur: interius solum ex tabulato asserum magnarumque trabium solidissimè stratum, undam nusquam admittit; valvasque habent bifores, quæ una tantum parte, mare nimirum Austrinum versus, pandunt. Cum enim undarum vis maxima ab Austrino Yæ sinu ingruat, valvæ eædem quam primum forinsecus æstus intumescat, sponte concidunt clauduntur que; ut ita declivia illa, quæ sunt intra aggerem, prata, ab impetu undarum conserventur: Vbi verò nimio humore hibernisque pluvijs eadem arva internique lacus humectati sunt, spirante, sub vernum tempus, Australi vento defluere aquæ lacusque incipiunt, patentibusque cataractarum valvis in Yam cum impetu devolvuntur, & agros humore totos innatantes paulatim exhauriunt usuique idoneos reddunt. Adeò ut unæ eædemque cataractæ & EXONERANDI & COERCENDI vim habeant. Hæ novæ fornicibus, ut reliquæ, de quibus superius, dictum, tectæ non sunt, sed pensiles pontes habent: quibus subductis, etiam grandioribus & onerarijs navibus erecto malo transitus patet. Estque singulis constitutus unus aliquis, qui, observato æstus tępore, prout ratio postulaverit aperiendis claudendisque foribus pontique subducendo curam gerit. PLATEÆ etiam quæ noviter accesserunt ad normam priorum continuo ductu diriguntur: Et est inter ceteras ampla spatiosaque, quæ & ideò lata nominata à porta Antoniana veteri ad novam recta ducit. Ceteræ ut vitulina, & agger novus simili se modo habent, præterquam Burchvalli, qui amnibus ex Amstela se spargentibus interluuntur, visunturque amœnis passim arbusculis ad oram amnium concinno ordine interstincti, magnamq; adferentes transeuntibus voluptatem. PONTES sunt, ut plurimum, ex ligno, sed ita fabrefacti ut solidum opus dicas: fornicibus ac magnitudine visenda sunt, præsertim, qui Amstelam & Dameracum pertranseunt. Nam & onerariæ facillime suffluunt. PORTÆ præcipuæ sunt Antoniana, Regularis & Haerlemensis: intermediæ viæ sacræ; & Iohannis Romij:


Vrbis circuitus. *Cataractæ.* *Plateæ.* *Pontes.* *Portæ ireq; de Boomen*

Versus




AMSTELODAMUM
In quo ædes sacræ, Curia, Hospitalia, cum vicis & Burchvallis amniumque interfluentũ alveis, accuratè omnia deli: neantur, additis extensionis novæ limi: tibus.

De Wetering
Middel pad
Het Wandel pad
S. Jacobs pad
S. Pieters pad
Bennings pad
Walen pad
Den Heylighen weg
Reguliers hof
Reguliers - Poorte
Den Amstel fluvius
S. Anthonis dijck
Houttuynen
N. Hoogstraet
Breede straet
Koningstraat
Rapenburg
De Wael
YE



t'Mols pad

t'Brabands pad

Het nieuwe raem pad

Tobias pad

Appelmans pad

Margriete pad

Caetsbaens pad

Ian hansen pad

Schouten pad

Weesen pad

Pottebackers pad

P. Lempen pad

Pannebackers pad

Pannebackers pad

Corteins pad

Lynbaen

Lynsbaen pad

Nieuwen Laken pad

Cruys pad

Tuyn pad

Spaensch Leger

Cartusers

Cartusers hof

Haerlemmer dijck

Haerlemmer poort

Haerlemmer strat

Cingel

Den Dam

Den

FLUVIUS



Fol. 228
S. P. Q. AMST.
IN PUBLICUM NEGOTIANTIUM
CUIUSCUNQ. NATIONIS AC LINGVÆ
USUM URBISQ. ADEO SUÆ ORNAMĒTŪ
ANNO CIↃ.IↃCVIII
A SOLO EXTRUI CURAVIT.
BURSA

STEROD.

Quicquid habet Ganges, & dives America quicquid
Quas & opes mittunt Arabes Indi, Africa Seres
Per maria et terras ad publica commoda gnavus
Destinat huc mercator: Iber, Schyta, Gallus et Angl.
Cuncti adsunt, totumq; tenet parva area mundũ.



Versus Yæ fluentum, ubi totum id urbis latus duplici palorum ordine, valli in modum munitum esse, superius memoratum est, plures ingressus navibus ac cymbis patent; quamvis grandioribus navigijs, & quæ se erectis ac stantibus malis intra palorum hoc septum inferre laborant, certis tantum locis ingredi fas sit, tigno trabali aut ferreo fune per transversum palis superne imposito, reliqui aditus ita intercludantur, ut cymbæ tantum & lintres grandiores, aliaque navigia, depositis malis, admittant. Hos omnes ingressus vulgo *De Boomen*, ab ipsa re, quod trabibus seu tignis aquis innatantibus obsepiantur, vocitare mos obtinuit.

Sequitur BVRSA novitium opus, mole & structura nulli totius Europæ concedens. *Bursa.* Nam prǽterquam quod è marmoreis substructum columnis circiter 40. constet, ex ipso quinetiam Amstelæ paludoso fundo eductum, fornicem in meditullio ostentat, per quē navigia, demissis malis, ex Amstela in Yam, & ex Ya vicissim in Amstelam subeunt. Solum, in quo fundamenta locata sunt, sublicium totum est ex palis teretibus quinquagenum aut sexagenum pedum longitudine, per fistucas, exsiccato prius ea parte per aquarias molettinas Amstelǽ alveo, telluri firmissimè impactis, quomodo jam ante eum apud Amstelodamenses extruendi ædes modum & rationem luculenter commonstravimus: Vt mirari iam illa veterum stupenda opera minus habeamus, qui Ephesiæ Dianæ templum ducentis viginti annis à tota Asia in solo palustri factum memorant, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret: Et quo minus in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis ponerentur, addunt calcatis ea substrata fuisse carbonibus, dein lanæ velleribus; fundamento, si cum isto nostratium contendatur, ut artificij atque industriæ minoris, ita firmitatis denique haud æquè duraturæ. Sed de fundamento satis. Longitudo porrò in universum est pedum CC; Latitudo C & XXIV. Officinæ inferiores, quà plateas & Amstelam exterius spectat, viginti & sex numeratæ; præter eas, quæ in operis superiori concameratione adornatæ stationes, quarum numerus centenarium excedat facile. Exstrui cæpta anno 1608 Maij 28, primum fundamenti lapidem ponente Cornelij Petræi Hoofftij, primi tum Consulis, filio natu minimo: Ad umbilicum, & eum, quo nunc conspicitur, modum deductum anno, dum hæc commentaremur, CIↃ IↃ CXI. Nomen & usurpatio vocis à Brugēsibus, ut memorant ortum, quod apud eos, dum res & negotiatio adhuc florerent forum esset; in quod mercatores sub meridiem vesperamque convenirent, Bursæ vocabulo ab ædibus eodem loci splendidis derivato. Nam ædes illæ marsupia seu bursas tres in insignibus & supra fores ostentabant: quamvis alias, si ipsam vocis originem inspiciamus, à Græcorum idiomate fluxisse constat, apud quos Byrsa corium vocatur, unde & arcem Carthaginis nominatam existimant plurimi. Et Suidas inter adagia retulit, ἐπὶ βύρσης ἐκαθέζετο. Apud Romanos Bursæ hodiernæ usum Iani prǽstitisse videntur: Vnde & docti nonnulli seculo nostro Bursas Iani medium appellare non veriti. Sanè Ammiani hinc locus non abludat, apud quem legas *Per Ianos & fora clamitant, Rempublicam stare non posse &c.* Et illud Ovidij: *Qui puteal Ianumque timet celeresque calendas.* Fuisse & Basilicas appellatas veteribus, sed laxiore significatu, ex Vitruvio colligas, ubi ait: *Debent Basilicæ adiunctæ esse foro: & quam calidissimis partibus, ut per hiemem sine molestia tempestatum possent se in eas negotiatiores conferre.* Nam & iudicia in ijsdem peragi solita indicat, præter cæteros Quintilianus: in porticibus interim, quæ hinc atque illinc additǽ eis quam magnificentissimè erant, ambulacra subselliaque fuisse non est absimile vero. Quatuor eiusmodi Romæ exstitisse legimus, *Portiam*, quam Cato Censorius magna mole construxit: *Opimam* in quam senaculum erat, quod in ea seniores assiderent: *Pauli*, quæ 1000 & 500 talentis taxata, mox Fulviæ consecrata fuit, quam columnis è Phrygibus, mirabilem inter magnifica locat Plinius, Natural. Histor. lib. 36. cap 15. Et Statius Papinius ad nomen alludens REGIAM eleganter dixit, ubi in primo Silvarum ait: *illinc belligeri sublimis Regia Pauli.* Et ultimam denique *Iuliam*, centumviralibus causis dicatam; cuius construendæ tradit in quinto Vitruvius se præfuisse: & in Epistolis Secundus hunc in modum meminit: *Descenderam in Basilicam Iuliam, auditurus; quibus proxima comperendinatione respondere debeam.* Prostremo & focis veterum, quid Bursæ nostræ commune aut simile olim habuerint, superius adducto Vitruvij quoque testimonio, obiter memoratum est.

Supra lib. 1 cap. 5.

Plinius lib. 36 cap. 14.

Alterum novitium opus, quod è solo similiter extrui S. P. Q. Amstelodamensis curavit, Templum est, quod secundum aggerem Antonianum, vel ut nunc appellant, pla-

team latam exædificatum, nomen *Zuyder Kercke* à positu accepit, quod nimirum non ita ortum aut occasum, ut reliqua, sed in Austrum eâ parte, qua turris posita, spectet. Exornatur elegantissimis & arte haud vulgari elaboratis fenestris vitreis, & pavimento, quod uno tenore ac simili sibi per omnia lapide (sarcophagos appellant) cõstratum est: Vnde & plurimum reliquæ totius operis symmetriæ decoris ac venustatis accedit.

De Zuyder Kercke.

De BIBLIOTHECA superioris dicere, ubi de novi lateris cathedrali æde loqueremur, dilatum in hunc locum est, vel eam ob causam, quod Bibliotheca, quæ ei jam olim addita fuerit, in eum nunc modum exornata, eoque librorum omne genus præstantissimorum censu aucta excultaque sit, ut novum planè opus novusque apparatus iure habeatur. Additam ædi sive Templo dixi, ut vetus institutum ac mos notaretur sacra illa ingeniorum opera in locis sacratis collocandi. Nam & antiquitus iuxta templa aut in illis Bibliothecæ fere semper fuisse reperiuntur. Sic illa apud Ægyptios Alexandrina, cui Philadelphus primus & præcipuus autor, in Serapeo fuit: & illam apud Romanos, quæ Tiburtinæ nomen habuit, in Herculis templo instructam ait A. Gellius: uti & Vespasiani Augusti in Pacis templo; & ipsius Octaviani Augusti Græca Latinaque Bibliotheca in æde Apollinis consecrata stetit. Quin & publicæ hæ erant Bibliothecæ: eamque cogitationem & curam, inter Romanos præcipuè Lucullus, Plutarcho teste, agitasse memoratur, qui multos & eleganter scriptos codices ut conquisierat, ita etiam liberaliter utendos dedit. Et addit idem Plutarchus patuisse omnibus eius Bibliothecas, & in porticus atque exedras Græcos præsertim homines receptos: qui velut ad Musarum ædem eò ventitarent, tempusque inter se iucundè traducerent: Et aliquando etiam ipsum Lucullum cum ijs versatum & Philologis se immiscuisse. Sed ut ille cæpisse, & pro parte publicas fecisse memoratur, ità Iulium Cæsarem ait Suetonius destinasse Bibliothecas Græcas Latinasque quam maximas posset, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac dirigendarum: at morte præventum haud perfecisse, sed Asinium mox Pollionem, incitante Augusto, primum in universum Romæ publicasse Bibliothecas. Quem deinceps morem laudatissimum, quasi per manus traditum, etiam hodie quam plurimæ gẽtium frequentant, & inter ceteras etiam nostrates & ipsi de quibus agimus, Amstelodamenses, præter alia urbis Ornamenta Bibliothecam hanc omnium usui dicando multisque præclaris indies voluminibus locupletando, ingenia hominum quasi rem publicam fecerunt. Nec interim promiscuè omnibus accessus ad eam patet, sed si qui sacrarum præsertim & meliorum literarum mystę sint, claves conceduntur ab ijs, qui rei huic & ædi toti curant. Quo etiam spectat epigramma interioribus foribus additum eiusmodi:

Bibliotheca.

Quisquis hic intras literas doctus bonas,
Tumultuosâ ne move claustrum manu,
Nec turbulento fac solœcismum pede;
Musæ hîc quiescunt. Deinde si quem repperis
Intus sedentem, fronte salvere hunc jube
Nutuque muto, fabulas ne cogita;
Hic occupatos alloquuntur mortui.
Mox assideto lectitator ad librum,
A quo magis surgas probior, quam doctior.
Doctrina multis digna res est laudibus.
Nescit Latinè quisquis hic nuces edit.
Nescit Latinè quisquis hic agit nihil.
Miraris autem cur catenellæ libros
Ligent, locis ultro quasi haud aptos suis?
Rem verbulo disce. Illud est, fur ne domum
Exportet, aut in auctionem perfidus.
Probi videntur sæpe, qui sunt improbi.
Quem volvis, illum codicem haud corrumpe, nec
Grassare penna, paginas contaminans.
Hæc, qui malus non audit, exesto procul.

Et ut isti ędi Bibliotheca, præter cætera, decus & ornatum conciliat; ita cathedrali antiqui lateris templo (de cuius structura supra dictum) jam nuper Iacobi Heemskerkio fortissimo, & belli ac famæ, gloriâ celebratissimo duci Epitaphium ac Monumen

numentum ab ipsis Patriæ Ordinibus positum commendationem haud levem addit, dum transeuntium festinationem morando non oculos modò, sed & mentem eorum tenet, fortia viri facta brevi tabellâ mirantium. Nam ut cetera clarissimi ducis gesta, quæ suo loco narrata sunt, hic præteream, quid hac postrema ad Gibaltarram in freto Tartessiaco navali pugna memorabilius. Convenerant jam Patriæ proceres ad petitionem Archiducis, ut de pace aut inducijs ageretur, cum, emissa paulo ante hoc duce triginta maiorum minorumque navium classe, quasi nervos rerum gerendarum, id est thesauros ab Indis Occiduis, quantum poterat præcidere Regi laborabant. Et licet multum pro ea revocanda satageret, cuius supra meminimus, Iohannes Neius, tamen ità volentibus fatis, nec satis adhuc negotio intentis Ordinibus, destinata perfecit Heemskerkius. Nam classem Hispanicam maximarum navium 23 prçter alias negotiatorum, quas prædæ sibi adiunxerat cum in anchoris ad Gibaltarram stare animadvertisset, tormentis, militibus omnique munitione formidabilem, huc continuo cursum direxit: Et mox appropinquans, sub ipso civitatis propugnaculo classis ducem hærentem vidit, cum quatuor insuper majoribus navigijs; & Vice-admiralium stationem cum suis in proximo servantem. Heemskerkius nihilominus, habita cum centurionibus deliberatione, in hanc sententiam concessit, ut ipse cum Lamberto, cui pulchro cognomentum erat, Admiralium Hispanicum: Laurentius vero Alteras Zelandus, Vice-admiralius, cum sibi adiuncto Brasio Vice-admiralium oppugnatum pergerent: Et sic consequenter singulas bini adorirentur. Quibus constitutis tormentorum Præfecto ne displosionem, priusquam classi proxime adhæreret, ullam faceret; Proretæ itidem, ne antequam Admiralij lateri latus applicuisset anchoras in fundum mitteret: & gubernatori, ut ad clavum ipsemet sederet, imperavit, centum denique Philippeos promittens, qui aplustre Admiralio Hispanico ablaturus esset. Atque inde, implorato cælitus auxilio, cum in fidei constantiæque signum vini haustulum sibi invicem pro more miles propinasset, plenis in classem Hispanicā velis delati sunt. Heemskerkius, prævecto, qui anterior erat Hispanico Vice-admiralio, ipsum Admiralium, cui Iohannes Alvares Davila nomen erat, omnium primò aggressus est. Instructus is erat præter classiarios quingentis circiter præsidiarijs militibus, & præter 21 tormenta ænea, nō parum à propugnaculi, sub quo stationem sibi elegerat, grandioribus machinis solatij expectabat. Vnde & nostros ex alto quasi despiciens ridere conatus & tenuem eorum apparatum videbatur. Verumenimvero, ut fastus & animi typhus ruinæ prænuncij esse solet, ita paulatim, pugna per tres & ultra horas continuata despondere animum deprehensus est. Nam anchoralibus dissectis fuga sibi consulere parantem, nostri tormentis & sclopis prosecuti, vexillum candidum, quod pacis indicium est, explicare ac deditionem tandem facere coegerunt, cum prius vexillum ex classiarijs unus posthabito omni periculo jam ante abduxisset, cui & pretium, quod pactum diximus, Philippeorum centum mox adnumeratum est. Interim qui Vice-admiralium adorti fuerant, eum frequēti tormentorum sclopor umque exoneratione similiter expugnarunt. Ipsamque navem cum ignis in totum corripuisset, factum est, ut nostris periculo se ægrè subtrahentibus, tota perierit, classiarijs militibusque partim igne absumtis, partim aqua submersis, & à nostris contrucidatis reliquis. Multi Hispanorum alij elevatis anchoris in brevia delati triremes & naves suas, igne prius in eas iniecto, deseruerunt. Vnus verò, ut Vice-admiralium incolumi & pugnante tum adhuc Admiralio, perijsse vidit, aplustre statim, eius vice, explicans, pro novo se Vice-admiralio gerere cæpit. Verum cum & ipse incendio mox corriperetur, Hispanique magno impetu in mare desilirent, continuo classiarij nostri aplustre illud abstulêre. Die sequenti, qui 26 Aprilis erat, deprehensum est, quanta strages facta fuisset, quantumque ex ea pugna ad Hispanos damni pervenisset. Nam de viginti & una navibus, in brevia duæ delatæ una cum navi quadam Gallica & Hollādicis duabus alijsque quas in mari captas milite compleverant; Quarum vix ulla ex arenis liberari posse videbatur. Quin & admiralij corbitâ, quæ multis modis perforata ac distracta haud procul à littore stabat, à scapha nostratium armatis aliquot munita, iterum impetitâ, quiquid adhuc armorum armamentorumq; supererat auferre classiarius instituit. Quod animadvertentes Hispani ignem ipsimet in eam cōtorferunt, explosis simul in nostros de propugnaculo, sed frustra, tormentis quam plurimis. Cognitum compertumque est referentibus ipsis Hispanis, quorum quinquaginta in nostrorum potestatem una cum Admiralij filio vivi pervenerant, cognitum inquam compertumq; est, quatuor armatorum millia & amplius in ea classe fuisse, quorum maxima pars una cum

Lib. 1 c. 8.

Heemskerkij Epitaphium in Templo veteri.

Admiralio, Vice-admiralio, pręcipuisque Præfectis & milite quodam veterano, qui expeditioni Iohannis de Austria interfuerat, perierit ipsis prætorijs navibus aut subversis aut funditus deletis propemodum omnibus. A parte nostratium centum plus minus, & cum illis Heemskerkius ipsemet, ceciderant: cui in ipso conflictus initio crus sinistrum cum femore abreptum est, ut prostratus animam statim exhalarit. Interitus eius tametsi luctuosus ac dolendus omnibus esset, effecit tamen apud Præfectos reliquos, ut eo maiori cum alacritate atque animi robore Hispanos aggressi victoriam tandem obtinuerint: Quæ sanè, uti & priores navales aliæ bello per tot annos gesto præcipui sæpenumero successus causa fuerunt, ita ultima armorum etiam finis fuit. Epitaphium, quod eius memoriæ consecratum Visendoque loco in templi postico à Patriæ proceribus poni curatum indicavimus, hic etiam, ut non ibi solum legeretur, subijci fecimus.

50.

Vitriaria Domus. Inter novitia porrò urbis opera atque ornamenta nequaquam etiam prætermittenda VITRIARIA DOMVS, vulgo, *Het Glas-huys*, nuncupata, è regione Horti Colubrini. Habet hæc fornaces & officinas aliquot, in quibus artificum assiduis operis vasa elegantissima, & quorum maximus honos est, crystalli quam proxima similitudine, in varias infinitasq; species figurantur: tamque miro atque exquisito ingenio fiunt, ut Venetis illis, quæ præcipue hactenus celebrata sunt, elegantia atque artificio nequaquam cedant. Nec desunt artifices, qui ad materiæ pretium nova indies ornamenta novasque figurandi rationes excogitant præside & hero ædium Iohanne Henrico Sopio indigena ac cive urbis, viro spectato. Fiunt & specula; cuius artificij præcipuè Sidonenses celebravit olim his verbis Plinius: *Et aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo celatur, Sidone quondam ijs officinis nobili: siquidem etiam specula excogitaverat.* De origine autem vitri quia eleganter idem Plinius scribit, eius ideo verba ponam, quæ sunt: *Pars est Syriæ, quæ Phœnice vocatur, finitima Iudææ, intra montis Carmeli radicem paludem habens, quæ vocatur Candevia. Ex ea creditur nasci Belus amnis quinque M. P. spatio in mare perfluens, iuxta Ptolemaidem coloniam. Lentus hic currit, insalubri potu, sed ceremonijs sacer, limosus, vado profundus. Non nisi refuso mari harenas fatetur. Fluctibus enim volutatæ nitescunt, detritis sordibus. Quingentorum est passuum non amplius littoris spacium, idque tantum multa*

per

per secula gignendo fuit vitro. Fama est appulsa nave mercatorum nitri, cum sparsi per littus epulas pararent, nec esset cortinis attollendis lapidum occasio, glebas nitri è navi subdidisse, quibus accensis, permista harena littoris, translucentes nobilis liquoris fluxisse rivos. Et hanc fuisse originem vitri. Nec absimilia sunt, quæ de eodem amne Iosephus adfert, *stadijs inquiens duobus à Ptolemaide Belus amnis distat, iuxta quem sepulchrum Memnonis est, & vitrea in rotunda valle arena, quam venti ex circumiectis jugis convehunt inexhausta seculis vi, sed ante omnia mirabili natura, mutandi alia quoque in vitrum, quæ attigerit, metalla.* Vnde naturam ostendisse artem, sed ingenio tandem auctam ac perfectam liquet: meritòque mirandum nihil pæne non igne perfici. Ignis ecce arenam, herbam, pulverem accipit, ex quibus vitrum funditur. Ignis minium, argentum, plumbum conficit. Igne ex limo lapides fiunt; ferrum domatur eodem & gignitur. Et denique, quod ad præsentem locum spectat; est & alia Vulcani ac ignis in proximo ad urbis vallum à parte lateris novi instituta quoque nuper officina, in qua eiusdem elementi beneficio tormenta ænea grandiora magna arte formantur. Quo novitio invento post hominum memoriam nihil ab humano ingenio terribilius excogitari potuit. Et ne omnia Græciæ tribuamus, huius primum autorem fuisse tradunt, abhinc annis plusquam ducentis, Germanum hominem, cui id casu in mentem venerit. Fertur enim idem, exitio multorum natus, servasse aliquando in mortario pulverem sulphureum, cuiusdam medicinæ faciendæ causa, illudque texisse lapide, ac inde contigisse, ut dum ignem ex silice prope excuteret, scintilla intro ceciderit, subitoque flamma cum impetu eruperit, ac lapidem in altum tulerit: & ille eius rei casu doctus, postea facta ferrea fistula, pulvere immisso, machinam reperisse, ac eius usum Venetis in illo bello primum ostendisse, quod ad fossam Clodiam est cum Genuensibus gestum, qui fuit annus salutis humanæ M CCC LXXX. Alij monachum hunc Germanum fuisse, & Chimiæ deditum tradunt; adeoque & vitrificatoriam & hanc ex Chimia artem prodijsse. Quamvis jam nuper longinquis nostrarum aliorumque navigationibus cum admiratione cognovimus, non eænea tantum tormenta conflandi, sed & literas imaginesque, subiectis prælo typis, excudendi artificium vetustissimo jam olim apud Chinenses usu obtinuisse.

Lib 2. de bell. Iud.

Tormentorum æneorum officina.

Et ut finem institutæ narrationi faciamus, admonent quæ circa ignem ingenia atque opera urbanorum recitavimus, ut de aqua quoque & lacu Baemestræ exsiccando arduus ille, & planè regius nonnullorum civium conatus silentio haud omittatur. Est Bamestra ex adverso urbis in Vaterlandia trans Yam iuxta Purmerendam collocatus, longitudinem, ut eam olim Haemrodius definiuit, quinq; M. P; latitudinem mille quingentorum; & pedum denique quinque aut sex profunditatem habens. Hodieque octo horarum circuitum, qui undecim aut duodecim populosis ac florentibus vicis habitatur, complecti memorant. Legitimi quondam fluminis cognomento honoratum apud Egmondensis Monasterij archiva repperisse se attestatur in Annalibus suis noblissimus & accuratissimus Dousa Nordovix pater. Hunc lacum, exstructis circumquaq; molendinis plurimis, additisque cataractis & operariorum populo exhaurire, & solum, quod esse limosum deprehenditur, sationi atque hominum cultui idoneum reddere inenarrabili impendio jam ante triennium ijdem, quos dixi, aggressi, rem, ut existimant multi, fere factam habuissent hodie, nisi inundatio, quæ exorta initio anni 1610, & aggeres & cataractas ingenti, & maximis mox sumptibus de novo reparari cœpto, detrimento perrupisset. Nam auri non unam tonnam impensam iam tum fuisse certò perhibent. Adeò ut Claudij Romanorum Principis emissarium Fucini lacus, quod inter maximè eius operum memoranda recenset Plinius, si cum isto contendat quispiam, nescio quodnam aut operosius aut memorabilius habendum. Fucinum enim ille aggressus, non minus compendij spe, quam gloriæ, cum quidam privato sumptu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur: Et aggressus est partim effosso monte, partim exciso; cum aut corrivatio aquarum, quà terrenus mons erat, egereretur in vertice machinis; aut, ubi lapideus erat, silex cæderetur; ut ita canalem absolverit post undecim annos, continuis triginta hominum millibus sine intermissione operātibus. Vbi sanè, quemadmodum operarum multitudo & temporis spatium magnum operi momentum & admirationem adferunt; ita vicissim loci in sublimi ac solido situs & ratio modo sumptus atque operarum assiduitas non desint, rem factu possibilem ostendunt, minuuntque admirationem. At hoc in opere non tantum operantium assiduitas & sumptus spectantur, sed ingenium & artificium in aggerum molibus iaciendis, cataractis & machinis collocandis, atque aqua corrivanda; cum undiquaque eadem sit non modo planities, sed ingentes lacus alij, aggeribus tantum

Bamestræ exsiccandi conatus.

lib. 6. Annal. Hollādiæ.

Plin. lib. 36. cap. it. Sueton. in Claudio.

tantum ab invicem ſecluſi; ut omittam cæli, hiemali præſertim die imbres & in proximo maris inundationes; adverſus quæ omnia opus muniri,& ingenio atque arte ſingulari,dum æſtas præcipuè anni durat promoveri aſsidue neceſſum fuerit: niſi aqua indies alias renaſcentem perpetuo haurire,& ſaxum,quod dicitur,volvere voluerint. Pærcipui & primi autores,quibus Ordinum Hollandiæ & Veſtfriſiæ indultu conceſſum,conſtituto chomarcho, laci aggeres ac moles artificibus ac mechanicis muniendas addicere,fuere Theodorus & Henricus ab Os,Arnoldus Grotenhuſius & Iohannes Nicolaus Crocus cives urbis:ijſque mox adſociati Rembertus Hogerbetius & Iohannes à Santen Conſiliarij ſenatus Hollandici;itemque Nicolaus Cromhoutius & Iohannes Buyers Senatores provincialis Concilij; necnon Iohannes Baſuis rationum Hollandiæ Præfectus,& Bartholomeus Cromhoutius Amſtelodamenſis urbis Conſularis & Ordinum Generalium à conſilijs; Elias ab Oldenbarnevelt, Syndicus Roterodamenſis, Adrianus Tieding Berckhout Monekedamenſis Syndicus : Petrus Boom conſul Amſtelodamenſis cum Scabinis Iohanne Grotenhuſio I.V.D. & Iacobo Poppen.

Coronidis loco claudet hoc caput Rhythmus in laudem natalis oppidi, viro & cive urbis honorato H. L. Spiegelio,breviter,& obſervatis mutationum momentis idiomate vernaculo compoſitus; Spiegelio inquam qui nobis ſua lingua Lucilium aut Venuſinum, aut ſi qui alij Romanorum veterum rotundo & ſuo ore carmen dederunt, referre atque in uſum reducere ſtudio habet. Eſt autem eiuſmodi:

Het ſchiprijck Amſterdam vól nauw-behuyſde Huyſen
1585. Ghezopt/ den Amſtel damt/met ſes ghewelfde Sluyſen:
Die (als de vruchtbaar Nijl) door ſeven armen braackt
T'veen overtollich nat/en tien Eylanden maackt.
1600. Dus waſt bemuert/ doe dit gherijm wert voor ghenomen:
Sint iſſer mette wall noch vijfthien by ghecomen.
O Rijcke Korenſchuer vant volckrijck Nederland:
Met ſtrack verbanden hout / ghy hooghe huyſen ſpant:
Niet vaſt gegrond in Zand / maer op ghehayde palen:
Waar de grond om ghekeert men ſoud int Boſch verdwalen.
Soo inde dorre Herfſt een Mier-neſt woelich leeft/
(Na vochtich weer/ als d'helder Son haer ſchijnſel geeft)
D'inwoonder winſt ghewoon hier woelt / om ghelt te garen
Door Koophandels bedrijf/ doch meeſt met ruyghe waren.
De Reeder ſcha-ghetrooſt zijn laſtbaar Schepen waacht/
Na t'Yſich Noorden heen/Daart ſ'Winters niet en daaght/
En daarſe t'Heylſaam licht oock Somers nau verlieſen/
Maer knoopt daar dagh aen dagh/en doet de Zee ontvrieſen.
Y rapſe Zeeman koen die gheen tijt s'jaers en ruſt/
De meer als wel bekende Weſt en Ooſter kuſt/
Begheeft hy om na t'zuyden(de Zon verby)te zeylen/
En d'Ooſt en Weſter nieuwe werelden te peylen/
Te voeren noodruſts weeld' uyt t'een in t'ander land.
Sulck verſchepingh rijckt d'inwoonder goede hand.
Hier comen dickwil t'ſeffens ſoo veel blancke zeylen
Als daghen zijn int jaer/t'weeck grondich Y bepeylen:
Dees loſt en laatmen ſnel: die van de luwe re
Weer voor de derde weeck ghaan na de rijcke Ze.
Dit veel vertieren/doet woelich en welich leven
Al't volck/tot koopmanſchap en Zee-vaert heel beghêven.
Gheruſter leeft de Herder by zijn Vee op't veld/
En derft de buyck-quel-lecker ſpijs en t'quellick gheld.
Ontellick is de waar: wie can t'volck overhalen/
Die hier lands nootruft al/ beurtſ-wijs brenghen en halen:
Ko Boter brenght de Vries/de Noorder Boer meeſt Kaes/
De Koolnaer lecker Wijn/en haalt verſcheyden aes/
D'ondupt ſche Rus Talck/Traan/ Huyden/ Bont voor Elen:
De woeſte Noorman/Stock-viſch/ Kanthout /Maſten/Delen;
De Pruyſſer Kaerel/ Rogh/Was/ Vlas/ aſch/Teer en hout/
De Schotſe Koopman Wol/ Lood/ Vellen en Kerſeyen/
D'Enghelſman loos ſchaft bier / fijn Laken/ Tin en Bayen/
De nieuwe weereld Zout/ Hout/ Parelen/ Huyd-profijt/
Ooſt Indien Peper/ Noot en bloemen/ Naghelen/ Zijd/
De Franſman luchtich deelt ons/Zeyldoeck/Zout en Wijnen/

De ghaile

De ghaile Spaenjaert levert Oly/Zout/Rozijnen/
Wijn/Vijghen/Suycker/Kurck/Ghesteent en Specerij/
Wy gheven noppich laken/en veel kramerij/
Oock Tuyvel/ vette Haringh/Zoute Vis/fijn linnen
Van buytelands ghewas/ t'verwisselen doet winnen.
Maer die in sulck ghewoel na slechte nodruft tracht/
S'ghemoeds wellust veir' boven s'lichaems goeden acht/
En siet (self onbesien) elck over t'hooft in rusten/
Hem sal/ als elck een zorght/vaack beter dichtens lusten.

CAP. XXVIII.

Viri clari Amſtelodamenſes, iuxta annorum ſeriem poſiti.



INC ad ingenia proximus deflexus erit: Nam cum omnia diximus, ſaxa, ædificia, palatia aliaque mole & opere civiumque induſtria magnifica, peritura & tempore evaneſcentia diximus, ſi cum ingenijs, quæ ſola quaſi ęternitatem aliquam promittere videntur, conferamus. Vnde & ſeptem illę Gręciæ urbes; quarum quæque Homerum ſibi certatim vindicare laborabat, huc ſpectaſſe intelliguntur, nihil in humanis eſſe, quod cum ingenij operibus conferri mereatur, eo nimirum vivi ſolo, cetera mortis haberi: Itaque, poſthabitis etiam omnibus, quę magna aliàs putabantur, hæc inter eas ſumma lis erat, quænam earum *immortalem hanc cæleſtemque*, ita Homerum celebrat Fabius, *naturam* produxiſſet. Non ergo abs re fuerit, ſi etiam urbi noſtræ, quam prę ter cetera, ad extima uſque Mundi incolarum ſolertia celebritatem nominis commerciaq; tranſmiſiſſe oſtendimus, etiam hac parte haud minimnm lucis accipere demonſtremus. Quod dum facimus hac deprecatione uſi id facere aggrediemur, ut quod vetuſtas olim in Batavam gentem, utpote rudem & trucem & craſſæ Minervæ aliquando iecit, nihil ad poſteros pertinere, aut laudi etiam vertendum dicamus. Siquidem quæ gens non aliquando fuit rudior; cum & Pindarus olim vetus maledictum probrumque ſuæ genti, hoc eſt, Bæoticæ, quæ ſuina audiebat à ſtupore mentis, amoliri neceſſum habuerit? Et Cordubæ natos poetas pingue quiddam ſonantes cum convitio Cicero appellarit; tametſi Civitas illa clariſsimos ea in arte duos Senecas & Lucanum protulerit? Aut ſi quis ea quæ in Batavos à Martiale dicta ſunt contendit ad hanc quoque temporis rationem ſpectare, quænam maior laus Hollandis tribuetur, quam ſi dicatur à Martialis iocis abhorrere, quos etiam ipſe nequitias appellat? Sed, omiſſo Martiale, ſufficiet elogium quod eodem propemodum Martialis ævo, ſed fide maiore Tacitus dedit, qui præterquam quod omnium ciſrhenanarum nationum Germanici nominis præcipuos tum virtute fuiſſe Batavos fateatur, etiam gloriæ ſtudium eiſdem præ cæteris tribuit, cum de Gallis, Batavis, & Germanis, quaſi inter ſe ſingulos contendens, dicat à Civili Gallos pro libertate; Batavos pro gloria; Germanos ad prædam inſtigatos; gloriam ſcilicet Batavis attribuens, utpote quam laborum periculorumque mercedem generoſiores præcipuè mentes deſiderant: & cuius denique cupido *ſapientibus noviſſima exuitur*, ut habet hiſtoriarum libro quarto etiam Tacitus, ubi Helvidij priſci magni & celebris tum viri genus & ingenium ad memoriam poſterorum recitat. Et poeta quoque eodem reſpiciens, deque magnis animis verba faciens exclamat. *Tu ſola animum mentemque peruris Gloria*. Vnde & Tertullianus *Philoſophum gloriæ animal* appellavit. Adeo ut affectum hunc, qui in magnos fere & ſapientes tantum cadit, cum Batavis peculiariter tribuerit Tacitus, quis non & ipſos craſſiorum numero eximat &, ſi diſciplina acceſſerit, ad cultum etiam animi aptiſsimis inſerat? Vt ergo ad rem, id eſt ingenia claroſque viros quos ſolum Amſtelodamum produxit, accedam, tres præcipue ante Eraſmi ævum invenio; Nicolaum nimirum Amſterdam & Hervicum ac Iohannem de Amſterdamis, ut eos memoriæ veteres nominant.

NICOLAVM AMSTERDAM prodidit nobis Hiſtoria Luxenburgica Iohannis Bertelij, verbis quæ ponam, cuiuſmodi apud eum repperi. Erant enim eiuſmodi: *Hæretici cuiuſdam Ferrandi concluſiones* XXIIII *per venerabilem ſacræ Theologiæ profeſſorem, eximiam magiſtrum Gerhardum de monte primo, & deinceps poſt eius abſentiam per magiſtrum Iohannem Tinctoris omnium profeſſorum ſpeculum, reſpondente ad eas magiſtro* NICOLAO AMSTERDAM, *ſacræ Theologiæ Baccalaureo formato, in reprobum ſenſum deductæ ſunt omnes &* *Nicolaus Amſterdā.*

elisæ. Hæc Bertelius Abbas Epternacensis; qui ea recitare se ait ex scriptis Vinandi Glevelij Abbatis olim Epternacensis, qui obijt anno 1465; cum disputatio ea, ut ibidem
1446 addit, agitata sit Coloniæ anno 1446. Hervici deinde meminit Rerum expetendarum & fugiendarum fasciculus, ubi ad annum 1476 Iohannem de Vezalia, Episcoporum ac Ordinis rasi invidia, condemnatum hęreseos, & ante latam sententiam ad examen productum memoratur, cui variarum academiarum præerant Theologi, & præter ceteros,
Hervicus de Amsterdamis. inter doctores Heidelbergenses præcipuos nominatur, quem dixi Hervicus de Amsterdamis. Iohannes de Amsterdamis claruit circa ætatem Vesseli, qui obijt 1489. Nam Vesselus, ubi cum M. Engelberto Leydensi, & D. Iacobo
1489. Hoeck Decano Naeldvicensi disputationem instituisset de Purgatorio, indulgentijs, & suffragijs, Iohannes Amsterodamensis post obitum Vesseli pro defensione Vesseli,
Iohannes Amsterodamensis. quem præceptorem & magistrum suum agnoscit, epistolam ad Bernardum de Meppis procuratorem Zilæ misit, in qua de suffragijs pro vivis & mortuis secundum Vesselum prolixè disputat. Exstat hęc epistola in opusculis Vesseli à Luthero editis; Vbi & ipsius Vesseli ad Iohannem literæ amicè & familiariter scriptæ leguntur; ut constet virum, cuiusmodi id seculum ferebat, eruditum & clarum fuisse: præsertim qui tali magistro non tantum usus, sed & clarus fuisset. Vesselus enim Platonem, Aristotelem reliquosque Philosophos accurate callens, etiam Prophetarum, Apostolorum sanctorumq; Patrum monumenta diligentius, quam quisquam fere ea ætate in Europa evolverat didiceratq;: Germaniam, Galliam, Italiam, Græciam denique discendo ac docendo perlustraverat: Latinæ, Græcæ, Hæbrææ literaturæ peritiam singularem & raram sibi comparaverat. In medicis etiam supra ceteros cum saperet, Pontifici Romano ob id amatus curandæ eiusdem sanitati aliquot per annos adhibitus fuerat: Denique in omni scientiarum genere tantus erat, ut lumen Mundi eum nonnulli vocitarent. Quę viri dotes invidiam in eum, præsertim eorum, qui tunc Theologi nominabantur, commoverunt, ut hæreseos illi crimen impingeretur: sed invidiam virtus & glória superavit, quæ saturum annis ad mortem usque comitata, & mox in Patriæ Frisiæ solo è vivis sublatum ad hunc usque diem constans & incontaminata inter eruditos meritò celebrat.

Hoc maximorum virorum ęvum, aliud mox politius excepit, & ab horũ veluti lampade lumen suum accenderunt, & præsertim in studijs humanioribus Rodolphus Agricola; in Theologicis, quod ipse non diffitetur, Lutherus. Erasmus quidem Vesselum aut Agricolam ipsum non viderat, at magnæ interim felicitatis loco posuit, quod adhuc puero contigerit vel præceptore uti Agricolę discipulo, Alexandro Hegio Vestphalo, qui tum ludum celebrem Daventriæ moderabatur, vir, ut Erasmi verbis dicam, præceptoris sui simillimus, tamque inculpatæ vitæ, quam doctrinæ non trivialis. Quapropter & idem Erasmus ut grati discipuli vicibus fungeretur, Hegio se tanquã filij pietatẽ debere sæpenumero profitetur, Agricolæ verò veluti nepotis charitatẽ. Et mox ut alere solet æmulatio ingenia; & nunc invidia, nunc admiratio incitationẽ accendit: naturaq; ut ille ait, quod summo studio petitum est, adscendit in summum: difficilisque in perfecto mora est: naturaliterque quod procedere non potest, recedit, & ut primò ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur: ità ubi aut præteriri, aut æquari eos posse desperamus, studium cum spe senescit, & quod assequi non potest, sequi desinit, & velut occupatum relinquens materiam quærit novam: ità diverso genere, præter ceteros, eminere tum cæperunt, prælucente populari suo, quem dixi, Erasmo Roterodamo, qui iam tum non hominis, sed eruditionis quodammodo nomen habebatur, eminere in-
Allardus Amstelod. quam Amstelodami cæperunt Allardus, Sartorius, Crocus. Quorum Allardus Græcæ latinæque literaturæ peritissimus omnia Agricolæ opera iuvenili studio sedulus & emendavit & scholijs additis illustravit. Scripsit & epitomen in librum Rodolphi de inventione Dialectica Coloniæ primò atque inde Lutetiæ Parisiorum iteratò editam. Descripsit etiã Ecclesiastẽ iuxta omnes eiusdem Agricolæ locos. E Græcis, præter cetera, Coi Hippocratis Epistolam ad Damagetum paraphrasticè in latinum transtulit, adiuncto textu Græcanico; necnon Mathei Philadelphensis precationes compendiarias Salingnaci pub icatas, ut omittam Marbodæi de Gemmis librum quem commentariolo exornavit. Sub extremum ad sacra studia & scripturam divinam totum animum appulerat. Testatur id vel parænesis eius de Eleemosyna, in qua, non inutili opusculo, quamvis iniquior Luthero sit, tamen declarat Diaconos olim dispensationem thesauri Ecclesiastici habuisse curamque præcipuè egisse pauperum, subijcitque huiusmodi votum: *Vtinam tales diaconos hodie haberet Ecclesia, quibus sanctam istam provinciam demandaret.* Bre-

vites

viter, reos facit sacrilegij Episcopos omnesque clericos, qui res Ecclesiæ & egenorum in suum & suorum commodum totas transmittant, cum ex ijs decerpere illis tantum fas esset, quantum necessitas postularet. Erat Allardus natura surdaster, sed lingua volubili, unde vulgo adolescens adhuc *dove Elle* apud cōturbernales familiari dicterio audiebat. Quò & Erasmus, ut erat ingenio urbano & dicax, respexisse videtur, ubi, inter alia, Allardum ait, quod auribus diminutum esset, lingua pensare. Obijt anno 1544. Effigies eius subscriptum hoc distichon habet.

Si logica laus est præcellere in arte, Rodolphum
Par laus Agricolam debita, meque manet.

Allardum ætate iunior SARTORIUS excepit, magna similiter eruditi ingenij laude clarus. Et ut Allardus Rodolphi, sic ille magni Erasmi vestigia premens florente adhuc ævo chiliadas adagiorum aliquot Belgicè reddidit. Quo in opere certasse mihi cum Græcia & Latio toto videtur, ita paribus proverbiorum Belgicorum formulis, & pari propemodum venere atque elegantia, omnia expresit. Adeò ut etiam doctissimus ille Nannius Almerianus haud satis mirari potuerit, quomodo ille duabus copiosissimis & instructissimis linguis vernacula sua opposuerit, & ex lingua inope & nullis omnino literis instructa id depromserit, quod Græcorum Romanorumque delicijs paria faciat. Nam sanè, si quæ sunt quæ translationem abhorreant, & patriam suam mutare nolint, id imprimis adagia censeas. Gemmæ sunt in sua lingua, in alias translatæ, quasi aceto maceratæ in humorem, omni splendore omisso, liquescunt, ut eo maior laus Sartorij nostri sit, qui in suo nihilominus, ut dixi, idiomate invenit, quod indolem earum sententiarum repræsentet. Lusit in hoc opusculum epigrammate olim Cornelius Musius Delphensis, quod autoris ergò adscribi meretur. *Iohannes Sartorius.*

Multa quidem magnis proverbia scripsit Erasmus,
Quo non utilius condidit alter opus.
Si tamen in Batavam voluisset vertere linguam
Fructus haud dubis plus pariturus erat.
Quod tibi cum pulchre præstet Sartorius, usum
Rare Teutonicum dexteritate docens.
Illi quid debes, quid & huic æquissime lector
Expende, & laudem divide cuique suam.

Præter Latinas Græcasque literas, etiam Hebræas, quod illa tempestate rarum habebatur, accuratissimè calluit: Earumque publicum auditorium, favente senatu Amstelodami in Libræ veteris tabulato aperuisse aliquando memoratur, uti mihi Iohannes Semius & Iacobus Gisberti cives & inquilini urbis ingenijque atque eruditionis Sartorianæ cultores maximi, qui id à maioribus acceperant, cum fide, retulerunt. Sartorius ergo his subsidijs luculenter instructus, jam maturior ævo totum se ad sacrarum literarū enarrationem contulit: Editq; Basileæ anno 1558 Iohannes Oporinus eius in omnes Prophetas maiores & minores paraphrasin omnium calculis eruditissimā: sed tecto nomine, quod inversis characteribus, sub Iohannis Tosarrij Aqui Lovicani vocabulo, publicari permiserat, ut invidiam ævi vir pacis & quietis amantissimus effugeret. Priorē harum paraphrasium partem dedicat clarissimis inque Deo renatis universę Germanię Theologis omnibus: alterum volumen, quod minores prophetas continet, Tranquillo Dietrich in Oryssopolitanorum Republica Senatorio viro inscripsit, ficto similiter, ut existimo, titulo. In Præfatione prioris voluminis de statu Ecclesiæ sui tēporis hanc inter alia querimoniam hisque verbis instituit: *O duram & verè lamentabilem Ecclesiæ nostræ conditionem! Sed digni sumus hisce tam palpabilibus tenebris. Somnia enim malumus, quam verbum efficax Dei: hypocrisin quā veritatem; umbras quam lucem; mammona quam Christum. Quid enim? An non & hodie eiusmodi ecclesia toti fere orbi plausibilior & magis heroica videtur, quæ superficiali religione coruscat; hoc est, in qua summus sacerdos hiacyntho, purpura & bysso insignitus sacrificat, & alia singulatim omnia Aaronicè celebrantur; quam viva, vera, spiritualis & energetica, quæ nudo Christi verbo cōstat; In hac tamen medulla religionis est & verum paracleti gymnasium, in quo Sathanica omnia dedocētur & docētur divina, iuxta vivum & efficax verbum Dei. In hoc enim gymnasio vere reges efficimur, & sacerdotes, sed Christi. Uncti enim unctione, quæ docet omnem veritatē, offerimus nosmet ipsos Domino in hostiam vivam & sanctam dicentes cum Paulo: vivo ego, non iam ego, sed vivit in me Christus.* Sub exitum ætatis animi quadam ægritudine tactus Nordvici ultimum vitæ diem clausit. Parentasse sibi ante obitum ipsummet, aut ipsius nomine, post obitum amicos, eiusmodi versibus invenio:

Hac ego sum tumulatus humo Sartorius, ortum
Cui primum tellus Amsterodama dedit.
Ingenium colui variè docuique iuventam
Omnigenas artes, quippe triglottos eram.
Sed postquam virtus duris exercita fatis
Destituit corpus, spiritus astra tenet.

Cornelius Grocus

Eius synchronos & popularis CORNELIVS CROCVS Latinè similiter & Græcè cum esset doctissimus, & in poesi quoque haud infeliciter versatus publico gymnasio in oppido natali moderando præfectus est; multique ex eius ludo quasi ex equo Troiano literati prodierunt. Nec privatim modò atque intra parietes Patriæ & iuventuti operam dedit, sed & publicis monumentis eruditionem testatus pueritiæ formandæ libellos primum aliquot evulgavit, in quibus omne Terentij myrothecium Ciceronisque arculas consumere adnixus est. Et mox ad maiora provectus multa è Græcis transtulit. Inter poemata præcipuè Comædia eius celebratur, cui titulus Ioseph; itemque Ecclesia. Emisit quoque post tumultus Anabaptisticos libellum, quo haud evanidis aut plumbeis argumentis, sed solidis ac perspicuis scripturarum testimonijs anabaptismum refutare aggreditur. In Sartorium civem suum acriuscule invectus de Fide & Operibus prolixam diatribam instituit. Censuerat enim Augustini & Pauli sententiæ inhęrendum Sartorius, qua sola fide iustificari ac servari hominem asseritur. Hanc convellere Crocus, & D. Iacobi de fide & operibus sententiam rigidè tueri atque alijs novi instrumenti testimonijs roborare pluribus conatus est. Sartorius econtra distinctionem adhibendam, & animum eiusmodi adferendum defendit, qui atra & candida posit internoscere. At mordicus opinionem suam retinens Crocus acribus tandem verbis scriptitationi ad Sartorium finem imponens æternum illi vale, nisi resipisceret, nunciavit, ut ita & locis & animis inter se disiuncti postmodum vitam uterque transmiserit. Crocus quidem sub annum 1540, cum instituta primum esset, Ignatio Loiola præside, Iesuitarum societas, Romam magnis itineribus contendit, & se ei collegio adscribi curavit. Quod & Iunium nostrum innuisse puto cum Bellerophonteum quid afflatum homini dicat. Nam animi illo morbo, quo etiam aspectus humanus homini invisus redditur, laborasse Bellerophontem ferunt. Quem etiam mentis affectum Ausonius Paulino tribuit, cum ex urbe in agrum secesisset. Sed purgat se Paulinus in sua ad Ausonium Epistola, cum inquit: *Non anxia Bellerophontis est mens*. Quò spectat & illud Rutilij de Monachis:

Processu pelagi jam se Capraria tollit.
Squallet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt:
Quod soli nullo vivere teste volunt.
Sic nimia bilis morbum assignavit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus.
Nam iuveni offenso sævi post fata doloris
Dicitur humanum displicuisse genus.

Vide P. Ribadaneira Catal.

Sunt qui iuvenilibus annis extinctum Crocum referant; quamvis Iesuitæ, quibus potior hac parte fides, in eo, quod dixi, collegio Romæ iam grandęvum excesisse memorent. Non minima Romam veniendi causa fuit, & veluti primas ad multorum amicitia fores Croco aperuit GISBERTVS HORSTIVS clarus tum ibi Medicus, Amstelodamo itidem oriundus. Quapropter & ille, cum hoc, tum famę & eruditionis aspectu, meretur ut in hunc quoque censum veniat. Meminit eius, præter cæteros, cum Gesnerus tum & Botamici, qui libellum eius de turpeto & thapsia sæpissimè in testimonium citant. Gesnerus in libris de Animalibus statim sub initium catalogum quasi aut indicem texens clarorum virorum à quibus adiutus fuit, ita inter cetera habet: *Cornelius Sittardus felicis memoriæ Norimbergæ Medicus, quæ contulit omnia, à Gisberto Horstio Medico, Romæ nuper defuncto, accepisse se confessus in illum potius quam in sese omnem honoris gratiam conferri voluit.* Et nisi me fallant omnia hunc eundem Gisbertum autumo, quem nominat in Harlemo Guicciardinus, sed immutato paululum Gisberti vocabulo. Ait enim Cornelium quendam Amstelodamensem anno 1531 M. Gisberto Philosopho & Medico tum Romæ agenti de monstro quodam marino Episcopi speciem referēte, cuius etiam Hollandiæ

Gisbertus Horstius Amstel.

landiæ chronicon meminerit, perscripsisse, quod tunc captum in sinu maris Scandinaviæ Regi Poloniæ oblatum fuerit. Sed halucinari in ea narranda historia ac res cum rebus confundere Guicciardinum bifariam animadverto. Et primo quidem dum dicit Hollandiæ vetus Chronicum huius quoque ostenti marini meminisse, cum Hollandiæ chronicum haud eò usque pertingat, &, præter Purmeriæ Nereidem, monstrum marinum tantum illud nominet, quod anno 1431 in littus Poloniæ vi maris ciectum fuit, episcopi habitu; hoc autem integro seculo post, anno nimirum 1531, in Daniæ propontide, Zonta vulgo dicta, depræhensum, non episcopum, sed monachum ad unguem mentiebatur; glabro capite, rusticana facie, involucro humerario cuculli speciem adumbrante, nulla mitra aut infula, uti prius, insigne. Et deinde nequaquam, ut habet Guicciardinus, ad Regem Poloniæ, sed ad Cæsarem Carolum, tum in Hispanijs agentem eius simulachrum, iussu Regis Daniæ per virum illustrem ac nobilem deportatum exhibitumque fuit. Meminit utriusque huius monstri Hadrianus quoq; Iunius in Purmerenda. Sed in Iunio etiam id vitij mnemonici est, nisi typographo aut descriptori potius tribuere libet, ut Sarmaticum istud seu Polonicum monstrum, cuius Hollandicum chronicum anno 1431 mentionem facit, ad annum 1531 referat, cum ad annum 1431, ut haberi in Chronico constat, referendum verius sit.

Hoc ergo monstrum de quo per epistolam à Cornelio Amsterodamensi apud præstantissimum illum Medicum ac philosophum tum Romæ degentem accuratè quæsitum refert Guicciardinus, de Danico isto, non Polonico capiendum: Et ipsum denique philosophum & Medicum, nostrum, hunc Gisbertum Horstium, ut innui, exstitisse; *Zeteten* verò seu quæsitorem egisse Cornelium Crocum, vel sola temporis atque ævi ratio evincit, ut omittam amicitiæ ac familiaritatis inter utrumque tam arctam necessitudinem. Porrò totum fuisse in hisce naturæ arcanis rimandis conquirendisque Horstium ex Rondoletio insuper colligere est, qui, præterquam quod monachi etiam istius marini effigiem apud Horstium Romæ se spectasse refert, alia præterea de leone marino adijcit, quem idem Horstius indicaverit. Sed præstat ipsius Rondoletij verba, quæ testimonij ac indicij veluti eius super Horstio vicem erunt, integra apponere: *Gisbertus, qui Romæ medicinam faciebat, vir excellens & in rerum multifaria cognitione præstans ac percelebris, refert captum in mari Thyrreno non diu ante obitum pontificis Leonem marinum &c.* Obijt Romæ Horstius sepultusque est in æde D. Mariæ dicata, anno M.D.LVI. ut habet Monumentorum Italiæ lib. 2 Lamb. Schraderus. Protulit etiam Amstelodamum IOHANNEM TIMANNVM, cum Ecclesiæ Bremensis pastoratu, tum edito scripto de Cæna Domini sub annum 1555 celebrem. Magnus ille id ævi ubiquitatis adsertor, fuisse deprehenditur & opposuisse se ei Albertus Hardenbergius cathedralis Ecclesiæ ibidem tunc pastor, vir eruditissimus & Melancthoni familiarissimus. Melanthon ad Timannum, pendente aut vigente adhuc eodem litigio, literas dedit, quas vel rei causa, & quod breves sint, totas adscribam: S. P. *Reverende vir & amice charissime, sæpe intuens hunc Albim nostrum cogito, non si tantum funderem lachrimarum, quantum hic fluvius undarum vehit, exhauriri meum dolorem posse, quem multis annis circumfero propter dissidium de Cæna Domini: in quo tam multa disputantur extra causam. In usu vere & substantialiter adest Christus & est efficax in vera consolatione. Cur moventur disputationes de inclusione extra usum? Doceo eadem quæ leguntur in meis scriptis. Et in eam sententiam facta fuit formula concordiæ ante annos aliquot inter Lutherum & multos, qui ex viginti ecclesijs superioris Germaniæ hic advenenerant. Deum oro ut nos omnes gubernet. Bene vale. Philippus.*

Rondol. lib. 16 de Pisc.

Johannes Timannus.

Debuisset ætatis ratione ante Timannum nominari ISBRANDVS SCHOLLIVS; sed cum scriptis præcipuè celebres viros vocare ad has partes animus sit; Isbrandus autem etiamsi eruditio non defuerit, ingenij monumenta, quod constet, posteritati nulla reliquerit, solo scilicet martyrio suo & fato miserabili posteris notis, aut vix notus, vel hoc idcirco nomine narrandus nobis venit. Erat ille Amstelodami honesto loco natus, & à teneris optimarum artium cultu imbutus pietatis præcipue studia, natura duce, sectatus fuerat. Atque inde, matura jam ætate, sacerdotis docendique munere initiatus talē se ea in functione exhibuit, & ut cætui universo placeret, & alijs quoque viris eruditis regnare in suggesto non immerito diceretur. Erat enim ut in dicendo ac docendo suavitate singulari; ita nec in movendo acrimonia aut calor deerat; qui cum intra gravitatem esset, autoritatem addebat. Referunt Annales Patriæ vernaculi, quod, præter indolis innatæ integritatem, quæ à vitijs & illecebris illorum temporum arcebat, nullo animi supercilio fuerit, sed infimis etiam, & præsertim mulierculurum, quæ de Scripturis

Isbrandus Schollius ob religionem exustus.

quærere gaudebant, ingenijs se ac captui libenter accómodaret, frequenterq; in gynęceis deprehenderetur: ita tamen ut sine fabulis & fere suspicione id fuerit, cum ei tantũ sexus suus obijceretur. Quibus moribus cum ageret, eoque ævo, quod sævum & infestum virtutibus esset, & quo liberè, in re pręsertim pietatis, loquendi audiendique commercium per inquisitiones adimeretur, in suspicionem hæreseos apud æmulos atque invidos virtutis suæ devenit. Semelque atque iterum exinde accusatus, purgatione primum se liberavit: At mox, cum sævissimis Caroli Cæsaris edictis pietatis professores magis magisque premerentur, omnesque promiscuè, qui aliquid modo à receptis Ecclesiæ Romanæ statutis diversum sentirent, nullo discrimine, hæreseos damnarentur; capitaleque haberetur vel laudare contraria, vir innocentissimus tertium delatoribus patuit, & nullâ morâ ad aulam Cæsaris in Brabantiam missus, aliquantoque tempore Vilvordæ in vinclis habitus, anno tandem 1534. Bruxellæ flammis exustus est, illo scilicet igne vocem publicam, & conscientiam generis humani simul abolituros se arbitrantibus, cum ea hoc pacto magis effloruerint, ut solet veritas virtusque premi, sed non opprimi.

Nicolaus Cannius Amstel.

Eiusdem propemodum tractu temporis invenio NICOLAVM CANNIVM florenti re & fama apud suos in urbe natali Præfecturam administrasse Virginum Vrsulentium, ut indicat dedicatio, quam Colloquijs suis Crocus præfixit. Apparet & amænum & poeticum fuisse ingenium, si tamen alia & plura perscripserit ad exemplar epigrammatis, quod est in manibus. Nobis enim alia videre non contigit. Quamvis Erasmus & probasse ingenij eius indolem, & plurimum usus eiusdem operâ videtur, præsertim in describendis Græcis. Fuisse enim ei Tironis loco patet ex ea, quam ad ipsum Cannium mittit, epistola; Quæ sanè cum totum nobis Cannium veris ac vivis coloribus depingat; Et elegans alias ac faceta sit, planeque Erasmica, meretur hoc loco ut tota ponatur

ERASMVS ROTERODAMVS NICOL. CANNIO AMSTERODAMO.

S. D.

*Qvanta est felicitas astrologorum, Nicolae charissime, qui ex astris norunt sibi dies & horas fortunatas eligere. Si biduo serius hinc abisses facundum via comitem, qui tibi * πεζεύοντι pro vehiculo fuisset, totus enim scatet fabulis lepidissimis, & ut, scis, maxima laboris pars est laboris imaginatio. Extrusi tamen ocyus hominem tua causa, nec is dubitat, quin te intra triduum sit assequuturus. Novit opinor tuam celeritatem ubique * βραδέως σπεύδοντος. Multis de causis cuperem te, mi Canni, quam primum ad nos recurrere; Scis enim quam ægrè caream opera tua, præsertim in describendis Græcis. Verum quoniam tibi res erit cum mari nautisque nihilo mari mitioribus, nonnunquam & per regiones iter futurum est latrocinijs infames, nullum certum diem tibi præscripsi. Facit tamen tua mihi frequenter alijs in rebus perspecta fides, ut confidam te nusquam cessaturum, nisi si qua urgeat necessitas. Malo enim te serius, sed incolumem redire, quam ob celeritatem vel te periclitari, vel mea negotia non rectè peragi. Ita fugias, ait proverbium, ne præter casam. Et paucioribus amicis per te scripsi, * καὶ ταῦτα μάλα λακωνικῶς, quod nihil fere rerum mearum tibi sit incognitum, quodque tua prudentia non mediocriter confidam. Semper enim ut nosti, te amici loco magis habui quam famuli. Non falles opinor hanc meam de te fiduciam. In revisenda Hollandia nolim te profectionis dispendium facere. Quid enim eò te vocet, nisi compotationes aliquot, quæ nec ingenio tuo, nec valetudini conveniunt? Est aliquid videre illam doctorum omnium litteris celebratam Britanniam, & ad morum civilitatem simul & prudentiam conducet, cum tot Angliæ magnatibus, cum tot eruditissimis viris fuisse congressum, quorum tamen humanitas singularis, cave ne te reddat negligentem aut audaculum, sed utcunque illi se submittunt, tu semper fac ut tuæ modestiæ memineris. Heroes illi, non semper hoc animo sentiunt, quod vultu præ se ferunt. Vt olim cum Dijs, ita nunc cum summatibus viris religiose loquendum est. in recipiendis munusculis, Nam est ea gens nõ minus liberalis, quam parca Brabantia: veteris proverbij memineris * οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων. A beatis ac sinceris amicis si quid ultro defferetur, accipito, sed cum grati animi testificatione. A mediocribus aut frigidis amicis si quid offeretur, excusato sed civiliter. Est enim plus artis bene recusare beneficium, quam bene accipere. Sunt tamen qui cum parum sint amici, tamen palam fiunt inimici, si recuses quod offerunt. Interpretantur enim aut muneris exilitatem contemni, aut se esse invisos. Horum animo cedendum est sed oratione quam maxime plausibili. Absit autem ut usquam præ te feras sordidum animum, & huiusmodi prædularum avidum: quod, nisi me prorsus fallit mea de te opinio, vel non monitus eras facturus. Alioqui malim de meo sumas decuplum. Nec*

*conveni*t

* *Pedibus iter facienti.*
* *Lentè festinantis.*
* *Et hæc valde breviter.*
* *Nec omnia, nec passim, nec ab omnibus.*

cõvenit ut admodum horreas fretum Caletiense, ζῶον θαλάσσιον ac propemodum in fluctibus natum si modo satis olim contemplatus sum tuum* AMSTELREDAMVM. *Est sanè quum molesta tum sumptuosa traiectio, sed ut brevis, ita non admodum infamis naufragijs. Et si quid erit illic molestiarum, olim meminisse juvabit. Sed transmisso mari, aliud te periculum excipiet tibi fortasse gravius. Nosti proverbium * βάταυος ἱππεύς. Ceterum* θάῤῥει equi sunt prudentissimi, Norunt viam, nec egent calcaribus; Tantum illis permitte frenum, non desinent currere, donec te quò conducti sunt, vel sarcinæ in morem pervexerint. Cum populo facile tibi conveniet, si polypum imitaberis, aperi caput, da dextram, cede locum, arride quibuslibet, sed ita ne cuiquam fidas ignoto. In primis cave ne quicquam eius regionis contemnas damnesve. Est enim ea gens mirè φιλόπατρις, nec id sine causa. Habet enim eximiam regionem, quamquam omnes in admiratione rerum patriarum φίλαυτοι sumus. Solent enim quidam inciviles illico damnare, si quid insolitum viderint, ut nulla fere placet musica nisi cui assuevimus. Hæc quum magna ex parte te monuerim abeuntem, & si non monuissem, tamen sperarem te pro tua prudentia functurum officio tuo, tamen posteaquam & hic tam certus obtigit, & aliquid ocij datum est, visum est inculcare denuo, ne quid excidat. Nihil enim nocet interdum & memorem monuisse. Precor ut alacris ac re bene gesta ad nos quã primum redeas, teque tuis Musis reddas, ut hoc dispendiolum vigilantia sarcias. Bene vale & si quem forte nactus eris in itinere certum γραμματοφόρον, fac paucis perscribas, si quid erit, quod nostra referat scire. Datum Basileæ. Anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo, pridie ascensionis Dominicæ.*

** Animal marinum.*
** Hollandus eques.*
** Bono sis animo.*

Cannium excipiet NICOLAVS EVERHARDVS, (quem Amstelodamum quoque dedit,) vir & eruditissimus & suo ævo iurisconsultus clarissimus. Quo, etiam nomine Cæsari Carolo adeò notum amatumque constat, ut eum Spiræ in Curia Iudiciali sibi à consilijs esse voluerit. Insignem aliàs non immeritò famam exiguo quidem, sed pereruditо scripto meruit, quod Isagogen ad Iurisprudentiam inscripsit. Ab eo proximus iure nominabitur, cum doctrinæ & claritudinis tum ætatis ratione SIBRANDVS OCCO, qui ab ineunte ævo summa contentione cum se literis dedisset, mox adultior Italiam, Galliam, Germaniam maioris animi cultus ergò perlustrans, viros ubique doctos compellavit, sibique omnes sua consuetudine, qua erat doctrinæ ac morum elegantia, non tantum devinxit, sed in sui quoque amorem atq; admirationem ita pertraxit, ut eum & peregrè, & mox domum reducem, veluti Atticum aliquem aut Mæcenatem certatim exinde & literis & scriptis suis coluerint, ac celebrarint. Inter primos Alciatum reperio, cum in Italia adhuc, Occo ageret, candidissimis eius moribus ita captum delinitumque, ut ad eum sæpenumero Ticino literas Bononiam dederit amoris ac desiderij sui testes: & eum vicissim Occo de studijs frequenter consuluerit. Alciati quidem, præter ceteras, epistola una Amstelodami adhuc apud hæredes Occonis autographa adservatur: quam & ipse superioribus mensibus libentissimè ibidem vidi agnoviq; spirantia in ea omnia plenaque honestissimi iudicij. In Gallijs verò dum esset, præsertim apud Bituriges, ubi tum ius profitebatur Alciatus, familiarissimè usus est Iohanne Secundo Hagiensi, utpote populari & contubernali studiorumque socio: Quod Secundus vel eã epistolã, sive apobaterion Carmen est, luculenter testatur, qua in Hispaniam iturus Occoni valedicit. Ita enim initium habet:

Nicolaus Everhardus.
Sibrandus Occo.
Epist. lib. I. ep. XI.

Quem sibi de multis iunxisse sodalibus unum
Antiqua voluit perpetuaque fide,
Hanc tibi tam longè mittit Sibrande salutem
Ianus, & inquirit sedulus ecquid agas?
Num valeas fortisque tuæ sine nube sinistra,
Hæc tibi florentis tempora veris eant;
Nam sine me, memini, mihi te narrare solebas
Ducturum mæstos & sine sole dies:
Qui nunc in vana me sollicitudine rides,
Et memor in lætis vix potes esse mei.

Et post pauca amoris erga eum amicitiæque causas præcipuè cum eius fidem ac probitatem, tum morum, ac studiorum similitudinem esse, sic brevibus, sed elegantibus, & qui cum veterum puritate ut & reliqua eius omnia, certent versiculis perstringit:

Colligis

Colligis à magno legum decreta magistro,
Vnde tibi vita fama sequentis eat.
Interea nostri tantum à te cura recessit,
Quantum de Ligeris flumine Scaldis abest.
Hoc ego vaticinor, sed si mihi diceret idem
Chyntius, oraclo non foret ulla fides.
Non ego Dodonæ dicenti talia credam,
Tu quoque si iures per sacra perque Deos,
Et probus & verax, longo mihi cognitus usu
Scilicet hoc uno nomine vanus eris.
Te mihi iunxerunt nivei, sine crimine, mores,
Simplicitasque sagax, ingenuusque pudor.
Et Bene nota fides, & candor frontis honestæ,
Et studia à studijs non aliena meis.
Addidit his tacitos nutus, motusque benignos
Et nodo vinctum duxit utrumque pari
Natura omnipotens, & si quod numen amicis
Præsidet ac sanctas jungit amicitias
Artibus occultis &c.

Quibus post paucula addit:

Quod nisi me fallo, quisquis fuit ille Deorum
Coniunxit nostras complicuitque manus,
Cum primum patrio provectus ab orbe subissem
Docta vetustorum mænia Biturigum:
Tunc ego te vidi, tunc tecum pauca locuto
Spes inconcussæ venit amicitiæ:
Tu quoque visus eras votis accedere nostris
Et sensu tacito iam bene velle mihi;
Forsitan haud alijs pepigerunt fœdera sacris
Ad quorum stupuit Cerberus ipse fidem:

Deinde interiectis aliquot versibus abesse ac disiungi se ab eo dolens hæc subdit.

Hei cur non nostri, quid enim jucundius esset?
Tempora convictus plura dedere Dei?
Exemplum canis essemus uterque capillis
Rarum servatæ semper amicitiæ;
Nunc via nunc montes & cum tot flumina silvæ
Mænia divisos & numerosa tenent.
Dividat & tellus & corpora dividat æquor,
At præsens animus hic tibi semper erit:
Ille vel immensi peragraverit invia Ponti,
Et loca quæ nullo sunt pede tacta prius;
Ille per obstantes muros, obstantia claustra
Ingreditur longum clam taciturnus iter,
Bituriguмque procul mediam delatus in urbem
Sibrandum subito sistitur ante suum,
Et tecum solitis fallit sermonibus horam,
Evocat in nostros te quoque sæpe lares.
*Ac laribus vestris post tempora pauca repo*nit
Et tecum longas itque reditque vias.

Hinc interpositis Similium aliquot figuratis emblematis, iterum se ad Occonem convertens ait:

Vive

Vive & amicitias similes tibi collige nostræ;
Quæ minuant vitæ tædia longa tuæ,
Scilicet hoc miseris Deus unum dulce reliquit,
Solamen cunctis & dedit esse malis,
Semper habere aliquem cum quo coniungere possis
Sive tuos lusus, seria sive tua.

Tandem hoc epilogo elegiam finit:

Nunc quoniam imprimis scio te cognoscere velle,
Et quid agam, & quorsum me mea fata vocent,
Imus ad occidui longinqua cubilia solis,
Qua niger auriferas potat Iberus aquas.
Dij mihi iucundos, illic reperire sodales
Dent, mihi consimiles, nec sibi dissimiles,
Sed similesque tibi, similesque sodalibus illis,
Quos mihi præcipuos Celtica servat humus.
Tunc mihi nec longæque viæ longique labores,
Nec gravis infesto sidere Phœbus erit.
At tibi tranquillos annos fortuna paravit,
Et dotata domi gaudia servat hymen.
Ante tuos vives lætus conviva penates,
Quicquid eris memorem te iuvet esse mei.
Et, seu læta tuis venient seu tristia fatis,
Dicere, quam longè nunc mihi Janus abest!
Participem nostri sese daret ille doloris,
Divideret mecum gaudia sorte pari.

In patriam inde reversus Occo, & mox summis honoribus atque urbis magistratu perfungens, ita se in republica gesfit, ut literarum & literatorum patrocinium ac curam nunquam deponeret. Scripsit tunc, inter ceteros, ad eum Viglius Suichemus Curiæ Cæsareæ Præses de Rodolphi Agricolæ, quam expetierat Occo, effigie literulas breves quidem, sed amicas admodum & benevolas: Quas ego ex autographo, cum Occonis, tum Agricolæ causa in hunc finem descripsi, ut etiam hic quia id multifariam merentur ab omnibus propalam legi queant. Ita enim habent:

Mitto, ornatissime domine Sibrande, Rodolphi Agricolæ effigiem, quam coram promiserã ut eius viri, quem tui parentes maioresque semper fuere venerati, memoria, tuis oculis subinde jucundius se repræsentet: Quæ hoc tibi charior esse debet, quod ex ipsius met autographo sit delineata. Nam inter ceteras artes liberales, in quibus ad miraculum excelluit, pictura etiam refertur cum primarijs eius magistris certare potuisse, quam tamen sine ullo doctore sola ingenij fretus præstantia, exactè conceperat. Bene vale Bruxellæ Cal. Feb. 1561. Effigiem Agricolæ vel in id expetierat Occo, ut Bibliothecę eiusdem Agricolæ, quam hæreditario jure à maioribus ad se transmissam possidebat, eam insereret. Erat enim, tametsi Amstelodami natus, Frisijs oriundus Occo, ab illo videlicet, ut opinamur clarissimo Adolpho Occone Frisio Medico cui libros de inventione Dialectica misit Agricola, genus ducens. Pater ei Pompeius Occo civis similiter & veluti inquilinus urbis; quamvis ex Frisijs, ut innui, prosapiam trahens. Habebaturque & ille suo ævo apud Amstelodamenses quasi Mecenas alter, ita doctorum clarorumque virorum pæne omnium, qui Amstelodamum commearent, eius ædes veluti diversorium erant. Ericus Walkendorpius, Episcopus Nidrosiensis (vulgo Trunhiemensem dicimus) cum Daniæ Regis Christierni iram ac vindictam relicto Patrio solo anno 1521, ut & supra iniecimus, fugiens pertimesceret, Amstelodami in ædibus Pompei asylum invenit. Nam forte fortuna factum, ut Amstelodamum tunc ipse Rex transiens, ad aulam nimirum Cæsaris soceri sui Bruxellas iturus, etiam Episcopum Walkendorpium ibi esse intelligeret; statimque mitteret, qui ad se hominem adducerent. At Pōpeius, ut hospites, eos humanissimis verbis affatus demulcensque, Episcopo sibi consulendi moram fecit, donec mox, ad Magistratum causâ delatâ, se, utpote Episcopũ, provocare ad Pontificem testaretur; eo nimirum loco non Regis sui, sed Pontificis solius mandatis atque imperio teneri se pluribus adijciens, ita ut magistratus his alijsque rationibus

Pompeius Occo.

motus nihil in eum permittendum Regi tum existimaverit. Exstat in eiusdem Christierni vita ac rebus quas Regni olim Danici Cancellarius ὀνακαρίτης Arnoldus Vetfeldius, honoris,& memoriæ causa nobis etiam hîc nominandus ex archijs & veterum memorijs studiose collegit, prolixa epistola eiusdem Walkendorpij ad regni Daniæ Senatores, hac ipsa de re, Traiecto missa, in quâ inter cetera, Pompei memoriam atque hospitalitatem grata mente concelebrat. Edi idem Pompeius, suis impensis, Lutetiæ Parisiorum, anno 1519 Psalterium curavit D. Hireonymi titulo. Libellus est mole exigua, excusus in eum finem, ut ab omnibus circumferri posit. Additi ad calcem sunt psalmi septem Pænitentiales, ut vocant, Francisci Petrarchæ aliaque. Et memini nuper Amstelodami apud amicum & familiarem nostrum M. Iacobum Gisbertum libelli huius exemplar vidisse, quod ex ipsius Pompei aut filij Sibrandi bibliotheca prodijsset, pulchrè colligatum atque inauratum undique: Occurrebatque in prima statim libelli pagina iuxta frontispicium, Pompei Occonis nomen, cum eiusmodi symbolo: IN MELIVS SINGVLA.

Ioannes Monsenus. Celebratur & IOHANNES MONSENVS Amstelodamensis vir eruditus & Theologus, sed cuius scripta mihi videre nunquam contigit: nisi quod apud Gesnerum invenerim, eum S. Scripturæ obscurorum aliquot locorum per alias eiusdem divinæ scripturæ sententias clariores luculentam interpretationem edidisse Coloniæ anno 1540.

T. Coornhertius Amst. Fuerunt clara & nuper urbis ingenia. Nam & Theodoru Volcardum, qui COORNHERTII nomine celebrior est & ipse grandævum adolescentes vidimus fama & eruditione quoque, quamvis serotina, florentem. Nam licet annorum circiter quadraginta, cum ei in meridie quasi ætas sita iam esset, se humaniorib⁹ studijs linguaq; Græce ac Latinæ rudimentis dedisset, tantum tamen profecisse constat, ut optimos quosque autores Græcos Latinosque non intellexerit modò sed patrio etiam idiomate reddiderit nonnullos. Quorum & compositio ipsaque verba si spectentur, selecta omnia ac vernacula sunt, & quæ sufficiant ponderi rerum: scias eum sentire quæ dicit. Post altiora etiã animo volvens Theologicis se studijs ac controversijs exercuit, multisque nec theologorum infimis negotium facessijt, nec scio an cõtradicendi studio; quo maxima sæpe laborant ingenia, ubi non iam quid ipsi sentiant, quam contra quid alij senserint, dicendum putant. Sed exceptis illis aut excusatis etiam, pietatis nihilominus & veri studium illi fuisse satis apud bonos omnes probaverint libelli, quos adversus famigeratum illum spiritus & paracleti, qui in omnem veritatem cunctos deducet, sibi ut iactabat, peculiariter additi ebuccinatorem D. G. edidit. Quibus ostentatorem hunc merum & Pyrgopolinicem, aut gigantem potius, cælo ac solio suo deiecit, Et quam esset verè Terræ filius, & qui nihil ex illa, quam sibi ab alto afflatam persuadere omnibus voluit, aura traxisset, cum ex stili genio, qui ubique tautologus, insulsus, nec sibi uspiam cohærens, aut robore ullo nixus, deprænditur; tum & vita, qua Sardanapalum referebat, omnibus in aperto locavit. Minor fuit fama CORNELII HAEMRODII, sed illibatior:

Cornelius Haemrodius. Qui Coornhertio coætaneus, ante decennium, & quod excurrit, annis iam gravis fato concesit. Memoriam eius recolunt paucæ aliquot, sed edecumatæ lucubratiunculæ, quas amicis testamento moriens legavit. Inter eas ad nos pervenit fragmentum operis, *1599.* quod de rebus Albani contexere cæperat, stilo humili &, qualis sub manum se dabat, familiari & vernaculo. Latine Bataviam Hollandiamque sibi & amicis pauculis, contexuerat, dum adhuc Lovanij studiorum gratia ageret scriptiunculis Gerhardi Noviomagi ac Cornelij Aurelij præcipue excitatus. Eam ut omnes arbitrarentur, primus ego publici iuris feci: & hisce nostris subtexi curavi.

Martinus Æditus. Obijt superioribus etiam annis MARTINVS ÆDITVUS artis medicæ, quam domi forisque dexterrimè exercuit, secundâ famâ magnâque gloriâ apud omnes usus. Nam in Gallijs cum medicinam faceret, & Dol e ageret vir magnificus & clarus Petrus Oxe, nobilis Danus; ei, & hoc & elegantis doctrinæ nomine, familiariter tum ibi innotuit. Et mox in Daniam reversus regiæque aulæ præfectus Oxe, non destitit in dignitate jam summa constitus amici veteris meminisse, sed omnem continuò movit lapidem ut ad se Martinum quoque evocaret. Qui ubi venisset, tanto eo patrono usus est, ut regiæ maiestati mox commendatus archiatri loco multos tum annos apud Fredericum Secundum habitus fuerit. Defuncto autem postmodum Oxonio, Amstelodamum in patriam Martinus regressus & civibus & civitati opem suam contulit. Nam paucis à reditu suo annis ad urbis magistratum vocatus, & mox senio gravis intra tamen privatos parietes consilio alijs adesse, dum sui omnibus copiam faceret, nunquam intermisit. Exstat Hadriani Iunij ad eum nuncupatoria epistola, qua libellum suum de Co-

ma

ma ei dedicat, ex qua vel sola iudicari potest, quantum ille & doctrinæ & autoritati Martini tribuerit. Præceptore adolescens Croco usus fuerat: sicuti & MATTHIAS BOSSEMIUS, Amstelodamensis item; Qui Martino coævus, nuper etiam, anno nimirum 1599, Duaci Cancellarius Academiæ obijt: Qua eum dignitate, quæ ibi prima & perpetua habetur nec opinantem, nedum ambientem Philippus II ultro ornaverat, ut habet in elogijs Belgicis Miræus. Qui & libellum clero non inutilem reliquisse eum addit, *De domestica mulierum societate sacerdoti vitanda*: Quamvis poeta olim, ipsa experientia talium magister doctus, & monitor optimus, ante omnia hic otium removendum putaverit, cum inquit, *Otia si tollas periere Cupidinis arcus, Contemptaque iacent & sine luce faces.* Quod tamen an obtineri hodie in sacro illo & populoso grege posit, illis, quibus hæc cura commissa est, dispiciendum relinquo. *Matthias Bossemius.*

Excessit quoque annis superioribus EILHARDUS VERIUS Amstelodamus, qui præter cetera, quæ ab ipso vernaculo idiomate conscripta & ex linguis etiam alijs, ut Erasmi paraphrasis aliaque, eleganter & significatè reddita sunt, adtextum insuper veteri Hollandiæ Chronico ad nostra usque tempora deductum, non sine ingenti labore ac studio, adiecit. Verum hæc cum in omnium nunc manibus sint, lectorum arbitrio relinquimus. Supersunt hodie & Amstelodamenses clari aliquot, florentque adhuc & exornant ætatis suæ gloriam, viri posterorum memoria digni, qui olim nominabuntur, nunc intelliguntur. *Eilhardus Verius.*

Cognata est literis pictura, utpote quàm Sicyone primum, deinde & in tota Græcia, ut pueri ingenui ante omnia docerentur, reciperetur que ars ipsa in gradum liberalium, Plinius autor est. In eâ quoque excellentia aliquot ingenia Amstelodamum protulit, & inter cetera eminet Petrus Arnoldi, cognomento à corporis proceritate, Longus Pierius appellatus; quem Iunius noster Pyreico illi Pliniano comparare, si non anteferre audet; usque adeo in operibus illius ubique relucet gratia quædam, expresso elegantissimè in rusticanis puellis, anatibus, asellis piscibusque alijs, omnique instrumento culinario: cuiusmodi, præter summam voluptatem, infinita etiam varietate oculos vix satiant. Laudantur præterea inter opera eius duæ præcipuè tabulæ, quas urbi natali reliquit: Quarum prior, 2000 coronatis picta, in veteris ædis altari avidè à multis, & præsertim artificibus, spectata olim fuit; sed exortis mox belli primis motibus, ab iconomachis vastatam consumptamque constat; sicuti & alteram quæ in nova æde adservabatur, non ab artificibus modò, sed & doctis quos inter Duetus fuit, versibus celebratam. Obijt anno 1573, ætatis 66 relictis filijs tribus, qui patrem omnes, ut vultu & corporis habitu, ita etiam arte referrent.

Æqualis eius fuit Theodorus Iacobi Amstelodami etiam natus, patre Iacobo Cornelio Oostsanensi Vaterlando, qui inter lumina quoque artis habitus est. Magna Theodori in singulis venustas fuit: & præcipuè argutias vultus & artuum sinus orisque & articulorum illas eminentias atque extremitates patre studiosius dedit, ipsorum quoque artificum confessione in lineamentis extremis palmam adeptus. Eius est tabula in horto Sagittariorum colubrinorum, quæ multorum hodieque, & præsertim intelligentium tenet oculos: Eminet in ea manus palma digitis explicatis, quæ vel sola ingenti olim pretio ab artis singulari quodam cultore Iacobo Rauardo æstimata, etiam eo adhuc nomine plurimorum ad se animos atque intuitus rapit. *Theodorus Iacobus.*

Theodorus Bernardus parente quoque pictore, qui inter alia, Anabaptisticos furores tabulis quæ in Curia hodieque servantur, ad vivum expressit, genitus. Sed parente, mox longe præstantior filius inventionis dispositionisque, & eius veneris, quam charita Græci vocant, quamque in omnibus ante se, desideraverat Apelles, singulari genio ac gratia præditus, nemini ætatis suæ facile cesserit. Quibus & accedebant literarum studia, quibus haud leviter tinctus, magnum sibi nomen atque æstimationem etiam apud eruditos pepererat, dum eos ille, institutis de arte tota & Apelleis illis lineis alijsque amœnis quæstionibus, & eum vicissim illi, vel literis, vel coram salutarent: Ità ut Pamphilium illum, quem celebrant veteres, aut Durerum superioris seculi referre videretur; qui, in pictura omnibus literis eruditi, negabant sine artium liberalium & præsertim Arithmetices ac Geometricæ, scientia perfici artem posse. Mortuus est annis superioribus vix senilem ætatem ingressus cum, calculo & nephriticis doloribus assiduè vexatus annum circiter 58 explesset. *Theodorus Bernardus.*

Neque sua laude aut gloria etiam hoc loco fraudandi Coornhertius, quem superius inter doctos recensui; & Iodocus statuarius, civis similiter & inquilinus urbis, pulcherrimis operibus, diverso licet genere, clari. Nam Coornhertius primam iuventæ ætatem non quidem statuariæ, sed ei arti dederat, quæ in laminis æreis averso cæli scalprique tractu pingit iconas historiasque omne genus, quæ postmodum illitu atramenti cuiusdam encaustici prælo subiectæ papyro redduntur. Sed avocatus mox curis gravioribus Coornhertius inchoatam cum laude artem maturè intermisit; & eam discipulis, quos inter Philippus Gallæus fuit, exercendam reliquit. Nunc ad ea quæ politiam urbis spectant stilum vertamus.



LIBER

Polit.lib.1.
cap.2.

Sapientiæ
cap.6.vers.
22.


Fol. 145
Æthiopes . Guineenses .
MARE
ATLAN
TICUM
Asores Insulæ
Canariæ Inf.
olim Fortunatæ
TROPICUS CANCRI
Insulæ de Cabo Verde
olim Hesperides
OCCIDENS
DE NOORT ZEE
ANGLIA
GALLIA
MEDITERRANE UM
BARBA
RIA
NUMIDIA
LIBIA INTERIOR
A F
RI
CA
GUINEA
LINEA
OCEANUS
ÆTHI
OPICUS
TROPICUS
BRAZILIÆ PARS
Tombutu
Gago
Mandinga
Benin
Regnum Biafara
Borno
Nubia regnum
Gaoga
Agades
Fez
Tremisen
Targa
Medra
Ambian
Sofala
Mono
MOTA
C de Bona Esperance
S Helena
I de Ascention
I de Tristan da cumba

TABULA GEOGRARH.
in qua Europæ, Africæ Asiæq, et circu: jacentium insularum oræ maritimæ ac: curatè describuntur et ad intelligentiā navigationum Indicarū accommodantur.

Turcensis

Incolæ Sumatræ et Malacæ

MARE ARABICUM INDICUM

GOLFO DE BENGALA

SINUS GANGETICUS

OCEANUS CHINENSIS

Philippinæ Insulæ

Maldivæ Insulæ

ÆQUINOCTIALIS

I.S.LAURENTII

CAPRI CORNI

TERRA INCOGNITA

ORIENS

INDIA INTRA GANGEM

INDIA EXTRA

PERSIA

ARABIA FOELIX

Cheqiam

Quicheu

Quanci

Foquiam

Mogores

Guzarate

Ceilan

SUMATRA

IAVA

BORNEO

Celebes

Gilolo

Pegu

Siam

Campa

Camboia

Zocotora

Maldivæ

100 110 120 130

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

In quo urbanæ politiæ typus breviter ob oculos ponitur.



EMONSTRATVM hactenus, per annorum succedentium seriem fuit, quibus paulatim incrementis urbs cum pace, tum bello, efflorescere & ad statum præsentem evecta non Europæ modò emporijs, sed Orbis propemodum universi negotijs commercijsque par esse cœperit; Nunc consequens est ut etiam magistratus ac politiæ modum,& ordinem quo ipsa civitas gubernatur, & cuius tam auspicato fruitur imperio,paucis exponam. Constat receptumque apud omnes est hominem à natura civile & sociale animal factum, & solum constitutum nec recte vivere,imò ne vivere quidem posse:ideoque & à principio convenisse in unam societatem mortales,ut dum mutuo adiumento atque opera alter alterius necessitati commodat,bene beateq; vivendi rationem quam optimam consequerentur. Ita ut hinc enata paulatim vitæ civilis statuta liqueat; exortumque fuisse nationes ac urbes regendi non unum modum,cum nonnullas populus, aliquas Optimi seu primores,alias singuli regant. Quorum populus,si eo multitudinem universam ac promiscuam intelligamus,invenietur rerum administrationi omnium maximè imparatus atque inidoneus, nisi in unum quodammodo coalitus ex multitudine unitas quasi fiat. Quocirca ex ijs qui de Politia scripserunt,ita temperandam rempublicam multi crediderunt,ut, adhibita æquabili quadam mixtura, ex statu populari primorum aut optimatium regimini proximum constitueretur : in quo nimirum utriusq; status cõmoda consequeremur, atque evitarentur contraria. A singulis autem plures regi vetustissimis moribus obtinuit,& indicat Aristoteles primo urbes sub regibus fuisse, mox etiam gentes. Nunc fere aliter fit, & præsertim cum longe seculorum ac gentium usu compertum habeatur, vix ullam exstitisse merè regiam aut singularem potestatem,quæ non in tyrannidem lapsa sit.Cœpit quidem & initium habuit à Regibus Romanæ urbis status, sed crevit,& imperij illam mirandam magnitudinem accepit sub Consulibus: Quæ & in arctum mox redacta,accedentibus ad clavum, regia propemodũ potestate,imperatoribus; Sub quibus & vis denique omnis victoris populi elanguit, & quasi naufragium adijt. Quocirca hanc plurimi probarunt republicæ formam, quæ ex optimis & prudentissimis efficeretur,cũ nemo solus sapiat,nisi summus ille Deus,cui id proprium tribuitur. Et fuisse quoque huius opinionis Solon lycurgus alijque legislatorum veterum videntur; quibus & Plato consentit eam republicam & civitatem, inquiens, optimo felicissimoque statu videri constitutam, quæ à sapientissimis regeretur. Nec aliud libri qui Sapientia titulo inscribitur,autor voluerit,ubi Reges populorum, & quoscunque aulæa ac sceptra delectant, commonet ut honori ac cordi eis sapientia sit, quò in perpetuum regnent. Nam sane quodnam esse felicius ac fortunatius regimen quam eorum potest,quos sapientia perpetuo ac ratio rexerit ? Eas enim qui audit recte omnia ac ordine faciet, nusquam incurret,non affectibus locum dabit. Noster ergò,de quo

Polit.lib.1. cap.2.

Sapientia cap.6.vers. 22.

quo dicemus, magistratus cum eiusmodi sit, ut nec homini uni varijs erroribus obnoxio, nec multitudini promiscuæ omnia permittat, sed ex omnibus delectum faciat, proxime eum ad optimatium statum, quem Aristocraticum appellant, ita accedere comperiemus, ut ad democraticum tamen nonnihil declinet. Idque ut omnes agnoscant, nunc rem ipsam videamus. Et primo quidem, cum adhuc sub primis Comitibus ageret civitas, prætoris iudicio & paucis senatoribus res omnes administrabantur. Nunc verò multis ab hinc annis, & præsertim Philippi Burgundi, atque inde Mariæ Caroli Audacis filiæ tempestate, amplior senatorius ordo redditus, creatusque magistratus, qui triginta sexumvirum nomine appellatur, quod is triginta sex viris, qui civium honoratissimi ac rerum usu exercitatissimi prudentissimique habeantur, constet. Est hic solus magistratus perpetuus, & veluti fons ac fundamentum, aut seminarium potius, reliqui magistratus. Nihil sine horum consilio assensuque in rebus gravioribus, cum pace tum bello, decernitur. Penes eum totius est civitatis ius, & senatus quoque magistratuumque omnium ab eodem manat autoritas. Apud hunc temporarius magistratus, qui litibus, ac iudicijs cum Prætore, præsidet, quotannis constituitur. Hi Scabini appellantur & numero novem sunt. Estque eorum ut dixi, temporarium munus, id est, annuum. Et ut eos triginta sexumviri quotannis eligunt: ita vicissim penes eos adiunctis scabinis ijs, qui annis anterioribus Scabinatu perfuncti fuerant, Consulum est electio: A quibus deinceps subalternus omnis & minor magistratus pro arbitrio constituitur.

Hæc breviter, & dilucidè in hunc modum posita, cum præcipua sint reipublicæ huius totiusque civitatis officia & partes; & electionis quoque reliquæ ex eo ratio ac modus constet, ad subalternos iam & inferiores magistratus deveniam, si de Prætore, scabinis & Consulibus illud adhuc seorsim adiecero. Prætoris vocabulum à Romanis usurpatum, recepto iam etiam apud nos more, & eos præsertim, qui latine res hodie tradunt, in usum & consuetudinem pro *schulteto* vel *schouteto*, ut vulgo vocamus, tractum est. Cuius vocabuli origo à Francis veteribus manavit, qui schultetum quasi *schult-heis* nominarunt, quod noxæ debitique exactor esse, pœnas irrogare ac multas ab ijs, qui deliquerant, exposcere solebat. Eaque etymi ratio nec hodie à re ac munere prætoris nostri in totum dissentit. Romani vero prætorem dixerunt ab eo quòd præiret sive præesset. Et licet latè apud eos patuerit hoc nomen, constat tamen præcipuum eius munus fuisse jurisdictionem tam rerum civilium quam criminalium. Quæ officij ratio etiam hîc prætori defertur cum primus illi inter Scabinos, qui ut dixi, iudicijs & litibus curant, locus & consessus detur. Et antiquitus quoque non modò togæ prætextæ, sed & sellæ curulis jus habuit: Eaque omnia, ut & lictores cum fascibus, Prætoris insignia censebantur; nec à nostris hodieque ut paret, moribus, aliena prorsus aut abhorrentia comperimur. Scabinorum porrò nomen Francicæ quoque originis est, à voce *schaff-hin*, quæ meram potestatem indicat. Occasio verò nominis ab ævo atque instituto usque Caroli Magni repetenda. Nam cum is Saxones, qui nunc Vestphaliæ pars sunt, sæpius subactos, datam semper fidem violare animadverteret, visum est illi ex re fore, si diritate supplicij exemplorumque terrore castigaret eorum proterviam. Itaque iudices arcanos constituit, quibus in periuros aut fidei temerariæ, facinorisve alterius reos animadvertendi ius ac potestas extemporanea ac mera esset. Scribitque Æneas Silvius, Pius postea dictus, ad suam usque ætatem continuatum fuisse illud iudicium, secretosque ritus observatos, quibus criminosi judicarentur, & reos, damnationis suę inscios, ubicunque reperti fuissent, suplicio affectos; qui huic iudicio cum potestate præessent, Scabinos appellatos. At nostri Scabini, sive novemviri, causas judicant, deductam in iudicium controversiam decidunt, quæstionibus & tormentis adsunt, crimina excutiunt, denique vitæ necisque potestatem habent, sed auditis prius reis. Consules porrò numero quatuor sunt: ijque quotannis novi constituuntur relicto ex prioribus uno, qui anno anteriori consulatu functus, fuerat: Ex novitijs designantur ante alios plerumque qui vel consulatu antea sunt functi, aut aliquem saltem magistratum gesserint. Officium eorum est pecunias publicas in usus necessarios disponere; rationem habere ædificiorum & operum publicorum ac platearum officia ac munera singulis imponere: Et in rebus insuper urbanis edicere, decernere, vocare, in custodiam per prætorem mittere, & ius quoque ac sententiam in causis civium controversis dicere ac pronunciare, sed ut arbitros, nō ut iudices: & denique toti politiæ ac statui urbano consulere atque eam in rem curas suas ac cogitationes omnes intendere. Vulgo Burgemagistros, quasi civium magistros vocamus, Latinè consulem vertimus, quod eorum munus à veterum Rom. Consulibus haud multum

multum diſcreparit. Nam & illi annuam hanc poteſtatem, & ſupremæ quoque dignitatis loco habuerunt. Vnde & Græci, Conſules non tam προβούλους; aut συμβούλους; verterunt, vim verbi intuentes quam ὑπάτους quaſi dicas ſummos, vim intuentes imperij & dignitatis. Adeò ut ſi ipſam poteſtatem videamus, ſingulare quid & ſummum præ ſe ferre ea videtur, niſi inhiberet imperij brevitas, quæ inſoleſcere ac morâ corrumpi eam non ſinit: tum & collegarum æqualitas, cum non unius, ſed plurium arbitrio res agantur. Et denique xxx ſexum virum, de quibus dictum, ubi ijſdem accedit autoritas magnumque illud conſilium cogitur ex ariſtocratia ac democratia æquabile quoddam temperamentum apparet.

Nunc præcipua reliquorum magiſtratuum, quos legi à cóſulibus indicavimus, officia & veluti dicaſteria ſigillatim ac ordine perſtringemus. Et principe quidem loco eos referemus, qui reipublicæ civiumque bonum atque incolumitatem, tum etiam negotiationis totius rationem ac celebritatem vel maxime curant, ut ſunt Theſaurarij, Rationarij, orphanorum præfecti, Aſſecurationis magiſtri, menſæ argentariæ præſides, & matrimonialium denique cauſarum diſceptatores.

CAP. II.

Theſaurarij & Rationarij.

QVIBVS ærarij cura publicæque pecuniæ adminiſtratio demandata eſt, proximum & præcipuum à Conſulibus locum & munus tenent; Vulgo *Threſoriers* ſive Theſaurarios appellare eos uſus obtinuit. Nec modò ærarij his cura publicæq; pecuniæ demandatæ, ſed & tabulas accepti expenſique, nec non inſtrumenta, cum publica tum privata, contractus, Chirographa aliaque eiuſmodi cuſtodire; Commentarium etiam urbanorum redituum ſive, ut appellant ſtatum urbis conſtituere, atque in oppidi denique univerſi ornatum publicaque, quæ excitari contingat, ædificia, una cum conſulibus invigilare, eorum curationi incumbit. Pecunias autem quaſcunque cócreditas ſibi habent, eæ, ut plurimum, ex urbis reditibus, vectigalibus, ædium locationibus, cenſu atque ambactu, agri contermini more majorum per publicanos aliosque colliguntur. Cumque magnæ dignitatis fideique munus ſit, præfici ei plerumque duo ſolent, ijque vel ex Scabinis vel ijs qui iam ante conſulatu perfuncti fuerunt. Solvunturq; hic ſalaria omnia quę officijs urbanis aut alias ex pacto debētur. Fabricæ quoque Præfectus hinc accipit, quod inter operarios exinde viritim expendit. Eaque ſumma cum ingentem auri vim conficiat, conſtituti ſeorſum RATIONARII ſunt, rationum magiſtros alias vocant, qui acceptorum expenſorumque eiuſmodi rationem univerſam in calculum poſt liminio redigere ſibi demandatum habent. Quæ etiam provincia, cum ſummam fidem requirat non niſi ex magiſtratu, ijque bini ad eandem obeundam deſignari ſolent.

CAP. III.

Pupillorum præfecti. Itemque leges ac ſtatuta pupillaria.

SEQVVNTVR pupillorum Præfecti, quibus hoc officij incumbit, ut tutelam agant pupillorum, qui minori adhuc ętate exiſtentes vel altero vel utroque parente orbantur: Hos ſuperius indicavi dupliciter cenſeri: Aut enim ij eiuſmodi ſunt, quibus à parentibus defunctis nihil aut perparum ad vitæ ſuſtentationem hæreditate relinquitur: aut tales quibus poſt parentum obitum facultatum ſatis à maioribus relictarum ſupereſt. Prioribus quomodo à Magiſtratu iam olim proſpectum ſit, iam ante, ubi de orphanocomio loqueremur, ſatis ſuperque demonſtratum fuit. Nunc ad hos ſecundi ordinis pupillos veniendum. Nam ijs, licet parente defuncto, ex teſtamento tutor inſtitutus ſit, tutelarem nihilominus dicaſterij huius poteſtatem agnoſcere legibus certis certoque modo tenentur.

nentur. Quod munus cum egregiam fidem ac ſanctitatem vitæ præcipuam exigat, eiuſmodi viri ei officio delegantur, qui iam publicis omnibus muneribus defuncti ſunt, ſpectatæque ſunt probitatis. Et,ut plurimum,numero tres habentur, vulgoque *Wees-meeſters*, & ipſum dicaſterium *Wees-kamer* appellatur. Nos tutelares magiſtros ſive Præfectos pupillares, ipſamque Cameram Dicaſterium tutelare dicemus. Leges, quæ eò ſpectant, eiuſmodi à maioribus latas invenio.

I.

Pupillorum præfecti à Conſulibus quotannis ſub luſtrationis feſtum,ijque ex honoratiſsimis civibus, eliguntor : His poteſtas ac ius eſto pupillorum, qui cum intra, tum extra urbem, intra tamen urbis territorium,habitaverint, res ac bona adminiſtrare,aut alijs ad eorundem pupillorum commodum adminiſtranda permittere.

II.

Si quis è vivis exceſſerit, ſive mas ſive fæmina pupillos ſuperſtites relinquens, eum ſub pæna abdicationis tenebitur cathedralis eccleſiæ, ad quam defunctus pertinuerit, libitinarius,priuſquã è domo funus effertur,tutelaris dicaſterij Secretario nominetenus, addito etiam habitationis loco, ſubindicare. Secretarius extemplo deſignatum nomen in codicillos inſeret : Atque inde Cameræ pupillaris apparitor,quandocunque id ei à præfectis tutelaribus imperabitur,ſuperſtitem ſive fæminã ſive maritum, ſeu quicunque eorum vicem geſſerit, ad dicaſterij huius forum convocabit &c.

III.

Tenebuntur porro, ſive parens ſive mater, quicunque ſuperſtes fuerit, bona ad pupillos ſpectantia Dicaſterij præfectis ſigillatim exponere, quo in Cameræ Commentarium,præſentibus & ad id convocatis proximis agnatis,omnia ordine redigantur, idq; intra ſextam hebdomadam poſt elatum funus. Niſi faxint,multa erit Carolini duodecim. Et poſt nihilominus eodem obſtringentur, niſi aliter cognati aut conſanguinei ſtatuerint,temporiſq; pluſculum ſuperſtitum alteri indulſerint,& res poſsidere indiviſas permiſerint. Qui tamen cõſanguinei ejuſmodi occaſione pupillaribus Præfectis liquidã bonorum indicationem præſtare tenebuntur,eamque Cameræ codicillis inferri permittẽt,præſente eo,qui ex parentibus ſuperſtes fuerit;idq; intra præſcripti tẽporis ſpatium.

IV.

Nec cuiquam etiam,ſive mari ſive fæminæ,fas erit cum liberis dividere aut ſeceſsionẽ inſtituere,niſi apographo ſive, ut vulgo vocant, inventario comprehenſum ſcriptoque liquidè conſignatum cameræ tradiderit quidquid bonorum mobilium aut immobilium, domiciliorum, hæreditatum, redituum, navium,nummorum,actionum ſive dicarum,debitorum & non debitorum,quocunque hæc genere aut modo appellari poſsint, cuiuſmodi & ſunt,argenteæ ſupellectiles,Balthei,Ceimelia,veſtimenta,aliaque utenſilia, quæ vel marito vel uxori in dotem tradita,ſive maritus ſive uxor ad obitum uſque poſſederint. Idque iuramento confirmabitur, pręſtando coram pupillorum magiſtris, qui ad hoc denominabuntur : Niſi conſanguinei aut liberorum tutores,conſcijs & conſentientibus pupillorum magiſtris,ita cum parente alterutro ſuperſtite convenerint,ut, omiſſa eiuſmodi apographa ſive inventarij exhibitione, aliter ſibi agendum judicarent, declaratione nihilominus facta,uti ante poſitum.

V.

At ſi exhiberi ſibi apographam jam dictam cognati aut tutores poſtularint, tenebitur eam bona fide exhibere ac reddere qui ex parentibus ſuperſtes,aut parentum loco bonorum indicator fuerit. Eoque caſu ſi quæ bona ſilentio prætermiſſa, nec inventario illata deprehendentur ea abſque mora,aut oblocutione,liberorum commodo ac bonis cedent : niſi iuramento teſtari ſuperſtes,ſive quis alius bonorum index fuerit, id ſtudio haud factum eſſe, paratum ſe oſtenderit.

VI.

Si quis etiam affirmare præſumſerit nihil à defuncto relictum,pluſq; deberi, quã haberetur,ex facultatibus,nequaquam hoc modo is ſatisfecerit,nec a probatione ulteriori immunis eo nomine habendus,niſi apographam debitorum & nõ debitorũ legitimè intulerit; ex qua perſpicuè demonſtrari res poſsit:idque intra temporis jam ante dicti ſpatium:

tium: nisi inter consanguineos tutoresque, adsentientibus pupillaribus præfectis, inventarium sive apographam non exhibendam convenerit.

VII.

Quando autem ex amicis aut consanguineis nulli superfuerint, alteruter parentum superstitum, pupillarem Cameram intra tempus præscriptum accedere, præfectisque liquidam ac sufficientem apographam, eamque iuramento exhibere tenebitur.

VIII.

Si quoque usu venerit ut alteruter superstitum vel alius quispiam aliave à defuncto relicta bona posſidens, testamentum, defuncti prætenderit, exhibere nihilominus inventarium, asſignationemque præstare singulaque in tabulas Cameræ referre tenebitur.

IX.

Si quoque uterque parens fato functus fuerit, nec ullam liberis bonorum consignationem aut testationem reliquerit, tenebuntur qui à parte parentum, vel natu maximi vel etiam sanguine proximi censentur, asſignationem perhibitionemque relictorum bonorum facere; quo eosdem in codicillos omnia rite referantur.

X.

Ius etiam ac fas erit pupillorum præfectis bonorum asſignationem indicemque à parentum alterutro acceptare, si quando consanguinei tutoresque ter vocati non comparuerint.

XI.

Et si forte ab altera parte bonorum asſignatio liberis contigiſſet, id est, si parens de bonis maternis legitima asſignatione satisfeciſſet, tenebitur tum post obitum patris natu maximus, aut alias patri proximus coram pupillaribus magistris bonorum paternorum asſignationem indiciumque liberis facere: sicque vice versa, si mater de bonis paternis testata fuiſſet, tenebuntur post obitum matris natu maximi aut sanguine quã proximi de bonis maternis inlata asſignatione testari &c.

XII.

Quin etiam post peractam asſignationem omnia nomina, chirographa similesque tabulæ asſignatione comprehensæ, confestim in dicasterium pupillaris cameræ inferendæ, ut ibi depositæ custodiantur, etiamsi illæ pro parte ad alios etiam spectarent.

XIII.

Bonorum quoque eorum, quæ ad pupillos hæreditate devolventur, index in Cameram pupillorum inferendus, ut post testatoris obitum de portione pupillorum, quamvis communi cum alijs, decernatur &c.

XIV.

Similiter & legata, donationes, beneficia, aut quomodocunque ea nominare libeat, pupillis testamento relicta legataque in cameram & tabulas dicasterij inferenda omnia, intra tempus præscriptum.

XV.

Mobilia etiam omnia, ac supellectilia, itemque vestimenta, monilia, ceimelia aliaque eiusmodi, quæ liberis aut morte alicuius aut alias asſignatione atque hæreditate obvenerint, publica auctione distrahenda ac divendenda pretio quam potest maximo: Nisi aliter amici ac consanguinei, rationibus apud præfectos pupillorum allatis, iudicaverint.

XVI.

Quicunque sive genitor sive genitrix liberis suis certam pecuniæ summam aſſignatam reliquerit, tenebuntur eandem summam continuo in cameram pupillorum deponere, ut commodo liberorum de ea statuatur. Aut si parentes ipsi summam servare voluerint, pro ea solidam ac certam hypothecam aut pignus dabunt aut saltem fideiuſſorem plenarium: idq; iudicio atque arbitrio pupillarium præfectorum eorumq; qui liberis tutores constituti fuerint.

XVII.

Si quis se refractarium præbuerit, aut quæcunque hactenus super bonorum assignatione, hæreditatibus, legatis alijsque ad pupillos pertinentibus dicta fuerint, exequi aut obtemperare tergiversatus fuerit, ei per scabinos duos imperabitur publicoque interdicetur, donec obsequentem se probaverit &c.

XVIII.

Fas denique Cameræ præfectis erit per secretarium proprium, elapsis, que præfinitæ fuerant, hebdomadibus sex, in ædibus refractarij, præsentibus consanguineis atque amicis, bonorum ad pupillos spectantium indicem constituere.

XIX.

Vbi verò peste quis aut simili contagio obierit, satisfactum esto, si intra hebdomadas 12 testatio bonorumque index suum in locum delatus productusque fuerit.

XX.

Si autem pupillorum consanguinei peregre agentes intra præscriptum tempus accedere minus commodè poterint, certum tempus ad eos convocandos, qui bonorum assignationem instituet, postulare tenebitur.

XXI.

Omnis bonorum accessio augmentumque, qualecunque parentum alterutri post assignationis tempus obveniat, tam in liberorum quam parentum commodum cedet.

XXII.

Omnia redituum, aut alias onera, quæ parentum alteruter ante assignationem sibi conciliaverit, cedent in detrimentum solius parentis.

XXIII.

Quicunque novas nuptias, absque bonorum assignatione liberis facta, auspicetur, octavæ partis bonorum summam multæ loco dare tenebitur, eaque mulcta liberis relinquetur.

XXIV.

Quicunque liberi aut patre aut matre orbati fuerint, orphani & infantes, id est, minorennes nec suæ potestatis censebuntur ad annum usque xxv: nisi coniugium aut alias ecclesiasticum vitæ genus auspicati, aut deniq; cõsensu atque arbitrio pupillarium magistrorum consanguineorum ac tutorum emancipati ac iuris sui redditi fuerint.

XXV.

Si quoque pupillorum præfecti cognatique certas ob causas quempiam, qui iustam quamvis ætatem haberet, vel etiam conjugium auspicatus esset, tutelæ inspectione nequaquam liberandum ex usu putent, eiusmodi sub patrocinio retinendus, nec tabulis cameræ eximendus aut expungendus est.

XXVI.

Quandiu pupilli alijque sub tutela existunt inque tabulas pupillorum relati permanent, bona sua divendere, distrahere, pignori dare, gravare aut ullo pacto abalienare nequaquam licebit, nisi Præfectis pupillaribus amicisque ac tutoribus consultum hoc videretur, diserteque in id consenserint.

XXVII.

Si quis verò cum pupillis præscriptis alijsque adhuc sub tutela agentibus, nec ex tabulis cameræ etiamnum expunctis mercetur aut contrahat: aleamq; exerceat, aut quidquam denique credat aut mutuo det, absque præfectorumque, uti dictum, consensu, ultra stupheros viginti, nullius id nominis aut pretij censebitur, nec de eo ad jus provocare, quacunque etiam ætate pupilli fuerint, fas esto, imo & ij qui eiusmodi vel credunt pecunias, vel mutuo concedunt, aut denique aleæ chartarumq; aut simili lusu ab ijsdem aliquid lucrentur, multæ arbitrariæ obnoxij habebuntur.

XXVIII.

Pupillorum nomina, qui in tabulas seu codicillos vel relata aut referenda adhuc venient

nient: ſimulque quidquid pro hæreditate per utrumque parentem aut alium quemcunque in commodum liberorum aut illatum fuerat aut inferetur, licebit per pignus ſolutum & proprium exigere, agendo adverſus eum, qui debitum fatetur, idque eiuſdem ponderis erit, ac ſi in iudicio confeſtim & coram Scabinis tranſactum fuerit.

XXIX.

Similiter & conventa contractuſque omnes, fideiuſsiones, cautiones aliaque eiuſmodi quæcunque in cauſa pupillorum aliorumve (quorum bona in Camerá pupillorum depoſita conquieſcunt) apud pupillorum præfectos tranſigentur, eiuſdemque erunt ponderis, quo ſuperiora.

XXX.

Inſtrumenta, chirographa, literaſque quæcunque ad pupillos pertineant, inque codicillis cameræ ſerventur, nullo pacto aut inverti aut aboleri aut antiquari fas eſto.

XXXI.

Tenebitur porrò parentum alter ſuperſtes liberos ex bonorum aſsignatorum proventibus, quamcunque etiam illi exigui fuerint, filios ad annum uſque XVIII; filias verò ad XV alere atque educare; Nec quidquam interea ex fructibus eorum bonorum, quæ vel teſtamento vel alias liberis obvénerint, participare poterit.

XXXII.

Vbi effluxerit præſcriptum educationis tempus, non exſolvetur tamen educationis onere ſive parens, ſive mater, niſi amicis & conſanguineis præſentibus id pupillorum præfectis expoſuerit. Qui exinde, prout res exiget, de eo pronunciabunt.

XXXIII.

Si forte contigerit pupillos nequaquam eo, quo conventum erat, modo, aut habitos aut educatos; aut ſi minus ex re eorum fore cenſeatur diutius ſubſiſtere vel apud parentem vel conſanguineos vel alios, quoruncumque convictui aut inſpectioni concrediti fuerunt, ſemper integrum erit, adſentientibus pupillaribus præfectis, eos convictu eiuſmodi aut conditione exſolvere, perſoluto, quod debebatut, pretio; atq; alibi de loco ac victu ipſis magis idoneo proſpicere. Et ſi idem hoſpes, aut alius quiſpiam, bonorum ad pupillos pertinentium poſſeſsionem aut uſum fructum penes ſe retinuerit, ea intra menſem reſtituere tenebitur &c.

XXXIV.

Et ſi forte comperiretur, fructus ſive reditus aſſignatorum bonorum grandiores eſſe, quam expenſum, quod in victum, amictum atque honeſtam pupillorum educationem quotannis erogatur, amici & conſanguinei, ex conſenſu præfectorum, cum alterutro parentum ſuperſtite in certam ſummam, quod ad educationis expenſas quam poteſt, conditionibus æquiſsimis, paciſcentur.

XXXV.

Quantum attinet ad tutelam ipſam, cuius hic maximè habenda ratio: ante omnia liberorum ſuperſtitum pater, vir honeſtus & frugi liberorum tutor eſto; bonorumque inſpectionem atque adminiſtrationem diligentem habeto; Niſi ex pacto convento parens in bona liberorum ſuccedere nequierit; Tum enim adminiſtratio demandabitur proximo agnato ex liberorum hæredibus modò is & vir & urbis incola ac civis fide dignus habeatur; nec ætatis provectioris aut alias corpore inhabili, qualem cameræ præfecti inutilem atque imparem eiuſmodi provinciæ judicent &c.

XXXVI.

Inhibetur interea ne fæminæ, ſive ipſa mater ſive avia, ullum tutelæ munus aggredi præſumant: permittitur nihilominus matrem aut aviam ei rei idoneas, ut adminiſtrationem ſuſcipiant, ſi ita eis videbitur, bonorum vel ad liberos vel nepotes pertinentium: idque arbitratu pupillarium præfectorum tutorumque, modo hæredes liberorum ipſæ ſint, aut aliquam ex ijs ſucceſsionem exſpectent, quomodo de patribus iam ante relatum fuit, fietque id ipſum ſub cautione nihilominus ac ſatiſdatione nec non renunciatione beneficij Velleiani aliarumque immunitatum ac legum ad fæminas ſpectantium.

XXXVII.

Quæ tamen patris,matris aviæque administratio haud ulterius extenditur,quam ad novas eorundem nuptias. Et si contingat ex illis quempiam nuptias repetere non reddita prius administrationis ratione, asſignatione,ac reliquatione, obstringentur etiam atque in hypothecam venient bona eius, qui eiusmodi duxerit.

XXXVIII.

Si quoque usu fortasse veniat neminem ex consanguineis superesse, qui tutelam pupillorum bonorumque administrationem suscipiat,alius quispiam,vir probus & honestus, à præfectis pupillaribus, Consulum arbitrio ac consensu designabitur, qui provinciam eam,accipere tenebitur,nisi legitimas ac justas rationes proferre valeat,quibus haberi excusatus possit : aliàs recusanti multa posita est.

XXXIX.

Omnes similiter pupillorum tutores bonorumque facultatum pupillarium administratores accepti expensique & totius denique administrationis rationes reddere in camera pupillari, petentibus id amicis pupillorumque præfectis, semper tenebuntur: Refractarijs, & quotiescunque id renuerint,XII florenorum mulcta imperabitur.

XL.

Tutoribus insuper pupillorum aut redituum pupillarium administratoribus seu collectoribus in salarium cedet nummus quadragesimus ex redituum accepto; Ex summa vero principali exoneratorum redituum, ædiumque aut hærediorum venditorum aut similium bonorum nummus sexagesimus.

XLI.

Quod similiter nec pupillorum præfecti nec tutores aut bonorum ad pupillos spectantium administratores ullas pecunias faciendis nominibus dare alij aut concedere sustinebunt, nisi prius literas consignatas & vades seu fideiussores idoneos binos habuerint;quorum uterque simul, & seorsim etiam per se unusquisque ex ijs, acceptorum nummorum solutionem præstabit.

XLII.

Si etiam contingat pupillos, quibus parentum neuter superstes sit, tantum ex reditibus accipere haud posse,quantum ad victum atque amictum ipsorum sufficiat, tum eorundem Tutor bona,tam mobilia quam immobilia, divendet atque in æs conflabit: Atque exinde arbitrio Cameræ præfectorum, constituetur quod ex re atque usu liberorum quam maximè futurum censebitur.

XLIII.

Bona item pupillorum indivisa & communia servabuntur, donec eorum aliquis sui iuris redditus fuerit : nisi aliter à parentibus decretum aut à pupillorum magistris, aut amicis ac Tutoribus denique, certis de causis contra statutum foret &c.

XLIV.

Bona pupillorum,qui annos sedecim absentes ac defuncti fuisse probabuntur,tollere ac dividere propinquis fas esto; sub conditione tamen, & fideiusſione adhibita restituendi eadem bona, si aliter postmodum compertum fuerit.

XLV.

Non etiam cuiquam fas esto, pupillorum causas ac controversias in ius vocare nisi Consulum & eorum, qui à Magistratu tutelares magistri constituti sunt,arbitrio.

XLVI.

Accusationes pupillorum quacunque etiam de causa non apud Curiæ judices, sed pupillorum magistros instituendæ.

XLVII.

Controversiæ quæcunque apud pupillorum magistros instituuntur, summatim ac sine scripto finientur, antequam eæ ad scabinos Curiæ deferantur. Et si quis sententia apud pupillorum magistros pronunciata sibi satisfactum non censeat,rem in ius vocare tenebitur intra spatium dierum XIIII.

XLVIII.

Acta tabulæ ſimiliaque Cameræ pupillaris inſtrumenta ac ſcripta ſecreto habenda.

XLIX.

Quicunque à pupillorum magiſtris vocatus citabitur, accedere tenetur.

L.

Conſules denique urbiſque magiſtratus pupillorum præfectis manum commodare & re conſilioque adeſſe ad id rogati nunquam defugient.

LI.

Multarum, quæ imperabuntur, ſingularum pars tertia una principi, & una urbi atq; una denique pupillorum præfectis cedet.

CAP. IIII.

Aſſecurationis dicaſterium totiuſque contractus illius ratio.

QVARTO loco, quos poſui, Aſſecurationis magiſtri, ſive dicaſterium verius, augeſcentibus indies ac longè lateque ſe extendentibus oppidi commercijs, inſtitutum anno 1598: Eiq; tres, præter ſecretarium & ſcribã iuratum ex magiſtratu viri ſpectatiſsimi quotannis præficiuntur, remanente ſubinde aut uno aut altero ex prioribus, prout viſum conſulibus fuerit. His cauſas & cõtroverſias ex eo negotio exortas iuxta legum, quæ de ea re latæ habentur, præſcriptum & ventilare ac decidere permiſſum: cum & omnes eiuſmodi contractus coram ipſis, literis ſignatis, perfici debeant. Quin & eidem Cameræ fas etiam cauſas decidere ex aſſecurationibus extra oppidum ortas, modò relativè ad hanc ſive burſam ſive Cameræ dicaſterium ſpectaverint, aut alias à parte adverſa ad Cameræ huius forum delatæ fuerint. Excipiunturque perpetuo ac loco nullo habentur aſſecurationes illæ, quæ de vita quarumcunque etiam perſonarum, aut de itineribus aut peregrinationibus alicuius ad oras longinquas animi cauſa ſuſceptis, inſtituuntur. Tantum eas valere & eo loci agi ac tractari volunt, quæ de rebus & mercibus terra aut mari ultro citroq; perferendis tranſiguntur: Quod in hunc fere modum fieri conſuevit: Mercator, cuicunque aſſecurare quidquam in animo eſt, non ſemper navim univerſam cum onere integro, ſed eius ſępenumero portionem tantum aſſecurationi permittit, reliquum ſuo periculo reſervans. Quo ſtatuto, alium aliquem unum aut plures, ex negotiatioribus compellat, aut ſuo nomine compellari per alium facit, ſe in eiuſdem navigio, nomine & naucleto exiſtente tali (addito quoque, ex quo & in quem ſolvere portum navis deſtinaverit) conſtituiſſe florenorum aliquot millena ſibi aſſecurare. Idque ubi alius in ſe receperit, in ſingulos centenos florenos, octo, aut decem aut pluribus (prout paciſci inter ſeſe queant, aut communis tunc uſura, aut periculi etiam ac rei ratio poſtulare videatur) pactis florenis. Eoque peracto inſtrumenta ac literæ coram Cameræ aſſeſſoribus conficiuntur; quas ſuã manu unus aut plures, quid & quantum aſſecuraverint ſinguli addentes, ſubſcribunt, ſtatimque ijſdem ſumma, quanta unicuique ex pacto debetur, ab aſſecurato annumeratur. Atque (quod & literis dictis inſeritur, quas *pulice* à pollicendo, ut videtur, appellant) profitentur ſanctéque teſtantur ſe incidentia omnia pericula & caſus fortuitos in ſe recipere ab eo tempore, quo navis ſolvit, vel aſſecuratio inſtituta fuit; tutum ſcilicet & indemnem, quem aſſecuraverunt, ab aqua, igni, tempeſtatibus, amicis, inimicis ab arreſtis Regum, Reginarum, principum, dynaſtarum, rerumpublicarum: à negligentia vel nautarum vel nauclerorum alijſque ſimilibus caſibus atque infortunijs; quæcunque aliquo modo obvenire navi aut mercibus nominatis queant, nullis exceptis, ſeſe nimirum in aſſecurati locum conſtituentes & eum ut dixi, per omnia à periculo immunem fore ſeque id prękituros pollicentes. Vbi deinde ſalvam & feliciter eam navem appellere contingit, aſſecuratores, reſervato quod ſibi acceperint, aſſecurationis eum contractum irritum ſtatim reddi atque

expungi finunt. At econtra si perire naufragio, aut alias, eandem navem accidat, teneantur tum singuli, quodcunque & quantum subscripserant, mercatori, qui assecurari navem fecerat, præsenti pecunia totum restituere; ea tamen lege, ut navigium ipsasque naufragij tabulas, & quidquid ex ijs commodi adhuc ad assecuratores redundare fortasse posit, mercator siue assecuratus in universum vicisim permittere assecuratoribus teneatur.

Vsi autem in rei huius explicatione sumus voce trita, & qua iurisconsulti, hodie recentiores pasim etiam uti constat, cum veteribus & prisco seculo eiusmodi periculorum, ut sic dicam, præstationes notæ non fuerint. Nam ijdem iurisconsulti dubitantadhuc disputantque cuiusnam rei contractus assecuratio habenda sit. Et inter eos Petrus Santarenensis & Antonius Valascus, inter Lusitanos iurisperiti doctisimi, huc tandem accedunt ut statuant esse assecurationem quendam emtionis ac venditionis cōtractum, quod in ea æstimentur merces, quæ postea solvuntur; & quia olim etiam apud antiquos, ut habent iurisconsultorum responsa, iactum retis emi & vendi pro more solitum sit & fænus quoque nauticum ijsdem nominatum omnibusque permissum fuerit.

CAP. V.

De mensa collybistica eiusque præfectis: vulgo Commissarissen vande VVisselbanck.



HVIC dicasterio proxima est mensa argentaria, sive collybisticam potius dicere libeat, cuius præfectos qui tres numero sunt, Commissarios vulgò nominant. Ante triennium demum ipsum institutum obtinere cæpit, abrogatis atque inhibitis ceteris omnibus, quicunque ex civibus huic pasim negotio operam suam ac studium impendebant. Haud minimum hodie & emolumenti & commoditatis hanc rationem publicis commercijs adferre constat. Nam præterquam quod nummi & monetæ omne genus legitimo & æquabili hic prætio haberi, eorumque permutatio fieri, & facili & haud magno impendio posit, etiam maximum in tesseris collybisticis, quas *Wissel-brieven* vulgo nominamus, usum obtinet. Nam mercatores plerumque paratam, quam habent, pecuniam in hanc veluti publicam custodiam deponunt: & quantum cuique ibi in arca sit publicè à scribis in tabulas refertur: Et si contingat literas Cambiæ seu collybisticas alicui mitti, ex summæ portione, quam illatam habet, tantum quantum sufficiat, aufertur, & nomini ac summæ alterius vicisim apponitur. Quin & cambiæ, ut vocant, literæ omnes si tempore suo non persolvantur per apparitorem Cameræ contra tergiversatores ac tricones eiusmòdi nummarios protestatio confestim instituitur. Adeo ut ingens perpetuo apud hos, ut sic dicam, publicos gazophylacas, auri vis & deponatur serveturque.

CAP. VI.

Matrimonialium causarum disceptatores seu dicasterium.



VLTIMO loco nobis positi matrimoniāliū causarum disceptatores, sed in tanta urbis frequētia ac populo, apprime necessarij. Hi vulgo Cōmissarij nominantur, & quatuor aut quinq; numero à Cōsulibus è medio magistratus designati; &, legitimo exinde apud senatū iuramēto præstito, approbati, singulis hebdomadib⁹ diei, qui Sabbathi dicitur, hora prima pomeridiana, nō quidē in Curia, sed tēpli adyto, Sacristiā vulgo vocant, conventū ac senatū celebrāt. Tenenturq; eodē accedere quicunq; nuptias auspicaturi sunt, ut datis nominibus, & ceteris, quæ eò spectant à Cōmissarijs accuratè disquisitis, proclamatio vicibus tribus, id est tribus ordine Dominicis diebus, finita publica concione, rite instituatur: Aut si qui alius animi ac religionis sint, nec in ecclesia proclamationem fieri velint,

velint, eorum ex Curiæ podio, ad nolæ pulsum tribus similiter consequentibus dominicis diebus, & nomina & munia & habitationis locus publicè promulgatur, hac ubique cautione vel petitione potius adddita, ut, si qui forte reperiantur, qui iustas rationes inferre valeant, quibus eiusmodi personis ius connubij negandum esset, eas Commissarijs, antequam solennia nuptiarum celebrari contingat, significatas velint. Sententiæ autem quæcunque à Commissarijs in eiusmodi controversijs pronunciantur, eæ executioni mandari primo solent per multam pecuniariam: Atque inde, si accidat aliquem animo nihilominus obfirmato perdurare, & imperatis neutiquam satisfacere, tum instituitur pet officiarium actio in morem interdictionis gravior aut mitior, prout Commissarijs ex delicti ratione videbitur, ut nimirum, vel publico vel foro aut consueta negotiatione eidem interdicatur, donec imperata fecerit: si nec sic quidem aurem præbuerit, vicibus singulis, quibus interdictum contemni deprehensus fuerit florenis quinque multatur, extemplo numerandis: Nisi forte sententia per Commissarios lata sibi non satisfactum afferat, & ad Scabinos seu iudices Curiæ intra dies decem de ea provocarit: Id enim integrum cuique relinquitur: ea tamen lege, ut florenos tres apud tribunal multæ loco deponat, si Commissariorum sententia fuerit comprobata, si verò retractata floreni numerati eidem restituuntur. Statuta porrò ac leges matrimoniales, quia hoc loco tædiosum foret sigillatim recitare & non urbi tantum sed provinciæ toti dicatæ scriptæque sint, ad eas ipsas lectorem earum cupidum remittimus.

CAP. VII.

De reliquis urbis muneribus atque officijs.



EST deinde & Curiæ syndicus, vir legum & iuris peritissimus, vulgo Pensionarium appellari consuetudo obtinuit. Hic cum liberali reipublicæ ornetur stipendio summaque dignitate atque autoritate polleat, id præcipuè curæ habet, ut Senatui non tantum in iure dicundo, sed & aliàs consilio adsit, & eiusdem orator adeoq; universæ civitatis veluti advocatus & si usus postulet, etiam legatus audiat. Eum nunc locum, dum hæc scriberemus, exornabat amplissimus & consultissimus vir ALBERTUS VERIUS, nobis honoris hic causa nominandus: Qui & nuper ad serenissimum magnæ Britanniæ regem, inter ceteros, legatus missus, atque equestri ab eodem dignitate honestatus cum laude, & re feliciter gesta domum redijt. Ab eo proximè recensendi secretarij quinque; Quorum unus pupillorum præfectis assidet: & alter ex ijsdem senatui à secretis est, iudicumque sententias omnes colligit easdemque in acta redigit: Reliqui scribendis epistolis & custodiendis decretis alijsque publicis chartis toti vacant. Et habet præterea Senatus Consulesque suos accensos & apparitores viatoresque nec non ministros publicos qui præsto magistratibus omnibus, pro loci & rei conditione, semper adsunt, eorumque imperata exsequuntur. A Consulibus porrò leguntur quoque designanturq; quotannis ex civium honestissimis Elemosynarij illi, quos pauperum domi sedentium alimoniæ curandæ præpositos superius indicavimus: quemadmodum & ceteri, qui vel Orphanotrophio vel Nosicomijs aut gerontotrophijs ceterisq; ædibus atque institutis publicis operam suam ac curam impendere consueverunt. Earumque ædium omnium ratio atque administratio universa cum à nobis satis superque iam ante explicata fuerit, hoc tantum adijci hìc possit, eiusmodi provinciæ, etiamsi viris non quidem senatorij ordinis, sed ex civium tantum numero, ut diximus honestissimis cõmendari soleant, viam nihilominus, ijsdem ad honores senatorios in tempore capescendos sternere plerumque ac munire. Sunt & vectigalium Præfecti quos *Excys-meesters* appellare indigenæ solent. Hi ordinarij, ut plurimum, ab urbis Consulibus ei negotio ex civium spectatissimis præficiuntur; Cervisiæque ac frumenti tributum colligunt redduntque Thesaurarijs rationem. Qui & in eos plerumque assignationes redituum præsertim instituere consueverunt. Vectigalia verò atque impostæ ceteræ, ad evitandas fraudes, quod res alias immensi laboris foret, publicanis elocantur. Addendi his, aut loco potius priori enarrandi fuerant, qui sagittariorum classibus ceterisque, quæ ad militiam spectant, cum imperio, ad hoc à magistratu designati, præsunt: vulgo Consilium militare sive *Krijsraedt* appellari

Pensionarius.

Secretarij.

Accensi & apparitores.

Elemosynarij.

Xenodochiorum præfecti.

Vectigalium præfecti.

Consilium militare.

pellari maiores voluerunt. Constant hi ex Colonellis duobus & tredecim capitaneis reliquisque officiarijs: quos merito, cum reliquo corpore junctos, robora & nervos reipublicæ dicere liceat. Nam sive comprimenda seditio, vel arcenda hostilis incursio armati adsunt: sive denique ornandus principis adventus, vel novi inauguratio decoranda, tum verò honoratæ custodiæ ac solemnis vicem præstant. Accessit eis annis superioribus ex milite mercenario veluti supplemētum quoddā, qui ut essent civium onera atq; excubiæ faciliores, seorsim & locis certis ac destinatis vigilias agunt magistratuiq; ad nutum obsequuntur. Et præter hos honeste non tantum sed imprimis necessaria cōmercijs est procuratio eorum qui pannos inspiciunt, de coloribus ac tinctura iudicant sententiamq; edunt: Horum enim relinquitur arbitrio sive probāda hæc sive rejicienda veniant. Sed de his quoque superius, ubi de area, sive *staelhoff*, ut appellant, loqueremur, plenius dictum fuit. Ædilium, apud veteres, varia fuerunt officia ac munia, cum non annonæ tantum, sed & urbis ac ludorum solemnium curatores essent; Hodie qui apud nos *Keurmeesters* nominātur, licebit ædiles cereales dicere quod horum præcipue munus sit annonæ curam gerere vendentiumque fraudes coercere; ne videlicet panis iusto levior aut minor, aut alia similia per fucum ementibus obtrudantur: Talibus enim multam imponunt, aut merces ipsas, si improbæ esse deprehendentur, in fiscum auferunt: Nec absimiles illis sunt, quos *Yckmeesters* vernaculo urbis idiomate appellant, quod signum sive notam mensuræ tudiculâ indunt. Curatores autem urbis, quos Romani nominabāt, nostri fabricæ præfectum magistrumve dicunt, quod ea omnia quæ ad urbis ædificia spectent, curæ habeat: Qui vero ad limites & urbis regiones pertinentia curant, vulgo *Roymeesters*, sive agri mensores magistrosq; appellare cives in more positum habent, quod regionum & platearum, an rectè sibi invicem respondeant; & nequis ædificans publicè privatimve vicorum symmetriæ vitium faciat: ne canalibus & aquæ ductibus publicis impedimentum quod obijciat; aut aliorum luminibus officiat, diligenter & quātum in se est studiose provident. Sunt & vicorum sive incendiorum magistri, qui oppidi singulis regionibus veluti præfecti quidam constituti sunt, ut, re poscente, in commune consulant. Hi præter ceteros, quos sibi administros adsumunt, scalarum, hamarum aliaramque rerum ad incendia exstinguenda comparatarum curam gerunt: de quibus cum iam ante, ubi de incommodis urbis atque incendijs diceremus, satis dixisse nos putē, hic vel obiter innuisse sufficiat. Sunt & alij minorum gentium magistratus, & inter ceteros publici Armamentarij, id est est, tormentorum pulverisque nitrosi totiusque bellici instrumenti & huc pertinentis apparatus, tum & vigilum, alijque præfecti, quos referre hoc loco sigillatim prolixum nimis foret.

Pannorum præfecti. *Keurmeesters ædiles.* *Yckmeesters.* *Fabryckmeesters.* *Roymeesters.*

CAP. VIII.

De quæstoribus ac Thesaurarijs extraordinarijs, itemque Admiralitatis collegio.

HÆc fere intra urbem præcipua sunt munia, quorum penes Consules est electio. Ordines autem ipsi, cum, ut supra meminimus, plurimas etiam & ingentes ex vectigalibus, sive impostis intra urbis pomæria pecunias accipiant, earum ex magistratu aut civibus spectatissimus Quæstor ab ijs constituitur; ad quem omnis ea pecuniæ vis defertur. Vnde & expensi acceptique rationem, non urbi, sed provinciæ idem reddit. Nec ex vectigalibus modò, sed oneribus etiam & locationibus ædium nummus circiter quinquagesimus ad publicam provinciæ rationem redit: Eiq; collectæ, præter cætera; Thesaurarij, qui extraordinarij nomine veniunt, ab ijsdem præficiuntur: habentque ij consessum, & veluti dicasterium suum, in ipsa urbis Curia. Et cum magni quoque momenti ea provincia sit, non nisi civibus insignioribus deferri solet: & quo ab ijsdem sustineretur alacrius, aut demandatam ne defugerent, emolumentum etiam debitum oneri adiunctum est. Sic & Admiralitatis Collegium, quod in urbe etiam est, & maris maritimorumque vectigalium atque expeditionum, quæ mari suscipiuntur, curam agit, ab Ordinibus similiter, non verò civitatis magistratu, mādata habet. Maximæ sunt, & reipublicæ totius haud postremæ & vires & opes penes hoc collegium censendæ, si totum consideretur: Nam & distinctū id est in minora collegia, veluti mēbra totius

Quæstor & Thesaurarij Ordinū. *Admiralitatis collegium.*

totius,secundum provincias singulas; ita ut unum, & ob navigationis commerciorumque frequentiam, præcipuum hoc loco habeatur; alterum in Selandia Middelburgi; Tertium Roterodami, quartum Hornæ vel Enchusæ, quintum Doccomi in Frisia:Eæq; provinciæ omnes, vice versa unum ex suis virum spectatissimum ac prudentissimum cuiusque loci collegio assessorem mittunt. Qui autem pecunijs illis sive navium mercimumque omnium portorijs colligendis ab ijs designantur, *Convoymeesters*, quasi publici commeatus præfecti appellantur; Quod hisce pecunijs, maritimarum expeditionum omnium onera, tum & prætoriæ illæ naves quæ ad perducendos in tutum receptum negotiatores navigiaque cetera, instrui atque apparari soleant: Et, præter hæc, adest eidem Admiralitatis dicasterio exceptis amanuensib. & scribis, Secretarius & fisci Advocatus. De quibus alijsque singulis accuratius hic dicere lõgum nimis,& extra rem esset. Est postremò & Balivus,qui quamvis intra urbem agat, ruri tamen in agro urbi vicino causas audit; quamquam & intra portas jus illi dicere liberali causa nõ negetur. Ab eius sententia,si quis acquiescere nolit,tantum Amstelodami provocatio instituitur; ibique quod à Scabinis statutum fuerit firmum immoteque tenendum. Alberti Hollandiæ Comitis diploma in archivis urbis servatur,quo sancitum quoque ut balivus Scabinis iuramentum præstet. Cuius diplomatis etiam superius suo loco meminimus. *Balivus.*

CAP. IX.

Ecclesiastici status Ratio.



TALIS propemodũ civilis in universum oppidi administratio: Sequitur nunc Ecclesiastica. Olim,cum adhuc inveteratis longo ævo Pontificijs superstitionibus omnia tenerentur, fuere ut initio ostendi, parochiales urbis Ecclesiæ duæ,veteris nimirum una,& altera novi lateris,cum fanis insuper tribus aut quatuor ac monasterijs quam plurimis: ut hinc Allardum in Annotationibus, quas ad Rodolphum de inventione Dialectica edidit,religiosi epitheto Amstelodamum suum donasse existimandum sit. In hisce parochijs seorsum vigebant Ordines illi,qui tum mundò pro re eximia,& quasi sacramentis commendabantur. Habebant enim gradus seu Ordines septem Ecclesiasticos,sacramentorum septenario numero solemniter insignitos,cuiusmodi erant,ostiarij,lectores, Exorcistæ,Acoluthi; Diaconi, subdiaconi,sacerdotes.quamquam alij acutiores non septem hos ordines,sed novem faciebant,ad similitudinem ut aiebant,triumphantis Ecclesiæ. Et inter eos nonnulli clericalem tonsuram volebant esse primum omnium ordinem,Episcopatum ultimum. Alij exclusa tonsura, Archiepiscopatum tantum Ordinibus annumerabant. Distinguit autem Isidorus facitque diversos psalmistas & lectores,illos cantionibus,hos legendis scripturis præficiens,quibus plebs erudiretur. Et hęc, ut primo quidem institutionis ævo colorem aliquem ingenuitatis præ se ferre videbantur: Ita sequentibus annis cum jam in peius omnia corruerent; Et belgicis deinde mutationibus occasio divinitus præberetur, institutis passim in urbibus ac provincijs vicinis novis episcopatibus alijsque talibus displicere hæc omnia populo meliora jam sparsim edocto, & ad ista nauseanti quodammodo, cæperunt. Animadvertebant enim non prudentores modò,sed & vulgo jam percrebuerat, vana hæc esse, & ad fucum populo faciendum nomina. Videbant quoque creari eximia pompa & magna solemnitate lectores,psalmistas, ostiarios, acoluthos,sed ad ipsa ministeria exequenda,vel pueros, vel certe laicos,ut appellabant,præfici; Diaconatus munus nihil minus esse,quam quod audiret, cum illud non ad ministrandum egenis,sed ad histrionicos suos ludos exercendos adhiberent: Episcopum etiam solum videbant Diacono, qui ordinaretur, manum imponere; orarium & stolam super levum humerum collocare,ut intelligeret se accepisse jugum Domini leve: aliaque similia in his alijsque ordinandis exercere, quæ ad eos non magis facerent,quam si quis Apostolos se instituere dicens, eos duntaxat adolendis thuribus,simulachris poliendis,cõverrendis templis,fugandis canibus alijsque eiusmodi munijs præficeret. Similiter & sacerdotium eorundem non sacramentum,ut illi interpretabantur,sed impietatem esse cernebant,cum ipsi sacerdotes injurios se Christo quotidie exhiberent in offerendo placationis hostiam,quam ipsemet Christus in cruce semel obtulisset. Episcopos denique & presbyteros eiusmodi fieri dolebant,in quibus

non doctrinæ aut morum, sed ne ætatis quidem ratio habebatur, cum etiam pueri vix decennes, Papæ concesfione, Epifcopi fubinde renunciabantur. Quin & in eligendo totum illud Ecclefiæ jus populique confenfum fublatum quiritabantur: vota, fubfcriptiones & omnia eiufmodi evanuiffe; & ad folos canonicos, veluti ad triarios quofdam, rem eam omnem ac poteftatem tranflatam: & eos in quem vellent contuliffe epifcopatus: electumque mox in confpectum ecclefiæ plebifque productum, non ut examinandum, fed fulgore fuo & habitu quafi adorandum. Hæc illius feculi feu vitia feu mores pafsim erant: At poftmodum, anno nimirum 1578, cum, ut fupra memoravimus, in Auraici poteftatem fe cives ac Civitas dediditfet, abrogata eft omnis illa hierarchia Romanique papatus fuperftitio; furrogatique facerdotum loco Ecclefiæ miniftri, qui fuffragijs eiufdem ecclefiæ, volente ac probante fenatu, lecti ex verbi divini præfcripto populum docerent. Et hanc exinde miniftrorum electionem, non pro arbitrio aut more gentis, fed ad fcripturæ facræ normam ita formatam, eundem quoque in modum hodieque & fartam tectamque frequentant. Nam ut his aut illis olim gentibus monarchicus aut ariftocraticus ftatus, alijs democraticus, prout vifum, & è re effe, putaretur, receptus atq; approbatus fuit; ità hîc nequaquam res geritur; fed illud unum perpetuum ratumque habetur, quod Apoftoli atque Ecclefiæ primitivæ ufus, quafi exemplar obfervandum pofteris reliquit. Quamvis haud deeffe me latet, qui etiam literarum autoritate ad unum
Tit. 1.5. aliquem hoc jus transferendum ex eo defendant, quod Titum Paulus moneat, ut oppi-
1.Timoth. 5,22. datim in Creta presbyteros conftitueret; & Timotheum, ne manus cuiquam cito imponeret. Sed falluntur ij, fi putant vel Timotheum Ephefi, vel Titum in Creta regnum exercuiffe, ut fuo uterque arbitrio omnia difponeret. Liquet id ex locorum fimilium collatione, & præfertim ex Actis, ubi Lucas conftitutos effe per Ecclefias presbiteros à
Act. 14.23. Paulo & Barnaba refert, fed modum & rationem ibidem addens, dicit factum id effe fuffragijs, indicante hoc etiam eo loci Græcanica dictione, χειροτονήσαντες. Barnabas enim & Paulus creabant; fed tota multitudo, ut mos Græcorum in electionibus erat manibus fublatis declarabant, quem habere vellent. Quod nec apud Romanos hiftoricos infolens eft, ut qui comitia habuerit, creaffe dicant novos magiftratus, non aliam ob caufam, nifi quia fuffragia receperit, & reliquos moderatus fit in eligendo. Si ergo fuffragijs ufus eft ipfe Paulus, quis Timotheo & Tito plus eum cócefsiffe, quã fibi ipfe, iure dixerit?
Act. 1. vite 6. 2. Nec aliter etiam ijfdem in Actis Mathias Apoftolorum adfcribitur collegio, & feptem Diaconi creati, nifi populo vidente & approbante. Hinc Cyprianus in epiftolis contendit facerdotem, plebe prefente, fub omnium oculis deligendum & dignum atque idoneum publico iudicio ac teftimonio comprobandum. Et ut hîc fallere & falli unius, quamvis vel epifcopi aut presbyteri, judicium, atque electionem vetus ecclefia proclive iudicaverit, ita multò periculofius habendũ, fi ad unum aliquẽ principem aut magiftratum, quamvis Chriftianum, qui civili politiæ præeft, & ea occupatur, in qua & labi eum, nifi multis confilijs fulciatur, fæpe evenit, hocce negotiũ transferri contingat. Qui enim fapere hic ille & bene rem gerere perpetuo pofsit, in alieno fcilicet foro, ubi non de vitæ tantum, fed doctrinæ quoq; puritate agitur? Qua in re fudare plus fatis & laborare in rectè eligendo etiã eos fæpenumero videmus, quibus hæc provincia propria. Et hinc olim Arrianorum regnum exortum quis nefcit, cum principes hac parte regiminis fui limites migrantes pro libitu & fuafu adverfariorum, cõtra nitentibus tametfi legitimis Synodis epifcopos vel abdicarẽt vel cõftituerent? Vnde & inter alios, fcriptor licet ethnicus Ammianus Marcellinus ævò fuo, Liberium cum alijs recalcitraffe imperatoris Conftantij
Lib. 15. arbitrio, & nefas eum ultimum committere palam exclamaffe commemorat, quod Athanafium nec vifum nec auditum exilio multaret. Rectè ergo majores, Ecclefiæ primitivæ ufum retinendum hîc cenfuerunt, & effe hanc legitimã ac Dei verbo cõfentaneam miniftrorum vocationem quę & media via incedit, ubi ex magiftratus nimirum totiufq; populi confenfu & approbatione eliguntur qui vifi fuerint idonei: ipfique electioni præfunt, quos miniftros & feniores appellamus, ne quid per levitatem, vel mala ftudia à fingulis, vel per tumultum peccetur à multitudine. Pertinent huc etiam ieiunia & orationes, quibus ufos fuiffe fideles narrat Lucas quum presbyteros crearent. Nam cum intelligerent fe rem agere omnium maximè feriam, nihil tentandum putabant nifi cum fumma reverentia & folicitudine. Potifsimum verò preces ibi locum habuerunt, quibus Spiritus confilij & difcretionis à Deo petitur.

Conftat itaque univerfa ecclefiafticæ adminiftrationis ratio hifce præfertim munerum generibus, miniftrorum fcilicet & feniorum, adiunctis loco tertio diaconis. Ex quibus

bus ſeniores doctoribus ac miniſtris additi unum ſynedrion ſeu presbyterium conficiunt: Alterum conſtituunt diaconi. Vt ita duo hæc munia totum id regimen abſolvant: cum prioribus Eccleſiæ gubernatio, Diaconis verò pauperum cura committatur. Illi cenſuræ morum & exercendæ diſciplinæ cum miniſtris præſunt totiuſque eccleſiaſticæ eutaxiæ curam gerunt: coëuntque ſeptimanis ſingulis ſemel, aut ſæpius, ſi res requirat. Cooptatio eorum à toto collegio inſtituitur, eliguntur que non niſi prudentia neceſſaria & pietate ſanctaque vita ac fama inculpata præditi, nulla generis aut opum aut potentiæ ratione habita: quamvis, ut plurimum, è medio magiſtratus aliquem prioribus dotibus non indigentem adſciſcere ſoleant. Et quanta eorum antiquitus etiam prærogativa fuerit ex eo liquet, quod cum epiſcopis ſeu miniſtris promiſcue in eccleſia primitiva cenſerentur ſingulorumque vocabula indifferenter Apoſtolus accipiat. Vbi enim iuſſus eſt Titus conſtituere oppidatim presbiteros, continuò ſubijcitur, Oportet enim epiſcopum eſſe inculpatum; Sic & alibi plures in una eccleſia epiſcopos ſalutat, uno eodemque vocabulo & paſtores & presbyteros comprehendens: In Actis quoque convocaſſe refertur presbyteros Epheſinos, quos ipſe deinde ſua oratione epiſcopos nominat. Diaconorum ſimiliter & diaconatus crebra apud eundem mentio: qui nec veritus miniſterium & apoſtolatum ſuum aliquando diaconiam appellare. Propriè interea diaconos ſcriptura nuncupat, quos eleemoſynis colligendis diſpenſandiſque & curæ pauperum præficit eccleſia, & veluti œconomos habet ærarij pauperum. quemadmodum eorum origo, inſtitutio & functio à Luca in Actis deſcripta id indicat. Quum enim murmur excitatum eſſet à diſcipulis Græcis adverſus Hebræos, quod in pauperum miniſterio eorum viduæ negligerentur, Apoſtoli excuſantes ſe non poſſe ſufficere utriq; muneri, & prædicationi verbi & menſarum miniſterio, petierunt ab eccleſia ut eligerentur viri probi aliquot, quibus id operæ demandaretur, electique præter ceteros, Philippus & Stephanus; eoſque ſtatuerunt in conſpectu Apoſtolorum; qui cum precati eſſent, impoſuerunt eis manus. Hodie quoque ex integerrimis eccleſiæ civibus cooptati, ſtatis anni temporibus accepti expenſique rationes reddere conſueverunt in loco Eccleſiæ publico. Diverſi autem ab ijs ſunt, quos pauperum domi ſedentium curam habere ſupra dixi. Nam licet & ij à promiſcuo eccleſiæ cætu collectas accipiant, hoc tamen diſcriminis eſt, quod à Conſulibus illi, hi eligantur à presbyterio. Eſtque haud perpetuum hoc etiam munus ſed annis ſingulis aut biennio vel etiã triennio nova celebratur electio: Et nonnunquã, prout ratio tulerit, ex horum numero, novi ſeniores adſciſcuntur presbyterio. Nec deſunt etiam qui viſendis ac ſolandis ægrotis curant: Cuiuſmodi & viduæ aliquot conſtitutæ ad formam earum, quas nominat Timotheus. Nullum enim decentius aliud in eccleſia publicum munus obire mulieres poterant, quam ſi in obſequium ſe pauperum darent. Porro ad claſſem presbyterij huius accenſentur etiam atque in urbem conveniunt, certis temporum intervallis, miniſtri omnes, qui in Amſtelandiæ aut Goiolandiæ alijſque vicinis vicis degunt, diſciplinæ & exhortationis mutuæ aliarumve rerum ad eccleſiæ rationem ſpectantium cauſa. Quin & ſynodi celebrantur annis propemodum ſingulis, ſed non uno ſemper eodemque in oppido; & tum univerſæ provinciæ ſingularumque claſsium delecti mittuntur ſynodoque interſunt. Scholarum denique, quæ ſunt eccleſiæ ſeminaria, curam habent, ex miniſtris ac magiſtratu unus aut duo ad hoc a magiſtratu deſignati, quos ſcholarchas nominant. Vtroque enim in urbis latere, novo nimirum & veteri, ludus ſeorſim literarius eſt; & cuique, præter inferiores moderatores, Rector Prorectorque conſtitutus, additis in uſum eorum reliquorumque docentium, pro cuiuſque conditione & modo, liberalibus ſtipendijs. Atque hactenus de utraque tam civili quam eccleſiaſtica urbis adminiſtratione ſatis hæc dicta ſunto. Nunc coronidis loco ſubijciemus

Tit. 1.5. — *Philip. 11.* — *Actor. 20 17.28.* — *Acto. 20. 24. & alibi* — *Act. 6.3.* — *1. Timoth. 5. 10.* — *Schola utriuſque lateris.*

STATVTA ALIQVOT ET Leges CIVITATIS.

I.

IN rebus matrimonialibus id paſsim obtinet, ut bona mariti & uxoris, ſi pacta dotalia non præceſſerint abſque ullo reſpectu confundantur communiaque fiant.

II.

Quod ad ſucceſsiones, ante omnia liberi defunctorum parentum hæredes inſtituuntur.

tur: Si vero ex liberis quispiam ante utriusque parentis excessum moriatur legitimum hæredem relinqués non datur eiusmodi nepoti aut nepti in avi aut aviæ bona succesio, quamdiu avo aut aviæ superstites adhuc liberi sint. Adeo ut ius repræsentationis locum hic nullum habeat; nisi testamento aut pactis dotalibus aliter cautum fuerit.

III.

Et vice versa, parentes liberorum sine legitimis hæredibus morientium heredes censentur, non habita ratione à quibus ea bona liberis obvenerint, nisi præcautum fuerit, ut in omnem semper eventum ad priores hæredes ea bona redeant.

IV.

Sorores quoque & fratres uterini, quos semifratres & semisorores vulgo vocant, nō minus in bona semifratris succedunt, quam frater & soror utroque parente nati, nullo respectu habito, sive à thoro integro sive dimidiato defuncti bona provenerint.

V.

Senatusconsulta omnia nominumque per scabinos latæ sententiæ, sive signatæ eæ sive non signatæ fuerint, partam sortiuntur exsecutionem. Quò autem expleantur iudidicum decreta, processus instituitur secundum oppignorationes atque hypothecas seu denique bonorum, quæ debitoribus supersunt, venditiones.

VI.

Ex longo interim usu ac fori consuetudine id servatur, ut nulla rerum immobilium exsecutio celebretur, nisi hieme, à primo nimirum Novembris adusque alterum Februarij diem: Quo etiam tempore res soli, pasim & pro more à civibus divenduntur maximoque veneunt. Et tunc potisimum vel hanc ab causam id peragitur, ne subito atque inopinato fide sua excidat debitor bonisque evertatur: Creditori quoque ob moram diuturniorem accesione aliqua reditus eo pacto consulitur.

VII.

Diriguntur vero legum sententiarumq; à Scabinis latarum actiones omnes, quæcunque hypothecis ac fideiussoribus nituntur, ad ipsas hypothecas: Nec fideiussores compellare fas nisi hypothecis exsecutioni primo mandatis, modo non aliter eiusdem Senatus decreto literisque signatis stipulatum foret.

VIII.

Scabinorum quoque sententiæ aut tabulæ Senatoriæ comprehendentes nomina seu debiti' confessas obligationes una cum hypothecis aut sine hypothecis, quæcunque anterioris aræ fuerint præferuntur ijs, quæ posterius consignatæ probabuntur.

IX.

In arrestæ negotio, ius adversus arrestatum occasione arresti instituitur.

X.

Vbi vero pro extero aliquo urbis civis atque inquilinus se vadem interponat, eaque fideiusione arresto peregrinus idem solvatur seq; arestati loco futurum vades promittat, pro principali habendus is civis, nec usui ei esse aut patrocinari civitatis ius potest.

XI.

Vsu similiter receptum est, ut duobus soli peregrini ac iurisdictionis diversæ ob debitum controvertentibus, citare alterum alteri liceat: si vero uterque eiusdem urbis ac loci fuerit ad iudicem ordinarium amandatur, modo id arrestatus poposcerit eòq; provocarit.

XII.

Civitatis insuper hæc prorogativa est, ut civium neminem aut bona cuiusquam arresto retinere in ullis cis Mosam positis vicis, nisi in oppidis muro cinctis fas sit.

XIII.

Indulsit quoque, anno 1342, Guilielmus Comes Hollandiæ, ut Prætori, ac urbis Senatoribus leges figere ac statuere & statutas olim atque abolitas, si res postularit in usum denuo revocare fas esset. Vnde & multæ leges præclaraque per prætorem Scabinosque

nosque lata edicta ad urbis urbanorumque decus ac tranquillitatem publicè spectantia quotannis, post Scabinorum ac reliqui magistratus electionem de Curiæ podio omnibus proponuntur. Nam & delinquentes in easdem leges ex legum earundem præscripto vel capitali vel civili mitiorive pænæ per prætorem iudicesque submittuntur.

XIV.

Instituuntur denique apud Iudices processus, qui rem navalem & maritimam spectant. In quibus secundum leges & iura maris, quæ partim à Cæsarea maiestate, partim à Visbuensibus in insula olim Godlandiæ latæ fuerunt, pronunciatur. Quæ leges cum publicis typis lingua vernacula divulgatæ prostent, supervacuum & longum nimis foret eas hoc loco attexere.

CAP. X.

Prætorum & consulum totiusque magistratus secundum annorum succedentium seriem indicis in morem deductio conspectusque.

SEQVITVR hunc loco ultimo magistratus universi nomenclatura & ordo ab anno 1413 ad annum, qui nunc fluit, uno veluti fasce comprehensus deductusque. In eo non Consulum modò, sed & prætorum Scabinorumque nomina, &, qui postmodum accesserunt Thesaurarij & pupillorum præfecti alijque certa serie recensentur. Et ut olim nonnullæ respublicæ, & in his familiæ quædam, ob felicem rerum administrationem non ad nominis solum famam, verum ad stirpis etiam continuatam quandam succesionem pervenerunt, cuiusmodi Athenis Leontidas, Acamantidas & Antiochidas celebrari comperimur, unde exinde Themistocles, Pericles & Aristides processerunt. Et apud Romanos Tulliorum, Æmiliorum, Papiriorum, Aureliorum, Serviliorum, Scipionum, Portiorum aliæque familiæ nobilitatæ inque secula multa propagatæ fuerunt; ita hîc quoque si parva magnis & nova antiquis componere liceat, ob bene præclarèque gubernatam publicam rem prosapiæ, inter ceteras, quædam eminere & famigerari paulatim cæperunt. Quod & indicat rhythmicus versiculus iam olim omnium ore iactatus, in quo Ruyschios, Valios, Schapios, Zaelios nominari deprehendimus, utpote lõga ac felici civitatis administratione celebritatem nominis inter primos tunc adeptos, cum ita loquatur vernaculo idiomate, *Watt Ruyscht, dat Waelt; Wat Schaept datt Zaelt.* Sed hæc aliaq; ex ipso catalogo, quem nunc subijcimus, repetere unicuique ac recognoscere promptum obviumque fuerit.

ANNO 1413.	ANNO 1414.	ANNO 1415.
Prætor.	*Prætor.*	*Prætor.*
Heyn Oert Vilhelmi.	Hein Oert Vilhelmi.	Heyn Oert Vilhelmi.
Consules.	*Consules.*	*Consules.*
Hervicus Andreæ.	Timãnus Heintgen Theod.	Ghysbertus Huysman.
Timannus Zael.	Gysbertus Huysman.	Iacobus Ian Adami.
Timãnus Hẽtger Theodori.	Hillebrandus Vechters.	Iunius Vilhelmi Noort.
Iohãnes Bethius Vilhelmi.	Nicolaus Simon Rysers.	Hervicus Andreæ.
Scabini.	*Scabini.*	*Scabini.*
Iohannes Eggert Petri.	Ioh. Eggert Vilhelmi.	Isbrandus Gerhardi.
Nicolaus Bruninck.	Iunius Heyn Oert.	Petrus Adami.
Fekerdus Iacobi à Bergen.	Iacobus Ian. Vilhelmi.	Simon Zael.
Lambertus Iansonius.	Iohannes Berentzonius.	Damius Mepnertz.
Simon Alberti.	Iohannes Melijs Theodori.	Ghijse. ab Amstel.
Francus Noert.	Iohannes Heyneuz.	Arnoldus Vechters.
Theodorus Blomert.	Vilhelmus Meyntz.	Meyntius à Goye.

ANNO 1416.

Prætor.

Heyn Oert.

Consules.

Hervicus Andreæ.
Timãnus Heyntgen Dircks.
Timannus Zael.
Iohannes Beth Vilhelmi.

Scabini.

Nicolaus Benninck.
Ghysbertus Iansoon.
Francus Noert.
Theodorus Iacobi Gijsen.
Fekerdus Iacobi à Bergen.
Ghysbertus Petri Allert.
Vilhelmus vander Grafft.

ANNO 1417.

Obijt Vilhelmus Dux Bavariæ.

Prætor.

Heyn Oert Vilhelmi.

Consules.

Ioh. Beth. Vilhelmi.
Magnus Petrus alias Grote Peter.
Isbrandus Wisselaer.
Vilhelmus Gerstman.

Scabini.

Isbrandus Gerhardi.
Damius Meynartz.
Meyntius à Goye.
Ruysch Iacobi Coppensſ.
Ghyse ab Amstel.
Splinter Heyn Oerts.
Ioh. Eggert Hertgensſ.

ANNO 1418.

Prætor.

Timannus Heyntgen Theodori.

Consules.

Vilhelmus Garstman.
Francus Vilhelmi Iansz.
Iohannes Arentz.
Iustus Petri.

Scabini.

Hervicus Andreæ.
Petrus Ab.
Theodorus Aue.
Timannus Zael.
Theodorus Iacobi Ghijsen.
Iohan Eggert Petri.
Iohander vander My.

ANNO 1419.

Prætor.

Timan. Heyntgen Theodo.

Consules.

Iohannes Arentz.
Sarvasius Rodolphi.
Ghysbertus Huysman.
Daemius Braeseman.

Scabini.

Isbrandus Wisselaer.
Nicolaus Bruninck.
Ghijse ab Amstel.
Ruysch Iacobi Coppensſ.
Iohannes Out Simonis.
Bruyninck Spruyt.
Stephanus Theodori Melijs

Hoc anno magistratum in universum immutavit Iohannes Bavariæ Dux.

Prætor.

Iohannes Heynenz.

Consules.

Theodorus Hollandt.
Vilhelmus Reyneri.
Harman Harmansſ.
Heyn Oert.

Scabini.

Simon Meusz.
Bruninck Spruyt.
Iohannes Out Simonis.
Theodorus Berdenz.
Gerhardus Deyman.
Ghyse ab Amstel.
Ruysch Iacobi Coppenz.

ANNO 1420.

Prætor.

Iohannes Heynenz.

Consules.

Theodorus Holland.
Iacobus Dijvel.
Paulus Luytgensſ.
Iohannes Oudebrouck.

Scabini.

Theodorus Luytgensſ.
Vilhelmus Theodori.
Petrus Herbrigensſ.
Allert Peter Allaertzoni.
Iohannes Schouten.
Auwel Petri.
Hugo Heynensſ.

ANNO 1421.

Prætor.

Iohannes Heynensſ.

Consules.

Iacobus Dijvel.
Iacobus Wouter.
Nicolaus Moyert.
Harman Harmansſ.

Scabini.

Ægidius Helmer.
Gijsbert⁹ Iacobi Grebbers.
Ioh. Simon Nessensſ.
Iacobus Aemsſ.
Simon Nicolai Ettensſ.
Nicolaus Simon Rijsersſ.
Otto Heynensſ.

ANNO 1422.

Prætor.

Iohannes Heynensſ.

Consules.

Harman Harmansſ.
Theodorus Hollandt.
Ruysch Iacobi Coppensſ.
Auwel Petri.

Scabini.

Paulus Luytgensſ.
Albertus Cortgijnsz.
Gerhardus Deyman.
Petrus Iacobi Lubbertij.
Ghijsbertus Petri Allertz.
Paulus Alberti.
Hugo Heynenz.

ANNO 1423.

Prætor.

Iohannes Heynens.

Consules.

Theodorus Hollandt.
Cop. Heynensſ.
Vilhelmus Theodori.
Iohannes Ettensſ.

Scabini.

Iohan schouten.
Nicolaus mittẽ holen Ogẽ.
Ian Out Simonis.
Ægidius Helmer.
Otto Alberti.
Vilhelmus Reyneri.
Nicolaus Hemensſ.

ANNO 1424.

Prætor.

Iohannes Heynensſ.

Consules.

Iohannes Oetensſ.
Ruysch Iacobi Coppensſ.

Hugo

Hugo Heynenſs.
Nicolaus Moyaert.
Scabini.
Theodorus Luytgenſs.
Theodorus à Schoonhoven
Ioh. Deyman.
Ghijsbertus Petri Allertz.
Gerhard⁹ Nicolai Coppẽſs.
Andreas Iacobi Simonis.
Paulus Allertz.

ANNO 1425.

Prætor.
Ioh. Heynens.
Conſules.
Ruyſch Iacobi Coppenſs.
Auvel Petri.
Harman Harmanſs.
Allert Petri Allertz.
Scabini.
Ægidius Helmer.
Theodorus à Wermer.
Simon Neſſe.
Zuittert Ianſs.
Iuſtus Gerritz.
Andreas Vrericx.
Nicolaus Ianſs.

ANNO 1426.

Prætor.
Iohannes Heynenſs.
Conſules.
Auvel Petri.
Theodorus Bardenſs.
Ioh. Oetenſs.
Nicolas Ian Goertz.
Scabini.
Moy Reinertſs.
Petrus Ghijsberti Harmãſs.
Theodorus Henrici.
Ian Claus.
Simon Hoedincxſs.
Paulus Alberti.
Goduaert Varaboutſs.

ANNO 1427.

Prætor.
Iohannes Schout Arentz.
Conſules.
Ioh. Oetenſs.
Scheel Allert Iacob Pillenſs.
Iohannes Bout Allertz.
Andreas Vrerixſs.
Scabini.
Simon Ian Hanetgeſs.
Simon Colijn.
Grebber Theodori.
Dyert Luytgenſs
Iohannes ab ylp.
Iuſtus Gerritz.
Ian Simon Neſſen.

ANNO 1428.

Prætor.
Ioh. Schout Arentz.
Conſules.
Andreas Vrerixſs.
Hugo Heynenſs.
Ruyſch Iacob. Coppenſs.
Moy Reynerſs.
Scabini.
Iunius Iacobi Verver.
Godevaert Varaboutz.
Allert Pieter Allertz.
Nicolaus Roel.
Ian Melis, Gerrit de Brunes
Iohannes Helmer.
Gerrit Ianſs. van Loenen.

ANNO 1429.

Prætor.
Ioh. Schout Arentz.
Conſules.
Ruyſch Iacobi.
Iohannes Oetenſs.
Groote Dirck Claeſs.
Iong Claes Simon Rijſers.
Scabini.
Petrus Angelus.
Nicolaus Ianſs.
Melijs Andreæ.
Gerhardus ab Anxter.
Ghijsbertus Gerlibertz Iacobi.
Meeſter Harman.
Henricus Auvelſs.

ANNO 1430.

Prætor.
Iuſtus Gerritz.
Conſules.
Iohannes Oetens.
Simon Colijn.
Hugo Heynenſs.
Vilhelmus Theodori.
Scabini.
Auwel Petri.
Godevaert varaboutz.
Ian Bont Albertz.
Ioh. à Diemen.
Clemens Claeſz.
Theodorus Bardenſs.
Gerhardus Deyman.

ANNO 1431.

Prætor.
Iohannes Heynenſs.
Conſules.
Hugo Heynenſs.
Harman Harmanſs.
Nicolaus Ianſs.
Ionge Iacob de Verver.
Scabini.
Allert Petri Allertz.
Heuſche Ian Oetenſs.
Iacobus Ruyſch.
Lamb. Iacobi Renertſs.
Melis Andreæ.
Diert Luytgenſs.
Lambert Claes Vennenſs.

ANNO 1432

Prætor.
Ioh. Heynens.
Conſules.
Harman Harmanſs.
Ruyſch Iacobi Coppenſs.
Grote Dirck Claeſs.
Ian Bout Albertz.
Scabini.
Iohannes ab ylp.
Auvel Petri.
Allert Simonis.
Ioh. Coen Stellegangnaker
Iuſtus Gerritz.
Gerhardus Ioh. à Loenen.
Simon Neſſe.

ANNO 1433.

Prætor.
Ioh. Heynenſs.
Conſules.
Ioh. Bout Albertz.
Iohannes Helmer.
Gijsbert⁹ Iacobi Grebberz.
Ioh. Claes Simon Hodinx.
Scabini.
Ionge Iacob de Verver.
Paulus Albertz.
Theodorus Luytgenſs.
Theodorus à Wormer.
Vilhelmus Zael Ian Oetẽſs.
Nicolaus Codde.
Iohannes Beduijre.

Anno

ANNO 1434.

Prætor.

Iohannes Heynensf.

Consules.

Ghijsb.Iacob.Grebbersf.
Hugo Heynensf.
Nicolaus Iansf.
Auvels Petri.

Scabini.

Meus Petri Reynersf.
Isbrand⁹ Heyn de Wisselaer
Melis Andriesf.
Ioh.Beth.Vilhelmi.
Theodorus Blomert.
Godevaert Varaboutz.
Gerhardus Deyman.

ANNO 1435.

Prætor.

Ioh. Heynensf.

Consules.

Hugo Heynensf.
Ruysch Iacobi Coppensf.
Iohannes Bout Albertz.
Iong Claes Reynertz.

Scabini.

Iustus Gerritz.
Isbrandus Moyert.
Grebberus Theodori.
Nicolaus Gerritz.
Iacobus Braseman.
Theodorus de Grebber.
Iacobus Pillensf.Albert.

ANNO 1436.
Obijt Iacoba.

Prætor.

Iohannes Heynensf.

Consules.

Ioh. Bout Aberez.
Ghijsbertus Iacob. Greb.
Ioh.Claes Simon Hodincx.
Clemens Claesf.

Scabini.

Isbrand⁹ Heyn de Wisselaer
Sekerdus Iacobi à Bergen.
Meester Harman.
Theodorus à Wormer.
Ionge Vihelmus Grebber.
Iohannes Paeuw.
Ionge Iacob de Verver.

ANNO 1437.
Prætor.

Ioh. Heynensf.

Consules.

Clemens Caesf.
Auvel Petesf.
Ruysch Iacob. Coppensf.
Paulus Albertz.

Scabini.

Ioh.Beth. Vilhelmi.
Vilhelmus Simonis.
Iustus Gerritz.
Alsten Claesf.
Heusche Ian Oetensf.
Melis Andreæ
Iohannes Pauli.

ANNO 1438.

Prætor.

Rombout Andreæ.

Consules.

Auvel Petri.
Iohannes Heynensf.
Hugo Heynensf.
Iohannes Beduyre.

Scabini.

Godevaert Varaboutz.
M. Iacobus Ruysch.
Everhardus Iacobi.
Isbrandus Heyn de Wisselaer.
Sekerdus à Bergen.
Damius Meynertz.
Henricus Cuper.

ANNO 1439.

Prætor.

Rombout Andreæ.

Consules.

Hugo Heynensf.
Gisbert Grebber Iacobsf.
Iacobus Braseman.
Paulus Albertz.

Scabini.

Nicolaus Auvelsf.
Grebberus Theodori.
Nicolaus de Grebber Vilhelmi.
Meester Harman.
Gerhardus Ioh. à Loenen.
Ioh. Deyman.
Arnoldus Iacobi.

ANNO 1440.

Prætor.

Rombout Andreæ.

Consules.

Gisbertus Iacobi Grebber.
Iohannes bout Albertz.
Ioh.Claes Simon Hodincx
Ioh.Beth.Vilhelmi.

Scabini.

Ioh. Eggert Petri.
Heergijn Iansf.
Ruysch Petri.
Melis Andreæ.
Alsten Claesf.
M. Iacobus Ruysch.
Nicolaus Coppert obijt.
Nicolaus senior succesit.

ANNO 1441.

Prætor.

Rombout Andreæ.

Consules.

Iohannes Bout Albertz.
Ruysch Iacobz.
Paulus Albertz.
Ionge Claes Simon Rijsers

Scabini.

Iustus Gerritz.
Godevaert Varaboutz.
Theodorus à Wormer.
Iacobus Iunius Iacobi.
Stephan⁹ Theodori Melisf.
Luytgenus Ian Arentz.
Isbrandus Heyn de Wisselaer. Obijt.
Ioh. Ruysch succesit.

ANNO 1442.

Prætor.

Rombout Andreæ.
& octiduo post pentecosten,
Nicolaus Grebber.

Consules.

Paulus Albertz.
Gisbert Iacobi Grebbertz.
Hugo Heynensf.
Allert Simonz.

Scabini.

M. Harman.
Melis Andreæ.
Iohannes Albertz.
Damius Meynertz.
Heertgijn Iansf.
Vellert Vechtersf.
Gosvinus Theod.Bardensf.

ANNO 1443.

Prætor.

Nicolaus Grebber.

Consules.

Consules.
Hugo Heynensſ.
Ioh. Claes Simon Hodiacx.
Iacobus Eybensſ.
Henricus Anvelsſ.
Scabini.
Ruyſch Petri.
Nicol. Verrijcx a Steenwijc.
Fredericus Pont.
Albertus Gerritz Crab.
Vechter Vilhelmi Mattensſ.
Iuſtus Iuſti.
Nicolaus Grebber Gerritz.
ANNO 1444.
Prætor.
Nicolaus Grebber.
Consules.
Henricus Anvelsſ.
Iohannes Grebber.
Vellert Vechters.
Grebber Theodori.
Scabini.
Petrus Gisberti Harmansſ.
Florentius Iacobi.
Coman Claes Iacobi.
Peter Ruyſch.
Ioh. Timansſ.
Lambert Graft.
Peter Hollandt Vilhelmi.
ANNO 1445.
Prætor.
Nicolaus Grebber.
Consules.
Vellert Vechters.
Nicolaus Tholl.
Ruyſch Petri.
Gerhardus grote Petersſ.
Scabini.
Iohannes Simonis à Muydē
Iunior Theodorus Iansſ.
Nicolaus Lambertz vā Goy
Kinne Wael.
Block Arentz.
Iohannes Dobbensſ.
Harman Biensſ.
Hoc anno mutatus eſt magiſtratus die Elizabethæ ſacro, de quo vide libro 1, ad hunc annū ſupra
Prætor.
M. Iacobus Ruyſch.
Consules.
Iacobus Braſman.
Paulus Albertz.
Grebber Theodori.
Meus Doſe.
Scabini.
Goedevaert Vareboutz.
Melis Andreæ.
Vilhelmus Simons.

Ionge Gerrit Iansſ.
Iohannes Allerts.
Meus Peter Reynersſ.
Gerhardus Petri Bontenz.
ANNO 1446.
Prætor.
M. Iacobus Ruyſch.
Consules.
Meus Doſe.
Ioh. Claes Simon Hodincx.
Iacobus Eijben.
Iohan. Deiman.
Scabini.
Iohannes Heynenz.
Theodorus van Wormer.
Ionge Iacob.
Petrus Allert.
Groote Simon M. Iansſ.
Iohannis Melis Theodori.
Iohannes Vilhelmi Gerritz.
ANNO 1447.
Prætor.
M. Iacobus Ruyſch.
Consules.
Iohannes Deyman.
Theodorus Boelensſ.
Grebber Theodori.
Henrick Stuuer.
Scabini.
Gerhardus grote Petersſ.
Gerhard. Peter Bontensſ.
Allert Simonsſ.
Nicolaus Iohannes.
Meus Petri Reyniersſ.
Coeman Meynertz Iansſ.
Ioh. Allertz.
ANNO 1448.
Prætor.
M. Iacobus Ruyſch.
Consules.
Henric Stuuer.
Paulus Albertz.
Iacobus Eybenz.
Melijs Andreæ.
Scabini.
Simon van Muyden.
Godevaert Waraboutz.
Iacob Pillens Allertz.
Theodorus van Vormer.
Rombout Andreæ.
Iohannes Vilhelmi Iansſ.
Gerhard de Vroede.
ANNO 1449.
Prætor.
M. Iacobus Ruyſch.
Consules.
Melis Andreæ.
Henrick Anvelsſ.
Meus Pieter Reynersſ.

Heuſch Ian Oetensſ.
Scabini.
Iohannes Heynensſ.
Allert Simonsſ.
Theodorus Boelensſ.
Grebber Theodori.
Petrus Hillebrantz.
Theod. Iohansſ in de poort
Iunior Gerrit Iansſ.
ANNO 1450.
Prætor.
Gerhard. de Vroede.
Consules.
Henrick Anwels.
Iacobus Reynersſ.
Gisbertus Claesſ.
Fredrick Baers.
Scabini.
Meus Doſe.
Henrick Stuuer.
Gerhardus Gheij.
Bernardus Das.
Coman Ian Timansſ.
Melis Schout Hemensſ.
Iacob Claes Arentz.
ANNO 1451.
Prætor.
Gerbrandus Iohansſ.
Consules.
Iacobus Reynersſ.
Iacobus Peckſtock.
Grebber Dircksſ.
Vechter Hillebrantz.
Scabini.
Theodorus Bolensſ.
Ian Ruyſch van Lantſmer.
Petrus Dirck Smitz.
Iunior Iacob.
Heyman Ruffenz.
Gijsbert⁹ Iansſ Loeſdrecht.
Ian Berentz.
ANNO 1452.
Prætor.
Laurentius Pauli.
Consules.
Iacobus Peckſtock.
Meus Doos.
Henrick ſtuuer.
Henrick Anvels
obijt, ſucceſſit Iohannes Volteri Oetenz.
Scabini.
M. Iacobus Ruyſch.
Henrick Kacker.
Barkel in M S.
Allert Simonz.
Petrus Nicolai.
Iacobus Pillensſ.

Simon Dirck Bardensſ.

ANNO 1453.

Prætor.

Laurentius Pauli.

Consules.

Henrick Stuuer.
Theodorus Boelensſ.
Frerick Baersſ.
Gisbert Ians Loesdrecht.

Scabini.

Claes Iansſ Slus.
Snijder in excuso.
Ian Iacob Grostkint.
Heijman van Ilp.
Cors Iacobsſ.
Reinier Andriesſ.
Ioh. Berentz.
Wolfart Henrick Anwels.

ANNO 1454.

Prætor.

Laurentius Pauli.

Consules.

Theodorus Boelensſ.
Meus Doose.
Petrus Claesſ.
Ioh. Allertz.

Scabini.

Melis Andreæ.
Coppert Vechters.
Petrus Dirck Smitz.
Rombout Andriesſ.
Claes Delman.
Iacobus Hugo.
Hayman Ruysch.

ANNO 1455.

Prætor.

Laurentius Pauli.

Consules.

Meus Doos.
Henrick Stuuer.
Melis Scout Herensſ.
Gerrit Dirck Smitz.

Scabini.

Reinier Andriesſ.
Simon Dirck Bardens.
Vilhelmus Bruyn.
Meus Peter Reyniersſ.
Lambert Mijling.
Henrick Colijn.
Theodorus Hollandt Pauli.

ANNO 1456.

Prætor.

Laurentius Pauli.

Consules.

Henricus Stuuer obijt.
Copper Vechtersſ succesſit
Gebber Dirckz.
Iacob Pillensſ. Allertz.
Petrus Dirck Smitz.

Scabini.

Heyn Allertz.
Gisbertus Claesſ.
Nicolaus ab Halm.
Simon Iacobz.
Rombout Andriesſ.
Coman Ian Timansſ.
Peter Ellert.

ANNO 1457.

Prætor.

Laurentius Pauli.

Consules.

Petrus Theodori Smitz.
Theodorus Boeleus.
Ioh. Allertz.
Meus Doos.

Scabini.

Melis Andriesſ.
Isbrant Moyert.
Henrick Colijn.
Corske Iacobsſ.
Nicolaus Cantert.
Gerhardus Mattheus.
Albertus Ottens.

ANNO 1458.

Prætor.

Laurentius Pauli.

Consules.

Iohannes Allertz.
Petrus Allertz.
Rombout Andriesſ.
Gerhardus Dirck Smitz.

Scabini.

Nicolaus Iansſ. Slijb. Snijder est in excuso.
Gisbertus Nicolai.
Iacobus Hugo.
Roel Iacob Claesſ.
Simon Dirck Bardensſ.
Volterus Oem.
Claes Stans.

ANNO 1459.

Prætor.

Laurentius Pauli.

Consules.

Gerhard. Dirck Smitz.
Iacobus Pillensſ Allertz.
Meus Doos.
Ionge Iacobs.

Scabini.

Isbrandus Moyert.
Corſ. Iacobs.
Iacobus Pillens Claesſ.
Gerhardus Mattheus.
Albertus Ottenz.
Boel Dirck Boelensſ.
Iohannes Melis Andriesſ.

ANNO 1460.

Prætor.

Laurentius Pauli.

Consules.

Meus Doos.
Petrus Allert.
Nicolaus vā Horen Melisſ.
Coman Ian Timansſ.

Scabini.

Gisbertus Claesſ.
Roeloff Iacob Claesſ.
Wolterus Oem.
Iacobus Gerritz.
Nicolaus Cantert.
Nicolaus Stansſ.
Iacob Iacobsſ.

ANNO 1461.

Prætor.

Laurentius Pauli.

Consules.

Coman Ian Timansſ.
Ionge Iacob.
Heyman Ruysſchensſ.
Gerhardus Dirck Smitz.

Scabini.

Corſs. Iacobsſ.
Gerhardus Benninck.
Iohannes Outgers Schoutē
Simon van Haerlem.
Gisbertus Dirck Meysſ.
Allert Oetensſ.
Nicolaus Heyn indē Arent.

ANNO 1462

Prætor.

Laurentius Pauli.

Consules.

Ionge Iacob.
Meus Does.
Ian Albertz.
Gerhardus Matheus.

Scabini.

Grebber Dirckz.
Gisbertus Claesſ.
Rombout Andriesſ.
Nicolaus Cantert.
Simon Dirck Bardensſ.
Nicolaus Stans.
Bruyn Dirck Meusſ.

Hoc primum anno 22 Novemb. Fratres minores de Observantia sedem ac pedem Amstelodami fixerunt adiuti opera & suada cuiusdā fraterculi, cui Brugmanno nomen erat. Vnde & vulgi proverbium natum: al conſt ghy kallen als Brugman, id est, etiamsi ipsum Brugmannum suaviloquentia æques,

Anno

ANNO 1463.
Prætor.
Laurentius Pauli.
Consules.
Iohannes Allertz.
Petrus Allertz.
Heiman van Ilp.
Gerhardus Dirck Smitz.
Scabini.
Gerhardus Benninck.
Iohãnes Outgerz schouten.
Simon van Haerlem.
Gisbertus Dirck Moyss.
Iacobus Gerhard.
Timannus Outgerss.
Timan Zael.

ANNO 1464.
Prætor.
Laurentius Pauli.
Obijt 13 Iunij eiusdem anni successit
Allert Ottenz.
Consules.
Gerhard. Dirck Smitz.
Meus Doose.
Gisbertus Claess.
Iacobus Pillertz Albertz.
Scabini.
Melis Schout Heynenz.
Simon Dirck Bardenss.
Roel Iacob Claess.
Nicolaus Ians.
Ioh. Bethz.
Outger Butgertz.
Iohannes Claess. Goertz.

ANNO 1465.
Prætor.
Albert. Ottenz.
Consules.
Meus Doos.
Iohannes Allertz.
Ionge Iacob.
Gerhard. Matheuz.
Scabini.
Heynen Ruyschenz.
Nicolaus Cantert.
Gerhardus Benninck.
Ioh. Outgers Schouten.
Gisbert Dirck Moeyss.
Simon van Haerlem.
Timannus Zael.

ANNO 1466.
Prætor.
Albert Ottenz.
Consules.
Iohannes Allertz.
Petrus Allertz.
Comannus Andries Vilhel.
Gerhardus Dirck Smitz.
Scabini.
Melis Schout Heynenz.
Coman Ian Timanz.
Petrus Claess.
Bruyn Dirck Moyenss.
Iohannes Bethz.
Iacobus Henrick Anwels.
Nicolaus Ian Oemkenz.

ANNO 1467.
Obijt Philippus Burgundus.
Prætor.
Albert Ottenz.
Consules.
Gerhard. Dirck Smitz.
Meus Doos.
Heiman van Ilp.
Gisbert Dirck Moyses.
Scabini.
Gerhardus Benninck.
Iacobus Hugo.
Iacob⁹ Nanninck de Goutsmit.
Simon Dirck Bardenss.
Gisbert Taemss.
Gerhardus Ian Allertz.
Nicolaus Heyn aẽde Plaetz.

ANNO 1468.
Prætor.
Albert Ottenz.
Consules.
Gisbert Dirck Muys.
Ionge Iacob.
M. Iacobus Ruysch.
Gerhardus Matheus.
Scabini.
Coman Ian Timanss.
Simon Ian Rijsers.
Iohannes Taling.
Iohannes Bethz.
Vilhelmus Rijck.
Nicolaus Heyman ab Ilp.
Nicolaus Dirck Smitz.

ANNO 1469.
Prætor.
Albert Ottenz.
Consules.
Iong Iacob.
Petrus Roding.
Nicolaus Stanss.
Gosvinus Dirck Bardenss.
Scabini.
Volcken Blommert.
Gisbertus Taemss.
Ioh. Melis Andriess.
Simon Allertz.
Ioh. Dirck van Wormer.
Ioh. Nicolai van Hoppen.
Nicolaus Grebber Dirckss

ANNO 1470.
Prætor.
Albert Ottenz.
Consules.
Petrus Roding.
Boel Dirck Boelenss.
Iacob Henrick Anwels.
Laurentius Pauli.
Scabini.
Nicolaus Delman.
Iacobus Divel Claess.
Henrick Claes van Haerlem
Henrick Ackerman.
Timan Zael.
Ioh. Bethz Vechterss.
Iacob Iong Iacobs.

ANNO 1471.
Prætor.
Albert Ottenz.
Consules.
Iacob Henrick Anwels.
Iong Iacob.
Ioh. Beths.
Valterus Oem.
Scabini.
Simon uyt de Poort.
Hagen Vilhelmi.
Iohannes Taling.
Bartholomeus Iacobz.
Nicolaus Lastmanz.
Theodorus Heymanz.
Ioh. Benninck.

ANNO 1472.
Prætor.
Albert Ottenz. *Obijt.*
Iacob Henrick Auwels.
successit.
Consules.
Iong Iacob.
Petrus Roding.
Coman Andriess Willemss
Boel Dirck Boelenss.
Scabini.
Iacobus Pillenz Claess.
Alpherdus Petri.
Petrus Colijn.
Iohannes Deyman Peng.
Albert Willemz Cantert.
Claes Heyn aende Plaetz.
Ioh. Coman Ianss.

ANNO 1473.
Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Petrus Roding.
Nicolaus Stanss.
Ioh. Beths.
Ioh. Dirck van Wormer.

 Scabini.

Scabini.
Theodorus Hollandt Pauli.
Henrick Ackerman.
Petrus Meus Doosens.
Timannus Zael.
Theodorus Simō Bardensſ.
Gerhard. Simon Auwelſs.
Gaeff Benninck.

ANNO 1474.

Prætor.
Iacob. Henrick Anwels.
Consules.
Nicolaus Stanſs.
Iong. Iacob.
Petrus Allert.
Laurentius Pauli.
Scabini.
Albert Ottenz.
Alphordus Petri.
Boel Dirck van Wormer.
Iohannes Taling.
Iohānes Nicolai vā Hoppē.
Bartholomeus Iacobi.
Ioh. Benninck.

ANNO 1475.

Prætor.
Iacob Henrick Anwelz.
Consules.
Iong. Iacob.
Petrus Roding.
Boel Dirck Boelenz.
Simon uyt de Poort.
Scabini.
Rodolphus Iacob Claeſs.
Iohannes Berentz.
Timannus Zael.
Dirck Henrik Auwelz.
Egbert Ianſs.
Petrus Harinck.
Clement Gerritz.

ANNO 1476.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Petrus Roding.
Iohannes Taling.
Ioh. Dirck van Wormer.
Ioh. Dirck Smitz.
Scabini.
Gerhard Melijs.
Alphardus Peterz.
Nicolaus Martini.
Bruyn Feys Iacobz.
Iohannes Broeck Meliſs.
Gerhardus vander Anxter.

ANNO 1477.

Obijt Carolus Burgundus.
Prætor.
Iacobus Henrick Anwels.
Consules.
Ioh. Taling.
Iong. Iacob.
Ioh. Bethz.
Petrus Allertz.
Scabini.
Heiman van Ilp.
Hagen Vilhelmi.
Iohannes vander Graft.
Iacob Peter Hellebrantſz.
Ioh. Claes Geertz.
Vechter Barentz.
Nicolaus Lamberti Gapens

ANNO 1478.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Ioh. Beths.
Boel Dirck Boeleſen.
Gerhard Ian Ellertz.
Gerhard Dirck Smitz.
Scabini.
Iohannes Berenz.
Matthias Petri Seepzijder.
Albert willems Cantert.
Ioh. Bout Ianz.
Iacobus de Wael.
M. Vilhelmus Andreæ.
Nicolaus Iunius Iacobi.

ANNO 1479.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Gerhardus Ian Allertz.
Petrus Roding.
Ian Claes van Hoppen.
Simon uyt de Poort.
Scabini.
Nanninck Timans.
Timannus Zael.
Iacobus van Berge.
Vilhelmus Bloem.
Lambert Lambertz.
Theodorus Claeſs.
Hillebrand Modder.

ANNO 1480.

Prætor.
Iacob. Henrick Anwels.
Consules.
Petrus Roding.
Ioh. Dirck van Wormer.
Ioh. Beths.
Gerhard Dirck Smitz.
Scabini.
Hagen Vilhelms.
Lambert Ianſs.
Egbert Ianſs.
Isbrant Ianſs.
Clement Gerrijtz.
Ioh. Bout Ianſs.
M. Iohannes Melis Schout.

ANNO 1481.

Prætor.
Iacobus Henrick Anwels.
Consules.
Ioh. Beths.
Iong. Iacob.
Ian Coman Ianſs.
Iacobus Petri Helebrantz.
obijt; ſuccesſit
Ioh. Nicolai Hoppen.
Scabini.
Petrus inde Haen.
Vilhelmus Boem.
Bone Iacob Bickerſs.
Ioh. Clementz.
Gerhard Simon Claes Auwels.
Gerh. Simōn Bardensſ.
Petrus Bicker Dirckz.

ANNO 1482.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Ionge Iacob.
Petrus Roding.
Ghijsbert Iacobs.
Boel Dirck Bolens obijt.
Iacobus van Berge ſuccesſit
Scabini.
Gerhard Dirck Smitz.
Simon Dircks uyt de poort
Theodorus Petri Poet.
Petrus Matthiæ.
M. Simon Coggeman.
Isbrandus Ianſs.
Simon Ian Beths.

Hoc demum anno civitas muro cingi cœpta, portas interim cum turribus & fossa etiam tum habebat.

Anno

ANNO 1483.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Iacobus van Berge.
Petrus Haring.
Egbertus Iansſ.
Theodorus Heymanſſ.
Scabini.
Iacobus Vilhelmi.
Petrus Iacobi in Hamburch
Lambert Lambertz.
Gerhard Simon Claeſſ. Auwelſſ..
Ian Claes Lambertz.
Godevaert Thaemſſ.
Andries Boelenz.

ANNO 1484.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Theodorus Heymans.
Ioh. Beths.
Theodorus Simõ Bardenſſ.
Bartholemeus Iacobſz.
Scabini.
Ioh. Nicolai van Hoppen.
Petrus Martijnſſ.
Laurentius Lamberti.
Ian Broeck Melijſſ.
Gerhard Simon Ianſſ.
Beyer Ianſſ.
Ian Ianſſ Geſt.

ANNO 1485.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Bartolomeus Iacobſſ.
Petrus Ellertz.
Ian Dirck van Wormer.
Gisbert Iacobſſ.
Scabini.
Ioh. Petri Poet.
Egbert Ianſſ.
Gerhard Simon Claes Auwels.
Iohannes van Perſijn.
Gerhard Sibrantz.
Theodorus Claeſſ.
Godevaert Taemſſ.

ANNO 1486.

Prætor.
Iacob Henrick Auwels.
Consules.
Gisbert Iacobſſ.
Iacob Iong Iacobſſ.
Iacobus van Berge.
Ioh. Caeſſ. Lambertz.
Scabini.
Dirck Simon van Rijſers.
Matthias Vilhelmi.
Robrecht Ianſſ.
Iacob Vilhelms.
Nicolaus Pauw.
Coert Iacobs Divelsx.
Floris Ianſſ.

ANNO 1487.

Prætor.
Iacob Henrick Anwelſſ.
Consules.
Iacob Iong Iacobſſ.
Ioh. Beths.
Ioh. Broeck Melis.
Gerhard Simon Claes Auwelſſ.
Scabini.
Theodorus Petri Poet.
Egbert Ianſſ.
Peter Iacobſſ in Hamburch
Gerhard Vilhelmi van Alcmaer.
Theodorus Nicolai.
Regnerus Ianſſ.
Petrus Reyneri.

ANNO 1488.

Prætor.
Iacob Henrick Anwelſſ.
Consules.
Gerhard Simon Claes Auwelſſ.
Ioh. Theodori van Wormer
Gisbert Iacobſſ.
Bartolemeus Iacobſſ.
Scabini.
Theodorus Simon Ian Rijſers.
Iacob Walichſſ.
Ioh. Claes van Hoppen.
Iong Ian Cornelis. Bläckert
Nicolaus Pauw.
M. Vilhelmus Andrieſſ.
Marten Dirckſſ.

ANNO 1489.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Gisbert Iacobſſ.
Theod. Heymanſſ.
Iacob Ionge Iacobſſ.
Vechter Berens.
Scabini.
Melis Pauw.
Ioh. Clementz.
Theod. Lisling.
Ioh. Beths Rijck Dirckſſ.
M. Peter Nanninckſſ.
Ioh. Iohannis Gerſt.

ANNO 1490.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Iacob Iong Iacobſſ.
Ioh. Claes van Hippen.
Bartolemeus Iacobſſ.
Gerrit Simon Claes Anwels
Scabini.
Theodorus Simon Ian Rijſers.
Ioh. Melis Andrieſſ.
Petrus Nicolai Scellincx.
Boel Iacob Bickers.
Gerhard Simon Ianſſ.
Vilhelmus Grebber.
Simon Ian Beths.

ANNO 1491.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Ioh. Nicolai van Hoppen.
Ioh. Theodori van Wormer
Theod. Simon Bardenſſ.
Theod. Nicolai.
Scabini.
Petrus Colijn.
Petrus Haring.
Regnerus Waerdenz.
Nicol. Henrici vãde Schell.
Gerh. Theod. van Alcmaer.
Ioh. Bout. Ianſſ.
Simon Teding Simonſſ.
Thesaurarij.
Bartolemeus Iacobſſ.
M. Vilhelmus Andrieſſ.

ANNO 1492.

Amſtelodami ſupplicio affecti piratæ circiter 70.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Theod. Nicolai.
Iacob Vilhelmi.
Iacob Iong Iacobss.
Bartolomeus Iacobss.
Scabini.
Henrick Ackerman.
Ioh. Beths.
Gerh. Simon Claes Anwels
Ioh. Nicolai uyt de Poort.
Bruning Claess.
Andries Boelenss.
Ioh. Benninck.

ANNO 1493.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Iacob Iong Iacobss.
Theodorus Heymans.
M. Iohannes Melis.
Iacobus van Berge.
Scabini.
Vilhelmus Boem.
Ioh. van Persijn.
Coert Iacob Divelss.
Stans Claess.
Martijn Dirckss.
Florentius Ianss.
Gerhard Matheus.

ANNO 1494.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
Theod. Heymans.
Ioh. Beths.
M. Vilhelmus Andriess.
Theod. Simon Bardenss.
Scabini.
Henrick Ackerman.
Ioh. van Hoppen.
Barth. Iacobs.
Bruninck Claess.
Andries Boelenss.
Schipper Timan Pieterss.
Pilgram Iong Iacobsz.

ANNO 1495.

Prætor.
Iacob Henrick Anwels.
Consules.
M. Vilhelmus Andreæ.
Theodorus Nicolai.
Gisbert Iacobs.
Boel Iacob Bickerss.
Scabini.
Iacobus van Berge.
Gerhard Simon Claes Anwels.
Reinier Ian Waerdenz.
Gerhard vander Ancker.
Petrus Henrici.
Petrus Regneri.
Nicolaus Moyert.

Obiit hoc anno Iacobus Hẽrick Anwels eique in prætura successit filiæ suæ filius Ioh. Benninck.

ANNO 1496.

Prætor.
Iohannes Benninck.
Consules.
Theodorus Nicolai.
Andreas Boelenz.
Ioh. Beths.
Vilhelmus Boem.
Scabini.
Henricus Ackerman.
Theodorus Simon Bardenss
Ioh. Clementz.
Bruning Claess.
Clemens Volphardus.
Iohannes Garst.
Godevaert Taems obijt.
Coert Iacobss. succesſit.

Anno 1497.
Prætor.
Iohannes Benninck Ianz.
Consules.
Andreas Boelenss.
M. Vilhelmus Andreæ.
Iacobus van Bergen.
Boel Iacob Bickers.
Scabini.
Iohannes van Deymen.
Bartholomeus Iacobss.
Melis Pauw.
Reinier Ian Vaerdenss.
Iohannes van Persijn.
Petrus Henrici.
Ruysch Ian Bettenz.

Anno 1498.

Prætor.
Iohannes Benninck.
Consules.
M. Vilhelmus Andreæ.
Theodorus Heyman.
Vilhelmus Boem.
Bruyning Nicolai.
Scabini.
Ioh. Nicolai van Hoppen.
Ioh. Clementis.
Schipper Timan Pieterss.
Stans Claess.
Martin Dircx.
Peregrinus Iong Iacobs.
Nicolaus Gerh. Deymanss

ANNO 1499.

Prætor.
Iohannes Benning.
Consules.
Theodorus Heymans.
Andries Boelenss.
Theod. Simon Bardens.
Clemens Volphardi.
Scabini.
Gisbertus Iacobi.
Gisbert Sekerdeijss.
Melis Pauw.
Coert Iacobs.
Simon Boenacker.
Iohannes Garst.
Gerhardus Mattheus.

ANNO 1500.

Prætor.
Ioh. Benninck Iansz.
Consules.
Theodorus Simõ Bardenss.
M. Vilhelmus Andreæ.
Bartholemeus Iacobi.
Theod. Nicolai Sillemoer.
Scabini.
Ioh. Melis Andreæ.
Ioh. van Hoppen.
Regnerus Wardenss.
Schipper Timan Pieterss.
Martin Dirckss.
Iacob Herst.
Cornelis Ians van Gendt.
Thesaurarij.
Nicolaus Heijn Nicolai.
Andreas Bolenss.
Pupillorum præfecti.
Iohan Clementis.
Ruysch Ian Beths.

Anno

ANNO 1501.

Prætor.
Ioh. Benninck Ianſs.
Conſules.
M. Vilhelmus Andreæ.
Theod. Heyman Ruyſch.
Andreas Bolenſs Theodori.
Clemens Volphardi.
Scabini.
Bruyn Claeſs.
Stans Claeſs.
Florentius Ian Claeſs.
Coert Iacob. Divelſs.
Gerhardi Mattheus.
M. Theodorus Pauli.
Nicolaus Dayman.
Theſaurarij.
Nicolaus Heyn Claeſs.
Bartolomeus Iacobi.
Pupillor. Præfecti.
Ruyſch Ian Beths.
Melis Pauw Ianſs.

ANNO 1502.

Prætor.
Ioh. Benninck.
Conſules.
Bartholemeus Iacobſs.
M. Vilhelmus Andrieſs.
Iacobus van Burgh: Bergen eſt M S.
Iohannes Perſijn.
Scabini.
Theod. Nicolai Sillemoer.
Ioh. van Hoppen.
Regnerus Waerdenſs.
Gisbertus Fekerdayſs.
Hillebrant Claeſs.
Pieter Codding: Roding eſt in M S.
Coen Pieterſs.
Theſaurarij.
Nicolaus Heyn.
M. Vilhelmus Andreæ.
Pupillorum Præfecti.
Ruyſch Ian Beths.
Melis Pauw.

ANNO 1503.

Prætor.
Iohannes Benninck.
Conſules.
Andreas Boel Theodori.
Iacob van Burch.
Iohannes Perſijn.
Cornelis Ianſs de Vlaming.
In ſcripto hæc nomina habentur.
Bartholemeus Iacobi.
Nicolaus Heyn, M. Vilhelmus Andreæ.
Clemens Volphardi.
Scabini.
Martijn Dirckſs.
Reinerus Ian Wardenſs.
Nicolaus Deyman.
Henrick Barenſs.
Iohannes van Naerden.
Simon Sillemoer Claeſs.
M. Petrus Colijn.
Hæc etiam aliter in ſcripto habentur.
Theſaurarij.
Andreas Boelſs.
Nicolaus Moyert.
Pupillorum Præfecti.
Melis Pauw.
Stans Nicolai
creatus Monetæ præfectus.
Ei itaque Clemens Henrici ſucceſſor datus.

ANNO 1504.

Prætor.
Iohannes Benninck.
Conſules.
Nicolaus Heyn.
Theodorus Nicolai.
Andries Boel Theodori.
Nicolaus Moyert.
Scabini.
Ioh. Perſijn.
Court Iacob Divelſs.
Gisbertus Lap Fekerdei.
Stans Nicolai.
Hillebrant Ianſs.
Theod. Iacobſs Quinting.
Cornelius Pauw.
Theſaurarij.
Florentius Nicolai.
Nicolaus Deyman.
Pupillorum Præfecti.
Clemens Volphardi.
Cornelis Ianſs Vlaming.

ANNO 1505.

Prætor.
Iohannes Benninck.
Conſules.
Andreas Boel.
Theod. Heymanſs Ruyſch.
Gerhard. Matheus.
Florentius Ioh. Nicolai.
Scabini.
Martinus Dirckſs.
Regnerus Wardaynſs.
Nicolaus Gerhardi.
Henrick Barentz.
Ioh. vau Naerden.
Simon Sillemoer Claeſs.
M. Petrus Colijn.
Theſaurarij.
Nicolaus Moyert.
Cornelius Vlaming.
Pupillorum Præfecti.
Nicolaus Heyn.
Bruyn Nicolai.

ANNO 1506.

Prætor.
Iohan. Benninck.
Conſules.
Gerhardus Matheus.
Theod. Nicolai Sillemoer.
Nicolaus Heyn.
Nicolaus Moyert.
Scabini.
Coert Iacobſs Divels.
Gisbert Lap Fekerdan.
Stans Claeſs.
Theodorus Pauli.
Petrus Cantert.
Theodorus Quinting.
Iacobus Huych.
Theſaurarij.
Florentius Nicolai.
Nicolaus Dayman.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. Perſijn.
Bruno Nicolai.

ANNO 1507.

Prætor.
Ioh. Benninck.
Conſules.
Theodorus Nicolai.
Andreas Boelenſs.
Theod. Ruyſch Haymanſs.
Florentius Nicolai.

Obijt hoc anno Philippus 2. Hiſpa. Rex, Comes Hollandiæ &c.

Scabini.
Ioh. Perſijn.
Nicolaus Dayman.
Henricus Barentz.

M. Petrus

M.Petrus Colijn.
Ioh. Lamberti.
Vilhelmus Duyn Petri.
Ioh. Everartz.

Thesaurarij.

Nicolaus Moyert.
Franciscus Nicolai Heynẽs.

Pupillorum Præfecti.

Bruno Nicolai.
Gerh. Vihelmi vã Alcmaer.

ANNO 1508.

Prætor.

Ioh. Benninck.

Consules.

Andreas Boelefs.
Nicolaus Heyn.
Nicolaus Moyert.
Gerh. Matheus.

Scabini.

Gerh. Vilhelmi vã Alcmaer.
Petrus Henrici.
Gisbertus Lap Fekerdaij.
Theodorus Pauli.
Simon Sillemoer Nicolai.
Iacob Huych.
Hayman Iacobi.

Thesaurarij.

Franciscus Heynens.
Florentius Nicolai.

Pupillorum Præfecti.

Bruno Nicolai.
Nicolaus Dayman.

ANNO 1509.

Hoc anno 15 Iulij accepit Amstelodamum præturæ ius: cõstitutusque tum urbis nomine Prætor Gerhardus van Alcmaer; & post eum Gerhardus Matheus, qui cum anno eodem moreretur, successit Simon Sillemoer Claefs, qui in scripto nominatur,

Simon Claefs Scholl.

Consules.

Gerhard. Matheus obijt.
Nicolaus Heyn succedit.
Theodorus Ruysch obijt.
Andreas Boelefs succedit.
Theodorus Sillemoer.
Clemens Volphardi.

Scabini.

Petrus Codding ab Roding
M. Petrus Colijn.
Ioh. Lambrecht.
Iacob Gijsbertz.
Nicolaus Gaeff.
Ioh. Everaertz.
Ian Ianfs. Gaeff.

Thesaurarij.

Nicolaus Moyert obijt.
Nicol. Dayman succedit.
Florentius Nicolai.

Pupillorum Præfecti.

Nicolaus Heyn.
Bruno Nicolai.

ANNO 1510.

Prætor.

Simon Claes Sillemoer.

Consules.

Andreas Boelenfs.
Florentius Nicolai.
Cornelius Vlaming.
Nicolaus Dayman.

Scabini.

Petrus Henrici.
Theodorus Pauli obijt.
Hugo Wollbratz succefsit.
Vilhelmus Duyn.
Daemius Meufs.
Franciscus Heynenfs.
Iunior Theodorus Claefs.
Lucas Iacobi.

Thesaurarij.

Theodo. Nicolai Sillemoer.
Nicolaus Heyn.

Pupillorum Præfecti.

Ruysch Ian Beths.
Gerhardus Vilhelmi.

Anno 1511.

Prætor.

Simon Nicolai. Scholl.

Consules.

Florentius Nicolai.
Nicolaus Heyn.
Theodorus Sillemoer.
Clemens Volphardi.

Scabini.

Petrus Codding, Roding in M S.
M. Petrus Colijn.
Ioh. Lamberti.
Petrus Regneri.
Iacob Gijsbertus, van Campen in M S.
Iacob Iacobi de Ionghe, in M S. est Claes Cop.
Ioh. Theodori Zijl.

Thesaurarij.

Nicol. Gerhardi Deyman.
Ruysch Ian Beths.

Pupillorum Præfecti.

Stans Nicolai.
Andreas Boelefs.

Anno 1512.

Prætor.

Simon Nicolai Scholl.

Consules.

Nicolaus Heyn.
Andreas Boelenfs.
Cornelius Ianfs vã Gendt.
Nicol. Gerh. Deyman.

Scabini.

Vilhelmus Petri Duyn.
Daem Meufs.
Ioh. Gaeff.
Hugo Wolbrantz.
Henrick Coninckz.
Nicolaus Iacobs Paradijs.
Reyer Pieterfs.

Thesaurarij.

Florentius Nicolai.
Ruysch Ian Bethz.

Pupillorum Præfecti.

Clemens Volphardi.
Hillebrandus Otter.

ANNO 1413.

Prætor.

Simon Nicolai Scholl.

Consules.

Nicolaus Gerh. Deyman.
Clemens Volphardi.
Ruysch Ioh. Bethz.
Florentius Ian Claefs.

Scabini.

Petrus Reyerfz.
Petrus Codding in M S. Roding.
M. Petrus Colijn.
Ioh. Lamberti.
Henrick Ian Barentz.
Iacobus Hugo.
Valich Ianfs.

Thesaurarij.

Nicolaus Heyn.
Dirck Iacobs de Ionge.

Pupillorum Præfecti.

Hillebrant Ianfs Otter.
Franciscus Nico. Heynenfs.

ANNO 1514.

Prætor.

Simon Nicolai Scholl.

Consules.

Consules.
Florentius Ianſs. Nicolai.
Andries Boelenſs.
Theodorus Nicolai.
Nicolaus Heyn.
Scabini.
Vilhelmus Duyn.
Ioh. Gaefſs.
Daem Meuſs.
Lucas Iacobi.
Henrick Coninck.
Robrecht Iacobs.
Simon Nicolai van Hoorn.
Theſaurarij.
Nicolaus Dayman.
Ruyſch Ian Beths.
Pupillorum Præfecti.
Franſ. Nicolai Heynenſs.
Clemens Volphardi.

ANNO 1515.

Prætor.
Simon Nicolai Scholl.
Conſules.
Andries Boelcſs.
Nicolaus Dayman.
Cornel. Ianſs de Vlaming.
Ruyſch Ian Beths.
Scabini.
Henrick Ian Barentz.
Ioh. Lamberti Ianſs.
Iacob Gijsbertz. vã Campẽ.
Nicolaus Gaeff Nicolai.
Nicolaus Iacob Paradijs.
Petrus Ioh. Ackerman.
Gerh. Vechters
Theſaurarij.
Nicolaus Heyn.
Florentius Ioh. Nicolai.
Pupillorum Præfecti.
Clemens Volphardi.
Franciſ. Nicolai Heynenſs.

ANNO 1516.

Prætor.
Simon Nicolai Scholl.
Conſules.
Nicolaus Deyman.
Florentius Ioh. Nicolai.
Vilhelmus Duyn Pieterſs.
Iongen Dirck Claeſs.
Scabini.
Iacobus Huych Ianſs.
Daem Meuſs.
Ioh. Gaeff Ianſs.
Hugo Wollebrantz.
Simon Nicolai van Hoorn.
Gerhardus Andrieſs alias Ariſs.
Albert Ariſs, alias Andrieſs. Boelſs.
Theſaurarij.
Nicolaus Heyn.
Bruno Nicolai.
Pupillorum Præfecti.
Clemens Volphardi.
Franciſ. Nicolai Heynenſs.

ANNO 1517.

Prætor.
Simon Nicolai Schol.
Conſules.
Florentius Ioh.
Nicolaus Heyn.
Andreas Boelenſs.
Ioh. Lambert.
Scabini.
Bruno Nicolai.
M. Petrus Colijn.
Heyman Iacobi.
Iacob Giſ. van Campen.
Lucas Iacobi.
Cornelius Henrici Ver. in M S. eſt Loen.
Nicolaus Hillebrantz.
Theſaurarij.
Cornelius de Vlaming.
Ionge Dirck Claeſs.
Pupillorum Præfecti.
Clemens Volphardi.
Franſ. Nicol. Heymanſs.

ANNO 1518.

Prætor.
M. Iohannes Hubertz.
Conſules.
Nicolaus Heyn.
Iongen Dirck Claeſs.
Nicolaus Deyman.
Ruyſch Ian Beths.
Scabini.
Stans Nicolai.
Nicolaus Gaeff Nicolai.
Simon Nicolai van Hoorn.
Albert Andriſs Boleſs.
Coenraet Ianſs.
Meus Peter Does.
Cornelius Beninck Gerritz.
Theſaurarij.
Florentius Ioh. Nicolai.
Cornelius Ioh. Vlaming.
Pupillorum Præfecti.
Clemens Volphardi.
Franciſcus Nicolai Heynẽſs

ANNO 1519.

Prætor.
M. Iohannes Hubertz.
Conſules.
Ionge Dirck Claeſs.
Ioh. Lambert Ianſs.
Florentius Ioh. Nicolai.
Cor. Ianſs Vlaming *moritur,*
Clemens Volphardi *ſuccedit.*
Scabini.
M. Petrus Colijn.
Iohan. Gavenſs.
Daem Meuſs.
Gerh. Andrieſs alias Ariſs.
Nicolaus Hillebrantz.
Simon Laurentius Neck.
Ioh. Nicolai Heynenz.
Theſaurarij.
Nicolaus Heynen.
Hillebrant Ianſs. Otter.
Pupillorum Præfecti.
Bruno Nicolai.
Franciſ. Nicolai Heynen.

ANNO 1520.

Prætor.
M. Ioh. Hubertz.
Conſules.
Ioh. Lamberti Ianſs.
Nicolaus Heyn Nicolai.
Nicolaus Deyman.
Simon Nicolai, Sillemoer, in M S. Scholl.
Scabini.
Heimannus Iacobi.
Henrick Coninck.
Reyer Peterſs.
Robrecht Iacobs.
Simon Claeſs van Hoorn.
Allert Andries Boelenſs. in M S. eſt Ariſs.
Conradus Iohannis.
Theſaurarij.
Ionge Dirck Claeſs.
Hillebrant Ianſs Otter.
Pupillorum Præfecti.
Bruno Nicolai.
Ruyſch Ianſs.

ANNO 1521.
Prætor.
M. Iohannes Hubertz.
Conſules.
Nicolaus Heyn.
Ionge Dirck Claeſs.

Vilhelmus Duyn.
Hillebrant Iansſ Otter.
Scabini.
Iohannes Gavensſ.
Daem Meusſ.
Gerh. Andries alias Arisſ.
Cornelius Henrici Loen.
Nicolaus Hillebrantz.
Simon Laurentius Neck.
M. Iohannes Teng.
Thesaurarij.
Nicolaus Dayman.
Albert Andriesſ alias Arisſ Boelesſ.
Pupillorum Præfecti.
Florentius Ioh. Nicolai.
M. Petrus Colijn.

ANNO 1522.
Prætor.
M. Iohannes Hubertz.
Consules.
Ionge Dirck Claesſ,
Florentius Ioh. Nicolai.
Nicolaus Dayman.
Allert Andries Boelsſ. alias Arisſ.
Scabini.
Stans Nicolai.
Iacob. Gisbertz.
Francisſ. Nicolai Heynensſ.
Cornelius Benninck.
Simon Nicolai van Hoorn.
M. Cornelius Dobbenz.
Ioh. Isbrandi Hollesloot.
Thesaurarij.
Nicolaus Heyn.
Hillebrant Iansſ Otter.
Pupillorum Præfecti.
M. Petrus Colijn.
Ruysch Ian Beths.

ANNO 1523.
Prætor.
M. Ioh. Hubertz.
Consules.
Florentius Ioh. Nicolai.
Nicolaus Heyn.
Ruysch Ian Beths.
Robrecht Iacobi.
Scabini.
Simon Claesſ. Sillemoer alias Scoll.
M. Petrus Colijn.
Nicolaus Gavensſ.
Haimannus Iacobi.
Nicolaus Hillebrant.z
Theodorus Korsſ.
Nicolaus Coeck.
Thesaurarij.
Iongen Dirck Claesſ.
Allert Arisſ. Boelsſ. alias And.
Pupillorum Præfecti.
Hillebrandus Iansſ Otter.
Cornelius Benninck.

ANNO 1524.
Prætor.
M. Iohannes Hubertz.
Consules.
Nicolaus Heyn *obijt.*
Ruysch Ian Bethz *succedit.*
Simon Nicolai van Hoorn.
Allert Andriesſ Boeles.
Ionge Dirck Claesſ.
Scabini.
Lucas Iacobsſ Persijn.
Gerh. Andriesſ.
M. Iohannes Teng.
Simon Laurentius Neck.
Ioh. Isbrandi Hollesloot.
Ioh. Isbrantz Lijndrayer.
M. Cornelius Dobbesſ.
Thesaurarij.
Ruysch Ian Beths.
Florentius Ioh. Claesſ.
Pupillorum Præfecti.
M. Petrus Colijn.
Hillebrant Iansſ Otter.

ANNO 1525.
Prætor.
M. Iacobus Hubertz.
Consules.
Allert Arisſ Boelesſ.
Florentius Ioh.
Robrecht Iacobsſ.
Franciscus Heynen.
Scabini.
Stans Nicolai.
Cornelis Henricx Loen.
M. Petr⁹ Colijn in M S. olij Cor. Sibrandi Buyck.
Iacobus Huych Haring.
Petrus Aemz.
Cornelis Cornelisſ. in M S. est Corn. Iansſ Vlaming.
Thesaurarij.
Iongen Dirck Claes.
Cornelius Benninck.
Pupillorum Præfecti.
M. Petrus Colijn.
Hillebrant Iansſ Otter.

ANNO 1526.
Prætor.
M. Ioh. Hubertz.
Consules.
Florentius Ioh. Nicolai.
Ruysch Ian Beths.
Dirck Claesſ de Ionge.
Lucas Iacobsſ Persijn.
Scabini.
Simon Claesſ van Hoorn.
Nicolaus Hillebrantz.
Gerh. Andriesſ van Hoorn.
M. Cornel. Dobbenz.
Gerhardus Pancrasſ.
Iacob. Benning.
M. Henrick Dircksſ.
Thesaurarij.
Cornelis Benninck.
Allert Aris Boelensſ.
Pupillorum Præfecti.
M. Petrus Colijn.
Hillebrant Iansen Otter.

ANNO 1527.
Prætor.
M. Ioh. Hubertz.
Consules.
Lucas Iacobsſ Persijn.
Allert Boelesſ.
Fransſ. Nicol. Heynens.
Hillebrant Iansſ Otter.
Scabini.
Nicol. Iacobi Paradijs.
Cornelis Henricxsſ Loen.
Cornelis Benning.
Simon Laurentius Neck.
Ioh. Isbrand Lijndrayer.
Iacob Dircksſ Prins.
Nicolaus Volckertz.
Thesaurarij.
Ruysch Ian Beths.
Ian Dirck Claesſ.
Pupillorum Præfecti.
M. Petrus Colijn.
Heyman Iacobsſ.

ANNO 1528.
Prætor.
M. Ioh. Hubertz.
Consules.
Allert Boelensſ.
Ruysch Ian Beths.
Nicolaus Dayman.
Hayman Iacobsſ.

Scabini.

Scabini.
Gerhar. Andriefs vã Hoorn
Nicolaus Hillebrandi.
M. Cornelis Dobbenfs.
Ioh. Isbrandi Hollefloot.
M. Henric Dirckfs.
Petrus Aemz.
Iacob Codde *obijt.*
Petrus Ackerman *successit*
Thesaurarij.
M. Petrus Colijn.
Hillebrant Iansf Otter.
Pupillorum Præfecti.
Iongen Dirck Claefs.
Cornelis Benning.
Hoc anno Diœcesis Trajectensis aulæ Burgundiæ subdita est.

ANNO 1529.
Prætor.
M. Ioh. Hubertz.
Consules.
Ruyfch Ian Beths.
Lucas Perfijn.
Hillebrant Otter.
Cornel. Henricx Loen.
Scabini.
Cornelius Gaeff.
Cornelius Buyck.
Gofen Recalff.
Albert. Corfs.
Petrus Ackerman.
Vilhel. Bardenfs.
Iacob. Rodolphi *obijt.*
Simon Martenfs. *successit.*
Thesaurarij.
Allert Boelefs.
Cornelius Benninck.
Pupillorum Præfecti.
M. Petrus Colijn.
Hayman Iacobfs.

ANNO 1530.

Maxima fuit Amstelodami inundatio, ante Festum omnium Sanctorum.
Prætor.
M. Ioh. Hubertz.
Consules.
Hillebrant Ianfs. Otter.
Allert Boelen.
Heyman Iacobfs.
Gerhard. Andriefs.
Scabini.
Regnerus Petri.
Petrus Ackerman.
Petrus Pledfer.
Ioh. Bruyn.
Iacob. Petri Scaep.
Gisbert van Berenfteyn.
Pieter Aemz.
Thesaurarij.
Ruyfch Ian Beths.
Cornelius Benning.
Pupillorum Præfecti.
M. Peter Colijn.
Cornel. Henrix Loen.
Scabini prænominati, novo iuramento præstito, ad 19 Maij, anno 1531 continuati fuerunt. Atque exinde novi creati prout sequitur.
Prætor.
M. Ioh. Hubertz.
Consules.
Albert Boelenfs.
Ruyfch Ian Beths.
Cor. Henrixfs Loen.
M. Petrus Colijn.
Scabini.
Nicolaus Hillebrantz.
Iongen Claes Heyn.
Cornelis Buyck.
Goofen Recalff.
Petrus Ackerman.
Ioh. Benninck.
Henrick Pauli.
Thesaurarij.
Cornelius Benninck.
Allert Cors.
Pupillorum Præfecti.
Heyman Iacobfs.
Gerhad. Andreæ.

ANNO 1532.
Exustum est fortuito incendio monasterium Regularium: quod extra oppidum collocatum fuisse supra monitum. Ingens etiam eodem anno inundatio fuit, die omnium animarum.

Prætor.
M. Ioh. Hubertz.
Consules.
Ruyfch Ian Beths.
Heyman Iacobfs.
Gerrit Andriefs.
Iacob Pieterfs. Haring.
Scabini.
Regnerus Petri.
Theodorus Cors.
Petrus Pledfer.
Ioh. Bruyn.
M. Nicolaus Heyn.
Theodorus Hillebr. Otter.
Iuftus Buyck.
Thesaurarij.
Allert Boelenfs.
Cornelis Benninck.
Pupillorum Præfecti.
M. Petrus Colijn.
Cornelis Henrixfs. Loen.

ANNO 1533.

Prætor.
M. Ioh. Huybertz.
Consules.
Heyman Iacobfs.
Allert Boelefs.
Cornelis Loen.
M. Petrus Colijn.
Scabini.
Nicolaus Heyn Iunior.
Petrus Aemfs. *moritur.*
Lambert Isbrantz Cops. *succedit.*
Goofen Recalff.
Nicol. Hieronymi.
Petrus Ackerman.
Ioh. Garft.
Thesaurarij.
Ruyfch Ian Beths.
Cornelis Benninck.
Pupillorum Præfecti.
Gerhard. Andriefs.
Theod. Corfs.

ANNO 1534.
Hagæ Comitis Lutheranismi accusatus est à procuratore generali Ioh. Hubertz: successorque ei ad tempus datus Ruysch Bethsz; & mox creatus prætor Hayman Iacobs. Ipse vero Johannes Hubertz Hardevicum secessit obijtque anno 1540, ut loquitur ibidem in templo cathedrali epigraphe monumẽto eius, quod hodieque adhuc in choro, ut vocant, visitur insculpta additumque iuris utriusque licentiatũ fuisse. Quod & locis superiorib⁹ magistri titulus, quo passim insignitur, indicasse videtur.
Prætor.
Hayman Iacobfs vanden Amftel.
Consules.
Allert Boelefs.
Ruyfch Ian Beths.
Iacob Piterfs Haring.
Cornelis Benninck.

 Scabini.

Scabini.
Nicolaus Hillebrant.
M. Cornelis Dobbess.
M. Nicolaus Heyn.
Iustus Buyck.
Isbrandus Petri Coppens.
Nicolaus Henrici Baess.
M. Petrus Bicker.
Thesaurarij.
M. Petrus Colijn.
Cor. Henrix Loen.
Pupillorum præfecti.
Theodorus Corss.
Goesen Recalff.

Eodem anno Haymannus prætura se abdicavit, creaturque in locum eius Nicolaus Gerrit Matheuss.

ANNO 1535.

Prætor.
Nicolaus Gerrit Matheuss.
Consules.
Ruysch Ian Beths.
Hayman Iacobss.
M. Petrus Colijn,
qui in foro Dammensi 10 Maij ab anabaptistis misere trucidatus successorem habuit
M. Ioh. Teng. Medicinæ Doctorem.
Goesen Recalff.
Scabini.
Simon Nicolai van Hoorn.
Gerhar. Andries. vã Hoorn.
Simon Laurentius.
Ioh. Isbrandi Hollesloot.
M. Henrick Dircks.
Theod. Hillebrant Otter.
Nicolaus Loen.
Thesaurarij.
Cornelis Benninck.
Cornelis Henrixen Loen.
Pupillorum præfecti.
Allert Boeless.
Hillebrant Otter.
Eodem hoc anno prætura se abdicavit Nicolaus Mattheuss, eique successit M. Cornelius Dobbens.

ANNO 1536.

Prætor.
M. Cornelius Dobbenss.
Consules.
M. Iohannes Teng.
Nicolaus Dayman.
Cornelis Benninck.
Cornelius Buyck Sibrantz.
Scabini.
Nicolaus Gerh. Matheuss.
Nicolaus Doedenss.
Egbert. Gerbrantz.
Vilhelmus Koeck.
Ioh. Rijsers.
Petrus Cantert.
Simon Marten Dircxss.
Hi omnes de novo creati. Quod ante non contigit.
Thesaurarij.
Ruysch Ian Beths.
Cornelius Loen Hen.
Pupillorum præfecti.
Gerh. Ariss.
Allert Boeless.

ANNO 1537.

Prætor.
M. Cornelius Dobbenss.
Consules.
Nicolaus Dayman.
Allert Boelenss.
Gerh. Andriess alias Ariss.
Nicolaus Hillebrantz.
Scabini.
M. Henrick Dircxss.
Iustus Buyck Sibr.
Dirck Marcus Ianss.
M. Cor. Gerbrantz.
Ioh. Vilhelmi.
Gerrit Ian Lambrechtz.
Gerh. Matheuss.
Thesaurarij.
Ruysch Ian Beths.
Nicol. Gerhard. Theuss.
Pupillorum Præfecti.
Hillebrant Ianss.
Cornelius Loen Henrixs.
Superiores Scabini continuati ad 7 Feb. Quia eos ipsa eligere constituerat Gubernatrix Maria. Excusus index in annum 1541 id reijcit.

ANNO 1538.

Prætor.
M. Cornelius Dobbens.
Consules.
Gerhar Ariss. alias Andriess
M. Ioh. Teng.
Nicolaus Loen.
Nicol. Gerhard. Mattheuss.
Scabini.
Theodorus Otter.
Petrus Cantert.
Gerh. Cornelij.
Nicol. Mienwiss.
M. Lamb. Frederix.
Iacob. Henrix.
Sibrandus Iacobi.
Thesaurarij.
Nicolaus Hillebrantz.
M. Henrick Dircx.
Pupillorum Præfecti.
Hillebrant Otter.
Cor. Hen. Loen.

ANNO 1539.

Prætor.
M. Cor. Dobbenss.
Consules.
Nicolaus Loen.
M. Hen. Dircx.
Nicolaus Dayman.
Nicolaus Doedenss.
Scabini.
Iustus Buyck.
Nicol. Henrix Basgen.
Ioh. Vilhelmi.
Simon Marten.
Allert Dircxs Fasol.
Floris Floriss.
Vilhel. Cornelis Sickel.
Thesaurarij.
Nicolaus Hillebrantz.
Nicolaus Gerrit Matheuss.
Pupillorum Præfecti.
Hillebrant Ianss. Otter.
Gerhard. Andriess.

ANNO 1540.

Prætor.
M. Cor. Dobbenss.
Consules.
M. Henrick Dircxss.
Nicol. Gerh. Matheuss.
Gerh. Andriess.
Egbert Gerbrantz.
Scabini.
Vilhelm. Nicolai Koeck.
Petrus Cantert.
Theod. Otter.
Petrus Comanss.
Cornelis Claes. Mieuwess.
Cor. Iacobss Brouwer.
Thesaurarij.
Nicolaus Hillebrantz.
Nicolaus Loen.
Pupillorum præfecti.

Cornelius

Cornelius Henrix.
Nicol. Doedens.

ANNO 1541.

Prætor.
M. Cornelis Dobbensſ.
Conſules.
Nicolaus Gerrit Matheuſſ.
Nicolaus Loen Franſſ.
Nicolaus Doedenſſ.
M. Ioh. Teng. obijt.
Gerh. Andrieſs ſuccesſit.
Scabini.
Iooſt Buyck Sibrantz.
Nicol. Henrici Baſgen.
Ioh. Vilhelmi
Allert Dircx Faſol.
Ioh. Ianſ. van Hoorn.
Nicolaus Vechters.
Sibrandus Pompeius Occo.
vide quæ ſupra notata ad annum 1537.
Theſaurarij.
Nicolaus Hillebrantz.
Petrus Cantert.
Pupillorum Præfecti.
Allert Boeleſſ.
Cornelius Loen.

ANNO 1542.

Prætor.
M. Cornelis Dobbenſſ. & inde 10 Octob.
Prætor.
Vilhelm. Theodori Bardēſſ.
Conſules.
Nicolaus Doedenſſ.
M. Henrick Dircxſſ.
Nicolaus Hillebrantz.
Iacob Petri Haring.
Scabini.
Nicolaus Henrici Dirckſſ.
Theodorus Otter.
Nicolaus Mieuweſſ.
Gerh. Matheuſſ.
Sibrant Bam.
M. Nicolaus Chijs.
Ioh. Duvenz.
Theſaurarij.
Nicolaus Gerh. Mattheuſſ.
Petrus Cantert.
Pupillorum Præfecti.
Allert Boelenſſ.
Cor. Loen.

ANNO 1543.

Prætor.
Theodor. Bardenſſ.
Conſules.
M. Henrick Dirckſſ.
Nicol. Gerh. Mattheuſſ.
Nicolaus Loen.
M. Nicolaus Heyn.
Scabini.
Henrick Pauwelſſ.
Iuſtus Buyck Sibrantz.
Ioh. Vilhelmi.
Simon Martenſſ.
Ioh. Petri Graft.
Sibrandus Pompeius Occo
Simon Copſſ.
Theſaurarij.
Cornelius Benninck.
Petrus Cantert.
Pupillorum Præfecti.
Allert Boeleſſ.
Corn. Loen.

ANNO 1544.

Prætor.
Vilhel. Theodri Bardenſſ.
Conſules.
M. Nicolaus Heyn.
Petrus Cantert.
Nicolaus Doedenſſ.
Nicol. Henrici Baſgen.
Scabini.
Sibrant Bam.
Gerh. Nicolai Matheuſſ.
Ioh. Duyveſſ.
Floris Floriſſ.
M. Outgaert Med. doct.
Cornel. Anthoniſſ.
Florentius Martenſſ.
Hi continuati ad 12 Februarij
Theſaurarij.
Cor. Benninck.
Nicol. Gerh. Matheuſſ.
Pupillorum Præfecti.
Allert Boelſſ.
Cor. Loen.

ANNO 1545.

Prætor.
Vilhel. Theodori Bardenſſ.
Conſules.
M. Henrick Dirckſſ.
Petrus Cantert.
Nicolaus Loen.
Theodorus Otter.
Scabini.
Iuſtus Buyck.
Simon Mertenſſ.
Ioh. Vilhelmi.
Sibrandus Occo.
Simon Copſſ.
Petrus Gerbrants.
Harman Ottenſſ.
Theſaurarij.
Nicol. Matheuſſ.
M. Nicolaus Heyn.
Pupillorum Præfecti.
Allert Boelenſſ.
Cor. Loen.

ANNO 1546.

Prætor.
Vilh. Dirck Bardenſſ.
Conſules.
M. Henrick Dirckſſ.
Nicolaus Matheuſſ.
Nicolaus Doedenſſ.
Nicolaus Baſgens.
Scabini.
Nicolaus Mieuweſſ.
Cornelis Brouwer.
Ioh. Duyvenſſ.
Floris Martenſſ.
Cornelius Anthonij.
Iacob Iacobſſ van Coelen.
Henrick Corneliſſ.
Hi continuati á feſto Purificationis uſque 10. Maij.
Theſaurarij.
M. Nicolaus Heyn.
Petrus Cantert.
Pupillorum Præfecti.
Allert Boelenſſ.
Cornelius Loen.

ANNO 1547.

Prætor.
Vilhelm. Bardenſſ.
Conſules.
Nicolaus Gerh. Matheuſſ.
Petrus Cantert.
M. Nicolaus Heyn.
Theodorus Otter.
Scabini.
Iuſtus Buyck.
Ioh. Vilhelmi.
M. Outgaert Clementiſſ.
Simon Copſſ.
Florentius Roterſſ.
Ioh. Oom Ianſſ.
Ioh. Harmāni Goudēborch.
Theſaurij.
Nicolaus Henrickſſ.

Sibrand. Pompeius Occo.

Pupillorum Præfecti.

Allert Boelefs.

Cornelius Loen.

ANNO 1548.

Causa cecidit Carolus quintus, qui litem adversus Amstelodamenses instituerat de tributo liberi commeatus, vulgo Convoygelt.

Prætor.

Vilh.Theod. Bardensſs.

Consules.

Petrus Cantert.

M.Henrick Dirckſs.

Nicolaus Doodensſs.

Nicol. Henrici Bargens.

Scabini.

Gerh. Matheuſs.

Florentius Florent.

Henrick Cornelisſs.

Ioh. Duyvensſs.

Cornelius Anthonisſs.

Lucas Meynertz.

Franciſcus Ioh. Teng.

Thesaurarij.

Nicolaus Matheuſs.

Sibrandus Pompeius Occo

Pupillor. Præfecti.

Allert Boelensſs.

Nicolaus Baſgen.

ANNO 1549.

Rex Philippus Amstelodami inauguratus 1 Octob.

Prætor.

Vilhelmus Theod.Bardensſs

Consules.

M. Henrick Dirckſs.

M.Nicolaus Heyn.

Egbert Gerbrantz.

Iuſtus Buyck Sibrandi.

Scabini.

Nicolaus Mienweſs.

Florentius Mertensſs.

Simon Copſs.

Ioh.Harmãni Goudeberch

Ioh. Vilhelmi.

Ioh. Nicolai van Hoppen.

Henrick Iansſs Croock.

Thesaurarij.

Nicol.Matheuſs.

Sibrandus Pomp. Occo.

Pupillorum Præfecti.

Allert Boelefs.

Nicolaus Baſgen.

ANNO 1550.

Prætor.

Vilh.Theod.Bardensſs.

Consules.

Iuſtus Buyck Sibrantz.

Nicol.Gerh. Matheuſs.

Petrus Cantert.

Nicol.Baſgen.

Scabini.

Ioh.Duyvensſs.

Simon Mertensſs.

Cornel. Anthonisſs.

Iacob Iacobſs. van Coelen.

Harman Ellertz vã Diemen

Ellert Marcus.

Henrick Cor. Roemeulen.

Thesaurarij.

Sibrandus Occo.

Theodorus Otter.

Pupillorum Præfecti.

Allert Boelensſs.

M.Nicolaus Heyn.

ANNO 1551.

Prætor.

Vilh.Theodori Bardensſs.

Consules.

Nicolaus Matheuſs.

M. Henrick Dirckſs.

M. Nicolaus Heyn.

Theod. Hillebrantz.

Scabini.

Nicolaus Mienweſs.

Simon Nicolai Copſs.

Sib. Pompeius Occo.

Ioh.Hermes Goudeberch.

Henrick Croock.

Francisſ.Marci.

M. Vilhelmus Cumeſen.

Thesaurarij.

Petrus Cantert.

Ioh. Vilhelmi.

Pupillorum Præfecti.

Allert Boelensſs.

Iuſtus Buyck Sibrandi.

ANNO 1552

Prætor.

Vilhel. Theod. Bardensſs.

Consules.

M. Henrick Dirckſs.

Petrus Cantert.

Iuſtus Buyck Sibrandi.

Simon Mertensſs.

Scabini.

Ioh. Vilhelmi.

Gerh. Matheuſs.

Héricus Corn. Roemeulen.

Harman Allertz.

Allert Dirck Marcus.

Andries Boelensſs.

Cor.Cornelij Nobel.

Thesaurarij.

Nicol. Matheuſs.

Nicolaus Baſgen.

Pupillorum Præfecti.

M.Nicolaus Heyn.

Theodorus Otter.

ANNO 1553.

Vilhelmus Theod.Bardẽſs.

Consules.

Petrus Cantert.

Nicol. Doedensſs.

Nicolaus Baſgen.

M. Cor. Dobbensſs.

Scabini.

Nicolaus Mieuſs.

Sibrandus Occo.

Ioh.Duyvensſs.

Simon Copſs.

Ioh.Harmes Goudeberch.

Franciſ. Theodo. Marcus.

Laurentius Simon Neck.

Thesaurarij.

Nicol. Gerh. Theuſs *obijt.*

Gerh. Matheuſs. *successit,*

Theodorus Otter.

Pupillorum præfecti.

M. Nicolaus Heyn.

Iuſtus Buyck.

ANNO 1554.

Prætor.

Vilhel.Theodo. Bardensſs.

Consules.

M. Cornelius Dobbensſs.

Egbert Garbrantz.

Iuſtus Buyck Sibrantz.

Gerh. Matheuſs.

Scabini.

Simon Mertensſs.

Ioh. Vilhelmi.

Florentius Florentij.

Cornel.Anthonisſs.

Ioh. Nicolai van Hoppen.

Harman Ellertz.

M.Vilhelmus Kineſſen.

Thesau-

Thesaurarij.
Theod. Hillebrantz Otter.
Petrus Cantert.
Pupillorum Præfecti.
Nicolaus Doedensſ.
M. Nicolaes Heyn.

Anno 1555.

Prætor.
Vilhel. Theodori Bardensſ.
Consules.
Gerh. Nicolai Matheuſs.
M. Henrick Dirckſs.
Petrus Cantert.
Ioh. Duyvensſ.
Scabini.
Nicolaus Mienweſs.
Cornel. Iacobi brouwer.
Ioh. Henrici.
Allert Dirckſs Marcus.
Doede Claeſs Doedensſ.
Petrus Bicker.
Petrus Petri.
Thesaurarij.
Theodorus Otter.
Sibrandus Pompeius Occo.
Pupillorum Præfecti.
Nicolaus Doeden.
M. Nicolaus Heyn.

Hoc anno Ordinibus Provinciarum Hollandiæ, Zelandiæ, Gelriæ &c. Bruxellæ dies dicta fuit. Quibus in tempore cōgregatis, Cæsar Carolus V se Belgarum imperio abdicavit, & in filium Philippum id totum transtulit.

Anno 1556.

Prætor.
Vilhel. Theodori Bardensſ.
Consules.
M. Henrick Dirkſs.
Theodorus Otter.
Iuſtus Buyck.
Sibrandus Occo.
Scabini.
Ioh. Vilhelmi.
Harman Ellertz *moritur*,
Lucas Mayneltz *succedit.*
Florentius Roeterſs.
Simon Copſs.
Florentius Florentius.
Nicolaus Iacobs vā Leyden
M. Albert Cantert.

Thesaurarij.
Petrus Cantert.
Gerh. Nicolai Matheuſs.
Pupillorum Præfecti.
Nicolaus Doedeſs.
M. Nicolaus Heyn.

ANNO 1557.

Prætor.
Vilhel. Theodori Bardensſ.
Consules.
Theodorus Otter.
Petrus Cantert.
Gerh. Matheuſs.
Ioh. Duyvensſ.
Scabini.
Cornelius Anthoniſs.
Henrick Corn. Roemolen.
Ioh. Har. Goudeberch.
Franciſcus Teng.
Henricus Crocus.
Ellert Marcus.
Petrus Bicker.
Thesaurij.
Theodorus Otter.
Sibrandus Occo.
Pupillorum Præfecti.
Nicolaus Doedensſ,
M. Nicolaus Heyn.

ANNO 1558.

Prætor.
Vilhelm. Theodori Bardēſs.
Consules.
Gerh. Nicol. Matheuſs. *obijt*
Ioh. Duyvensſ *succedit.*
Theodorus Otter.
Nicolaus Doedensſ.
Sibrandus Pompeius Occo.
Scabini.
Simon Martensſ.
Floris Floriſs.
Simon Claeſs Copſs.
Lucas Meynertz.
Ian Oom Ianſs.
Nicolaus Iacobi.
Petrus Petri.
Thesaurarij.
Petrus Cantert.
Iuſtus Buyck.
Pupillorum Præfecti.
M. Nicolaus Heyn.
Ioh. Harmani.

ANNO 1559.
Prætor.
Vilh. Theodori Bardensſ.
Consules.
Theodorus Otter.
Petrus Cantert.
Iuſtus Buyck.
M. Cornelis Dobbeſs *obijt.*
Simon Copſs *succedit.*
Scabini.
Allert Marcus.
M. Petrus Bicker.
Henricus Cornelij.
Henricus Crocus.
Nicolaus Gerhartz.
Ioh. Nicolai Pylius.
Iacobus Matheuſs.
Thesaurarij.
Sibrandus Pompeius Occo.
Simon Martensſ.
Pupillorum Præfecti.
M. Nicolaus Heyn.
Nicolaus Doedensſ.

ANNO 1560.

Prætor.
Vilh. Dirck Bardensſ.
Consules.
Petrus Cantert.
Sibrandus Pompeius Occo
Simon Martensſ.
Ioh. Nicolai van Hobben.
Scabini.
Florentius Florentij.
Corne. Iacobi Brouwer.
Franciſ. Marcus.
Nicolaus Iacobi.
Anthonius van Hoeff.
Lucas Meynertz.
Petrus Petri.
Hoc anno ex Decreto Principis Margaretæ adauctus est Scabinorum numerus additique prioribus septem bini insuper.
Ioh. Vechters.
Ioh. Nicolai.
Thesaurarij.
Theodorus Otter.
Iuſtus Buyck.
Pupillorum Præfecti.
M. Nicolaus Heyn.
Ian Harmanſs.

ANNO 1561.
Prætor.
Vilhel. Theodori Bardensſ.
Consules.
Ioh. Nicolai van Hoppen.
Iuſtus Buyck.

Theo-

Theodorus Otter.
Simon Copſs.
Scabini.
Henrick Cornelisſs.
Ioh. Oom Ianſs.
Albert Dirckſs.
M. Petrus Bicker.
Henricus Crocus.
M. Albert Cantert.
Coen Pieterſs.
Theodorus Schaep Iacobſs.
Theodorus Ian Henricxſs.
Theſaurarij.
Petrus Cantert.
Sibrandus Occo.
Pupillorum Præfecti.
M. Nicolaus Heyn.
Franciſcus Marci.
Hoc anno loco duorum Pupillarium præfectorum ut tres deſignarentur conſtitutum.

ANNO 1562.

Prætor.
Vilhelmus Bardenſs.
16 Aprilis iuramẽtum præſtitit *Pro Prætoris.*
Vilhelmus Martenſs.
Conſules.
Simon Cops.
Petrus Cantert.
Sibrandus Pompeius Occo
Cornelis Iacob Brouwer.
Scabini.
Ioh. Duyvenſs.
Simon Mertenſs.
Franciſcus Teng.
Lucas Meynertz.
Anthonis van Hoeff.
Petrus Petrus.
Iacob Cornelis Nobel.
Florentius Otter.
M. Theodorus Florentij.
Theſaurarij.
Iuſtus Buyck.
Theodorus Hillebrantz.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. van Hoppen.
M. Nicolaus Heyn.
Nicolaus Doedenſs *obijt.*
Elbert Marcus *ſucceſſit.*

ANNO 1563.

Prætor.
Vilhelmus Martenſs.
Conſules.
Simon Copſs.
Petrus Cantert.
Sibrandus Pomp. Occo.
Cornelius Brouwer.
Scabini.
Ioh. Duyvenſs.
Simon Martenſs.
Franciſcus Meynertz.
Iohannes Pylius Nicolai.
Ioh. Vechterſs.
Conradus Petri.
Theodorus Schaep.
Ioh. Rijſers.
Theſaurarij.
Theodorus Otter.
Sibrandus Occo.
Pupillorum præfecti.
M. Nicolaus Heyn.
Simon Copſs Nicolai.

ANNO 1564.

Prætor.
Vilhelmus Bardenſs.
Proprætor.
Vilhel. Martenſs.
Conſules.
M. Henrick Dirckſs.
Ioh. Nicolai van Hoppen.
Simon Copenſs.
Theod. Otter Hillebr.
Scabini.
Simon Mertenſs.
Ioh. Oom Ianſs.
Lucas Meynertz.
Petrus Petri.
M. Albertus Cantert.
Iacob Cornelij.
M. Theodorus Florentij.
Ioh. Duyvenſs.
Theſaurarij.
Iuſtus Buyck Sibrandi.
Sibrandus Pompeius Occo
Pupillorum Præfecti.
Petrus Cantert.
Albertus Marcus.
Henricus Crocus.

ANNO 1565.

Prætor.
Vilhelmus Bardens.
Proprætor.
Vilhel. Mertenſs.
Conſules.
Simon Copſs.
Iuſtus Buyck.
Petrus Cantert.
Albert Marcus.
Scabini.
Henrick Cornelij.
Henricus Crocus.
M. Petrus Bicker.
Ioh. Pylius Nicolai.
Ioh. Vechters.
Conradus Petri.
Florentius Otto.
Gerbrant Eggerſs.
Vilhelmus Pauli.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. van Hoppen.
Simon Mertenſs.
Cornel. Iacob Brouwer.
Theſaurarij.
Theod. Otter.
Sibrandus Occo.

ANNO 1566.

Prætor.
Vilhel. Bardenſs uſque ad feſtum Paſchatis: atque inde Petrus Petri.
Proprætor.
Theodorus van Bremen.
Conſules.
Albert Marcus.
Ioh. van Hoppen.
Theod. Hillebrantz.
Cornelius Brouwer.
Scabini.
Simon Mertenſs.
Petrus Petri.
Iacobus Cornelij.
Lucas Meynertz.
M. Theodor. Florentij.
Theodo. Meynaertz Peter.
Petrus Nicolai Cannius.
Theodorus Dayman.
Theſaurarij.
Iuſtus Sibrandus Buyck.
Sibrandus Pompeius Occo.
Pupillorum Præfecti.
Petrus Cantert Vilhelmi.
Simon Copſs.

ANNO 1567.

Prætor.
Petrus Petri.
Proprætor Theodorus van Bremen una cum Petro Janſonio Kies, qui Geuſicæ novitatis inſimulatus erat, profugit. Eius nomine ſubſtitutus.

Propræ-

Propræter.
Volphardus Michaelis.
Consules.
Ioh. van Hoppen.
Iustus Buyck Sibrandi.
Simon Copss.
Henricus Cornelij.
Scabini.
Henricus Crocus.
Ioh. Pylius Nicolai.
Ioh. Vechters.
Garbrant Eggenss.
Florentius Otter.
Iacobus Gerhartz Teuss.
Iacobus Petri Cantert.
Ioh. Michaelis.
Thesaurarij.
Simon Mertens.
Elbert Marcus.
Pupillorum Præfecti.
Cor. Iacobss Brouwer.
Theod. Otter.
Garbrand Nicolai.

ANNO 1568.

Prætor.
Petrus Petri.
Propræter.
Volphardus Michaelis, *qui Balivus creatus Vaterlandiæ successorem habuit*
Gerhardum Nicolai.
Consules.
Simon Copss.
Elbert Marcus.
Simon Mertenss.
Florentius Mertz.
Scabini.
Cornelius Brouwer.
Albertus Cantert.
Ioh. Rijsers.
Nicol. Iacobi.
Theod. Dayman.
Lucas Meynaertz.
Iacobus Nicolai.
Arnoldus Arnoldi.
Henrick Iacobss.
Thesaurarij.
Iustus Buyck.
Iacobus Benning.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. van Hoppen.
Theodorus Hillebrantz.
Henricus Crocus.

ANNO 1569.
Prætor.
Petrus Petri.
Propræter.
Gerh. Nicolai.
Consules.
Elbert Marcus.
Iustus Buyck.
Ioh. Nicolai van Hoppen.
Theod. Dayman.
Scabini.
Henricus Cornelij.
Ioh. Vechters.
Ioh. Pylius.
Gerbrant Eggenss.
Florent. Theodori.
Gerbrant Posch.
Cornelius Nicolai.
Iacobus Cantert.
Vesselus Iacobi.
Thesaurarij.
Simon Marten Dirckss.
Iacob. Gerh. Theuss.
Pupillorum Præfecti.
Theod. Otter.
Simon Copss.
Floris Martz.

ANNO 1570.

Prætor.
Petrus Petri.
Consules.
Iustus Buyck.
Simon Copss.
Florentius Martenss.
Iacobus Cornelij.
Scabini.
Simon Martz.
Lucas Meynartz.
M. Albert Cantert.
Ioh. Rijsers.
Theodorus Dayman.
Ioh. Michaelis.
Henrick Iacobss.
Ioh. Marcus.
Lucas van Teylingen.
Thesaurarij.
Iacobus Theuss.
Cor. Iacobs.
Pupillor. Præfecti.
Theod. Otter.
Ioh. Nicolai van Hoppen.
Henrick Cornelis.

ANNO 1571.

Prætor.
Petrus Petri.
Consules.
Simon Copss.
Ioh. van Hoppen.
Cor. Iacobss Brouwer.
Henrick Cornelis.
Scabini.
Nicolaus van Leyden.
Ioh. Pylius Nicol.
Ioh. Vechters.
Florentius Otter.
Garbrant Eggenss.
Iacobus Cantert.
Cor. Meuss.
Sibrandus Buyck.
Iacobus van Bosshuysen.
Thesaurarij.
Iacob Theuss.
Florentius Martz.
Pupillorum Præfecti.
Theod. Otter.
Iustus Buyck.
Simon Martz.

ANNO 1572.

Prætor.
Petrus Petri.
Consules.
Ioh. van Hoppen.
Iustus Buyck.
Florentius Martz.
Iacobus Cornelij.
Scabini.
Simon Martz.
M. Albert Cantert.
Ioh. Rijser Ianss.
Garbrant Nicolai Posch.
Theod. Meynaertz Pater.
Theod. Dayman.
Vesselus Iacobi.
Lucas van Teylingen.
M. Ioh. Thijmanss.
Thesaurarij.
Cor. Iacobss Brouwer.
Iacobus Theus Gerritz.
Pupillorum Præfecti.
Theod. Otter.
Simon Copss.
Henrick Cornelis.

ANNO 1573.

Prætor.

Effluxerat jam tempus præturæ, quam gerebat Petrus Petri: eique urbis nomine ad tempus successor datus Iustus Buyck Cõsul, & mox Prætor creatus.

Iacobus Boshusius.

Qui cum anno eodem vita functus esset suffectus est

Andreas Hollesloot.

Consules.

Simon Copss.

Cornelius Iacobi Brouwer.

Albert Marcus.

Iacobus Cornelij.

Scabini.

Nicol. Iacobi.

Ioh. Pylius.

Ioh. Vechters.

Florentius Otter.

Garbrant Eggenss.

Iacobus Cantert.

Ioh. Michielss.

Cornel. Meuss.

Iohannes van Santen.

Thesaurarij.

Sibrandus Pompeius Occo.

Iacob. Theuss.

Pupillorum Præfecti.

Iustus Buyck.

Theodorus Otter.

Ioh. van Hoppen. *Obijt.*

ANNO 1574.

Prætor.

Andreas Hollesloot.

Consules.

Simon Copss.

Theodorus Hillebrantz.

Iustus Buyck.

Petrus Petri.

Scabini.

M. Albertus Cantert.

Iacob. Theuss.

Theodorus Dayman.

Vessellus Iacobi.

M. Ioh. Thijmanss.

Cor. Francisci.

Reyner Henrixss.

M. Iohannes Duvess.

M. Arnoldus Sandelijn.

Thesaurarij.

Sibrandus Occo.

Nicolaus Iacobi.

Pupillorum Præfecti.

Cornelius Brouwer.

Albertus Marci.

Cornelius Meuss.

ANNO 1575.

Prætor.

Andreas Hollesloot.

Consules.

Cornelius Brouwer.

Cornelius Iacobi van Leyden.

Sibrandus Buyck.

Ioh. Vechters.

Scabini.

Ioh. Pylius.

Florentius Otter.

Gerbrant Eggenss.

Iacobus Cantert.

Ioh. Michiel Louff.

Henrick Bicker.

Cornelius van Rijck.

Arent Henrick van Veesp.

Nicolaus van Santen.

Thesaurarij.

Sibrandus Occo.

Iacobus Theuss.

Pupillorum Præfecti.

Iustus Buyck.

Theodorus Hillebrantz.

Petrus Petri.

ANNO 1576.

Prætor.

Andreas Hollesloot.

Consules.

Iustus Buyck.

Petrus Petri.

Iacobus Theuss.

Nicolaus Iacobi.

Scabini.

M. Albert Cantert.

Ioh. Rijser.

Theod. Dayman.

Cornelius Francisci.

Reynier Henricx.

M. Ioh. Duvess.

M. Arnoldus Sandelijn.

Nicolaus Heyn.

Thesaurarij.

Sibrandus Occo.

Ioh. Marci.

Pupillorum Præfecti.

Theodo. Hillebrantz.

Corn. Brouwer.

Ioh. Vechters.

ANNO 1577.

Prætor.

Andreas Hollesloot.

Consules.

Iustus Buyck.

Ioh. Vechters.

Cornelius Meuss.

Iacobus Cantert.

Scabini.

Ioh. Pylius.

Florentius Otter.

M. Ioh. Timannus.

Ioh. van Santen.

Arnoldus van Veesp.

Vilhelmus Adami.

Simon Theodori.

Petrus Nicolai Olij.

Thesaurarij.

Nicolaus Iacobi van Leydē.

Ioh. Theodori.

Pupillorum Præfecti.

Iustus Buyck.

Theod. Hillebrantz.

Petrus Petri.

ANNO 1578.

Prætor.

Andreas Hollesloot.

Consules.

Cornelius Meuss.

Iacobus Theuss.

Henrick Bicker.

Reynier Henricx.

Scabini.

Ioh. Pylius.

Florentius Otter.

Garbrant Eggens.

M. Ioh. Timannus.

Ioh van Santen.

Arnoldus van Veesp.

Vilhelmus Adami.

Simon Theodori.

Petrus Nicolai Olij.

Eodem hoc anno novi Scabini creati, qui sequuntur.

M. Albert Cantert.

Ioh. Michael Loeffz.

Sibrandus Buyck.

M. Ioh. Duvess.

Cornelius van Rijck.

Ioh van Rijck.

Ioh. van Marcken.

Evert Corssen.

Ioh. Persijn.

M. Cornelius Romenyboot

Thesaurarij.

Cornelius Brouwer.

Ioh. Theodori Marcus.

Pupillorum Præfecti.

Theod. Hillebrant Otter.

Iustus Buyck.

Sibrand us Occo.

26 Maij universus magistratus immutatus est, de quo vide supra hunc annum lib. 1.

Prætor.

Prætor.
Vilhelmus Martz Calff.
Proprætor.
Egbert Cornelifs.
Consules.
M. Vilhelmus Bardenfs.
M. Martinus Æditius Co-
ſter alias.
Hadrianus Cromhout.
Theodorus Graeff.
Scabini.
Cornelius van Rijck.
Hadrianus Pauw.
Iacob Benning.
Balthazar Appelman.
Gerhardus van Delfft.
Ioh. Iacobſs Huydecooper.
Henrick Olfers Fuyck.
M. Cornelis Romenyboot.
Henrick Boeliſs.
Theſaurarij.
Petrus Roding. in M S. Roē
Henrick van Marcken.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. Nicolai Catt.
Isbrant Ianſs.
Ioh. Meurling.

ANNO 1579.
Prætor.
Vilhelmus Martz Calff.
Consules.
M. Vilhelmus Bardenſs.
Ioh. Nicolai Catt.
Egbert Roeloffs.
Corn. Floris van Teylingen.
Scabini.
Isbrant Ianſs.
Ioh. Ianſs. Smit.
Ioh. Nicolai Boeleſs.
Cornelius Alberti.
Petrus Vilhelmi Vriendt.
Voltherus Verhee.
Ioh. Petri Reael.
Franciſcus Benning.
Ioh. Cornelij Hooft.
Theſaurarij.
M. Martinus Æditiuus.
Petrus Roem alias Roding.
Pupillorum Præfecti.
Ioh: Meurling.
Cornelis van Rijck.
Iacob Benning.

ANNO 1580.

Prætor.
Vilhelmus Martz Calff.
Proprætor.
Egbert Cornelij.
Consules.
Egbert Roelofs.
Regnerus Cant.
M. Martinus Æditius
Hadrianus Cromhout.
Scabini.
Cornelius van Riick.
Francif. Volkardi Cromh.
Nicolaus Reyerſs.
Nicolaus Boelenſs.
Iacobus Bas.
Vinrix van Marcken.
Petrus Boom.
Fredericus Voghel.
Reynſt Pieterſs.
Theſaurarij.
Ioh. Nicolai Boelenſs.
Godefridus Vuytier.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. Meurling.
Henrick van Marcken.
Ioh. Smidt.

ANNO 1581.

Prætor.
Vilhelmus Martz Calff.
ei hoc anno ad tempus ſucceſſor datus.
Ioh. Coenrad. Seveſtar.
Consules.
Reynerus Cant.
M. Vilhelmus Bardenſs.
Cornelius Florentij.
Regnerus van Neck.
Scabini.
Cornelius van Rijck.
Petrus Boom.
Ioh. Nicolai Bolenſs.
Petrus Vriendt.
Franciſcus Benning.
Nicolaus Goyer.
Ioh. Verhee.
Godefridus Vuytier.
Cornelius Bolenſs.
Theſaurarij.
Egbert Roeloffs.
Petrus Roding alias Roem.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. Meurling.
M. Martinus Æditius.
Ioh. Smidt.

ANNO 1582.

Prætor.
M. Vilhelmus Bardenſs.
ex numero Conſulum.
Proprætor.
Ioh. Conradi Seveſtar.
Consules.
M. Vilhelmus Bardenſs.
M. Martinus Æditius.
Egbert Roeloffs.
Nicolaus Boelenſs.
Scabini.
Franciſcus Benning.
Godef. Theodori Vuytier.
Balthazar Appelman.
Reynſt Pieterſs.
Wibout de Wael.
Egbert Pieterſs.
Nicolaus Simon van Leydē.
Laurentius Iacobi.
Cornelius Petri Hooft.
Theſaurarij.
Cor. Floriſs van Teylingen.
Ioh. Nicolai Bolenſs.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. Meurling.
Petrus Boom.
Ioh. Smidt.

ANNO 1583.

Prætor.
Ioh. Conradi Seveſtar.
Consules.
Egbert Roeloffs.
Cornelius van Teylingen.
Reynerus Cant.
Petrus Boom.
Scabini.
Nicolaus Simon van Leyden.
Cornelius Petri Hooft.
Cornelius van Rijck.
Ioh. Iacobi Huydecooper.
Ioh. Verhee.
Nicolaus Franſ. Oetgens.
Cornelius de Vlaming.
Iacobus Boelenſs.
Iacobus Schaep.
Theſaurarij.
Ioh. Nicolai Boelenſs.
Ioh. Verburch.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. Meurling.
M. Martinus Æditius.
Ioh. Smidt.

ANNO 1584.

Prætor.
Ioh.Conradi Sevestar.
Consules.
Cornelius van Teylingen.
M.Vilhelmus Bardensſ.
M. Martinus Æditaus.
Ioh.Verburch.
Scabini.
Ioh. Verhee.
Nicol.Francisci Oetgens.
Balthazar Appelman.
Ioh. Nicolai Boelensſ.
Petrus Vilhelmi Vriendt.
Egbert Pieters.
Franciscus Ruysch.
Cornelius Iacobi Witz.
Cornelius Benning.
Thesaurarij.
Petrus Boom.
Iacob.Schaep.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. Meurling.
Ioh.Smit.
Cornelius de Vlaming.

Hoc anno Pretura dignitas translata in Vilhelmum vander Does.

ANNO 1585.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Proprætor.
Egbertus Cornelij.
Consules.
M. Martinus Æditaus.
Regnerus Cant.
Egbert Roeloffs.
Petrus Boom.
Scabini.
Ioh.Nicolai Boelensſ.
Petrus Vilhelmi Vriendt.
Laurentius Iacobi.
Iacobus Schaep.
Ian Iacobsſ Huydecooper.
Ian Cornelis Hooft.
Cornelis de Vlaming.
Gerhardus Iacobi Witz.
Iacobus Gerhardi Hoyng. alias Hoen.
Thesaurarij.
Ian Verburch.
Ian Iansſ. Smit.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. Meurling.
M.Vilhelmus Bardensſ.
Balthazar Appelman.

ANNO 1586.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Proprætor.
Egbert Cornelisſ.
Consules.
Reynier Cant.
Cornelius van Teylingen.
M.Vilhelmus Bardensſ.
Nicolaus Francisſ.Oetgens.
Scabini.
Laurentius Iacobi.
Iacobus Schaep.
Ioh. Verhee.
Otto Vogel.
Balthazar Appelman.
Henrick Olfers Fuyck.
Cornelis Pietersſ Hooft.
Cornelius Benning.
Petrus Pauw Hadriani.
Thesaurarij.
Ian Verburch.
Ian Iacobsſ.Huydecooper.
Pupillorum Præfecti.
Ioh Meurling.
Petrus Boom.
Egbert Roeloff.

ANNO 1587.

Prætor.
Vilhelmus vanderDoes.
Proprætor.
Egbert Cornelisſ.
Consules.
Cornelius van Teylingen.
Petrus Boom.
Egbert Roeloffs.
Ioh Nicolai Boelensſ.
Scabini.
Ioh. Verhee.
Otto Vogel.
Nicolaus Simon van Leydē.
Cornelius Witz.
Ian Smit.
Pieter Vriendt Will.
Ian Cor. Hooft.
Ioh.Thomæ van Alcmaer.
Francisſ. Henrici Oetgens.
Thesaurarij.
Ioh. Verburch.
Ian Iacobsſ Huydecooper.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. Meurling.
Iacobus Bas.
Nicol.Francisci Oetgens.

ANNO 1588.

Prætor.
Vilhelmus Vander Does.
Proprætor.
Egbert Cornelius.
Consules.
Petrus Boom.
Reynier Cant.
Nicolaus Francisci Oetgēs.
Cor. Petri Hooft.
Scabini.
Nicolaus Simon van Leydē.
Cor.Iacobsſ Witz.
Henrick Olfertz.
Iacob Boelensſ.
Balthazar Appelman.
Ian Iacobsſ.Huydecooper.
Cornelius Benninck.
Bartholt Cromhout.
Henrick Hudde Arentz.
Thesaurarij.
Ian Claesſ. Boelensſ.
Ian Verburch.
Thesaurarij extraordinarij.
Petrus Pauw.
Gerh. Iacob. Witz.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. Muerling.
Ian Iansſ. Smit.
Ian Cornelisſ.Hooft.

ANNO 1589.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Consules.
Reinier Cant.
Cor. Florisſ van Teylingen
M. Vilhelmus Bardesſ.
Ian Claesſ. Boelensſ.
Scabini.
Henrick Olfertz.
Iacob Boelensſ.
Ioh. Verhee.
Laurentius Iacobi.
Petrus Vilhelmi Vriendt.
Otto Voghel.
Francisſ. Henrici Oetgens.
Ian Laurentius Spiegel.
Wibrant Appelman.
Thesaurarij extraordinarij.
Gerhard. Iacobi Witz.
Gerhard. Bicker.
Pupillorum Præfecti.
Ioh. Muerling.

Nico-

Nicol. Fran. Oetgens.
Ian Cornelis Hooft.

ANNO 1590.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Consules.
Corn. Florifs. van Teylingē.
Petrus Boom.
Nicol. Francisci Oetgens.
Balthasar Appelman.
Scabini.
Ian Verhee.
Laurentius Iacobi.
Ian Iacobſs Huydecooper.
Cornelis Iacob. Witz.
Ian Cornelifs. Hooft.
Cornelifs. Benning.
Henrick Hudde Arentz.
Gerhardus Bicker.
Regnerus Pauw.
Thesaurarij.
Ian Claefs Boelenfs.
Cornelifs. Pieterfs. Hooft.
Thesaurarij extraordinarij.
Gerh. Iacobi Witz.
Iacob Ianfs Vinck.
Pupillorum Præfecti.
M. Vilhelmus Bardenfs.
Ioh. Muerling.
Ian Pieterfs Reael.

ANNO 1591.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Proprætor.
Egbert Cornelifs.
Consules.
Petrus Boom.
Reynier Cant.
Cornelifs Pieterfs. Hooft.
Barthel Cromhout.
Scabini.
Ian Iacob Huydecooper.
Henrick Hudde Arentz.
Petrus Vilhel. Vriendt.
Ian Pieterfs Reael.
Iacob Boelefs.
Gerh. Iacob Witz.
Iacob Gerritz Hoyng.
Ian Pieterfs. Capit.
Petrus Claefs. Calff.
Thesaurarij.
Ian Claefs Boelenfs.
Roeloff Egbertz.
Thesaurarij extraordinarij.
Iacob Ianfs Vinck.
Wibrant Appelman.
Pupillor. Præfecti.
M. Vilhelmus Bardenfs.
Claes Franfs. Oetgens.
Balthazar Appelman.

ANNO 1592.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Proprætor.
Egbert Cornelifs.
Consules.
Reynier Cant.
M. Vilhelmus Bardenfs.
Cor. Florifs. van Teilingen.
Claes Franfs Oetgens.
Scabini.
Ian Pieterfs Reael.
Iacob Boelenfs.
Ian Verhee.
Ioh. Thomæ.
Ian de Vrij.
Iacob Ianfs Vinck.
Cornelis Witz.
Petrus van Neck.
Vilhel. Pieterfs. Hooft.
Thesaurarij.
Ian Claes Boelenfs.
Ian Verburch.
Thesaurarij extraordinarij.
Gerh. Bicker.
Wibrant Appelman.
Pupillorum Præfecti.
Balthazar Appelman.
Cornel. Pieterfs Hooft.
Barthel Cromhout.

ANNO 1593.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Proprætor.
Egbert Cornelifs.
Consules.
Corn. Florif. van Teylingen.
Peter Boom.
Ian Claefs Boelenfs.
Balthazar Appelman.
Scabini.
Ian Verhee.
Ioh. Thomæ.
Ian Iacobf. Huydecooper.
Iacob Hoyn.
Frans Henricx Oetgens.
Henrick Hudde Arentz.
Reyer Pauw.
Peter Claefs. Calff.
Sebastianus Egberti D.
Thesaurarij.
Ian Verburch.
Roeloff Egbertz.
Thesaurarij extraordinarij.
Gerh. Witz.
Gerh. Bicker.
Pupillorum Præfecti.
M. Vilhel. Bardenfs.
Cor. Pieterfs Hooft.
Berthel Cromhout.

ANNO 1594.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Proprætor.
Egbert Cornelifs.
Consules.
Peter Boom.
M. Vilhel. Bardenfs.
Reynier Cant.
Cor. Pieterfs. Hooft.
Scabini.
Henrick Hudde.
Doct. Sebastianus Egberti.
Claes Simon van Leyden.
Cor. Iacobfs Witz.
Gerh. Bicker.
Iacob Ianfs. Vinck.
Isbrant Ben.
Petrus Bas.
Hadriaen du Gardijn.
Thesaurarij.
Balthazar Appelman.
Roeloff. Egbertz.
Thesaurarij extraordinarij.
Gerh. Iacob Witz.
Elbert Cornelifs.
Pupillorum Præfecti.
Barthel Cromhout.
Ian Pieterfs, Reael.
Petrus van Neck.

ANNO 1595.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Proprætor.
Egbert Cornelifs.
Consules.
Reynier Cant.
Balthazar Appelman.
Barthel Cromhout.
Iacob Boelenfs.
Scabini.
Claes Simon van Leyden.

Cor.Iacob.Witz.
Ian Verhee.
Ian Thomass.
Reyer Pauw.
Peter Neck.
Vilhel.Pieterſ.Hooft.
Pieter Dirck Haſſelaer.
Gerrit Claeſ. Vloeſwijck.

Thesaurarij.

Ian Claeſ. Boeleſs.
Roeloff Egbertz.

Theſ. extraor.

Iacob Ianſ.Vinck.
Elbert Cornelifs.

Pupillorum Præfecti.

Cor.Florifs van Teylingen.
Cor. Pieterſs. Hooft.

ANNO 1596.

Prætor.

Vilhelmus vander Does.

Proprætor.

Peter Strijker.

Consules.

Barthel Cromhoudt.
Ian Claeſs. Boelenſs.
Cor. Pieterſ. Hooft.
Ian de Vrij Egbertz.

Scabini.

Ioh. Verhee.
Reyer Pauw.
Peter Vilhel. Vrindt.
Laurens Iacobs.
Cor. Benninck.
Henrick Hudde.
Iacob Ianſs. Vinck.
Cornelis Ioris.
Doct. Theodorus Bas.

Thesaurarij.

Balthazar Appelman.
Iacob Boelenſs.

Theſ. extraor.

Gerrit Iacob Witz.
Albert Cornelifs.

Pupillorum Præfecti.

M. Vilhelmus Bardenſs.
Cor. van Teylingen.
Claes Frans Oetgens.

ANNO 1597.

Prætor.

Vilhelmus vander Does.

Proprætor.

Peter Striicker.

Consules.

Cor.Benninck.
Iacob Gerritz Hoyn.
Gerrit Witz.
Ian Thomaſs.
Gerrit Bicker.
Peter van Neck.
Peter Dirck Haſſelaer.
Doct. Sebaſt. Egberti.
Ioris Iorifs.

Thesaurarij.

Iacob Boelenſs.
Roeloff Egbertz.

Theſ. extra.

Iacob Ianſs.Vinck.
Egbert Cornelifs.

Pupillorum Præfecti.

Claeſs. Franſs.
Ian Claeſs Boelenſs.
Balthazar Appelman.

ANNO 1598.

Prætor.

Vilhelmus vander Does.

Proprætor.

Pieter Strijcker.

Consules.

Pieter Boom.
Claes Franſs Oetgens.
Iacob Boelenſs.
Ian de Vry Egbertſs.

Scabini.

Gerrit Iacob Witſs
Doctor Sebaſtiaen Egbertſs
Reynier Pauw Adriaenſs.
Willem Pieterſs.Hooft.
Cornelis Iorifs.
M. Dirck Bas.
Ian Claes Reynerſs.
Harmã Gijsbertſs vanden Pol.
Iacob Dircx Graeff.

Thesaurarij.

Corn.Florifs van Teylingẽ.
Ian Claes Boelifs.

Theſ. extra.

Iacob Ianſs. vinck.
Pieter Bas.

Pupillorum Præfecti.

Balthazar Appelman.
Corn.Pieterſs. Hooft.
Pieter van Neck.

Rationarij.

Harman Rodenberch.
Frans Hendricx Oetgens.

Assecurationis Magistri.

Gerrit Bicker.
Frans Henricx Oetgens.
Gelis Ianſs Valckenier.

ANNO 1599.

Prætor.

Willem vander Does.

Proprætor.

Pieter Strijcker.

Consules.

Iacob Boelenſs.
M. Wilhem Bardenſs.
Ian Claes Boelifs.
Franſs Hendricx Oetgens.

Scabini.

Reynier Pauw Adriaenſs.
D. Dirck Bas.
Ian Iacobſs Huydecooper.
Claes Simonſs Heemskerck
Laurens Iacobſs.
Iacob Gerritſs Hoing.
Ioris Iorifs.
Pieter Thijs.
D.Sibrant Appelman.

Thesaurarij.

Corn.Florifs van Teylingẽ.
Roeloff Egbertſs.

Theſ. extra.

Iacob Ianſs Vinck.
Pieter Bas.

Pupillorum Præfecti.

Balthazar Appelman.
Claes Frans Oetgens.
Pieter van Neck.

Rationarij.

Ian de Vry Egbertz.
Harman Roedenburch.

Assecurationis Magistri.

Gerrit Bicker.
Giles Ianſs Valckenier.
Willem Pieterſs Hooft.

ANNO 1600.

Prætor.

Willem vander Does.

Proprætor.

Pieter Strijcker.

Consules.

Ian Claes Boelifs.
Pieter Boom.
Balthazar Appelman.
Bartelt Cromhout.

Scabini.

Ian Iacobſs Huydecooper.
Iacob Gerritz Hoyng.
Pieter Willemſs Vrient.
Gerrit Iacob Witſs.
Pieter van Neck.
D. Sebaſtiaen Egbertſs.
Roeloff Egbertſs.

D. Pieter

D. Pieter Schaep.
Ian de Vry Egbertſs.
Gerrit Bicker.
Theſ. extraordi.
Iacob Ianſs Vinck.
Ioris Iorifs.
Pupillorum Præfecti.
Claes Franſs.
M. Willem Bardezen.
Rationarij.
Harmā Rodēburch Doude
Frans Henricx Oetgens.
Aſſecura. Magiſtri.
Gillis Ianſs Valckenier.
Willem Pieterſs Hooft.
Ian Henricx Oetgens.

ANNO 1601.

Prætor.
Willem vander Does.
Proprætor.
Pieter Strijcker.
Conſules.
Bartelt Cromhout.
M. Willem Bardezen. *obijt.*
Cornelis Banning *ſucceſſit.*
Cornelis Pieterſs Hooft.
Ian de Vry Egbertſs.
Scabini.
D. Sebaſtiaen Egbertſs.
Harman Gijsbertſs vā Pol.
Ian Thomaſs.
Reynier Adriaenſs Pauw.
Isbrant Ben.
D. Dirck Bas.
Ioris Iorifs.
D. Sibrant Appelman.
Ionas Witſs.
Theſaurarij.
Gerrit Bicker.
Balthazar Appelman.
Theſ. extra.
Iacob Ianſs. Vinck.
Albert Cornelifs.
Claes Franſs.
Cor. Floriſs. van Teylingen.
Pieter Boom.
Rationum Magiſtri.
Harman Rodēburch Doude
Frans Henricx Oetgens.
Cornelis Ianſs. Valckenier.

ANNO 1602.

Prætor.
Willem vander Does.
Proprætor.
Pieter Strijcker.
Conſules.
Cornelis Pieterſs. Hooft.
Cor. Floriſs. van Teylingen
Pieter Boom.
Claes Franſs.
Scabini.
Reynier Adriaenſs Pauw.
D. Dirck Bas.
Ian Iacobſs. Huydecooper.
Pieter Wilmſs. Vrient.
Gerrit Iacob Witſs.
Pieter Dircx Haſſelaer.
Iacob Graeff.
D. Pieterſs Schaep.
D. Hans ten Grotenhuys.
Theſaurarij.
Gerrit Bicker.
Ian de Vry Egbertſs.
Theſ. extraor.
Iacob Ianſs Vinck.
Albert Cornelifs.
Pupillorum Præfecti.
Bartelt Cromhout.
Cornelis Benning.
Roeloff Egbertſs.
Ration. Mag.
Harmā Rodēburch Doude.
Claes Simonſs Heemskerck
Aſſecura. Magi.
Ian Hendricx Oetgens.
Cor. Ianſs. Valckenier.
Adriaen Pieterſs Raep.

ANNO 1603.

Prætor.
Willem vander Does.
Proprætor.
Pieter Strijcker.
Conſules.
Pieter Boom.
Bartelt Cromhout.
Ian de Vrij Egbertſs.
Gerrit Bicker.
Scabini.
Gerrit Iacob Witz.
Iacob Dircx Graeff.
Ian Thomaſs.
Isbrant Ben.
D. Sebaſtiaen Egbertſs.
Ioris Iorifs.
Harman vande Pol.
Iacob Egbertſs.
M. Volckaert Overlander.
Theſaurarij.
Reynier Pauw.
Ionas Witz.
Theſ. extraor.
Iacob Ianſs Vinck.
Henrick Pieterſs Schrijver.
Pupillorum Præfecti.
Roeloff Egbertſs.
Cor. Floriſs van Teylingen.
Ian Claes Boeliſs.
Rationum Magiſtri.
Harman Rodenburch.
Aſſecura. Magiſtri.
Ian Henricx Oetgens.
Cor. Ianſs Valckenier.
Adriaen Pieters Raep.

ANNO 1604.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Proprætor.
Pieter Strijcker.
Conſules.
Ian de Vry Egbertſs.
Cor. Floriſs van Teylingen.
Cor. Pieterſs Hooft.
Frans Henricx Oetgens.
Scabini.
D. Sebaſtiaen Egbertſs.
Harman Gijsbertſs vande Pol.
Ian Iacobſs Huydecooper.
Pieter Wilmſs Vrient.
Iacob Gerritſs Hoing.
Pieter Dircx Haſſelaer.
D. Dirck Bas.
Ionas Witz.
Laurens Ianſs Spiegel.
Theſaurarij.
Gerrit Bicker.
Reynier Pauw.
Theſaurarij extraordinarij.
Iacob Ianſs Vinck.
Henrick Pieterſs Schrijver
Pupillorum Præfecti.
Roeloff Egbertſs.
Ian Claeſs Boelenſs.
Claes Franſs.
Rationarij.
Harman Rodenb. Doude.
Ioris Iorifs.
Aſſecura. Magiſtri.
Ian Hendricx Oetgens.
Cor. Ianſs Valckenier.
Adriaen Pieterſs Raep.

ANNO 1605.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Propræ-

Propretor.
Pieter Strijcker.
Consules.
Cornelis Pietersſs Hooft.
Pieter Boom.
Bartelt Cromhout.
Reynier Adriaensſs Pauw.
Ian Iacoſs Huydecooper.
Iacob Gerritſs Hoing.
Gerrit Iacob Witz.
Ian Thomasſs.
Ioris Ioriſs.
Iacob. Dircx Graeff.
D. Hans ten Grotenhuys.
M. Volckert Overlander.
Pieter de Vlaming.
Thesaurarij.
Roeloff Egbertz.
Ionas Witſs.
Thesaurarij extraordinarij.
Iacob Ianſs. Vinck.
Henrick Pietersſs Schrijver.
Ration. Magistri.
Harman Rodenburch.
Frans Henricx Oetgens.
Pupillorum Præfecti.
Claes Franſs.
Ian de Vrij Egbertſs.
Ian Pieter ſs Reael.
Assecura. Magistri.
Ian Hendricx Oetgens.
Cornelis Ianſs Valckenier.
Adriaen Pietersſs Raep.

ANNO 1606.

Prætor.
Vilhelmus Vander Does.
Proprætor.
Pieter Strijcker.
Consules.
Pieter Boom.
Iacob Boeleſs.
Ian de Vrij Egbertſs.
D. Sebaſtiaen Egbertſs.
Scabini.
Iacob Dircx Graeff.
M. Volckaert Overlander.
Pieter Dircx Haſſelaer.
D. Dirck Bas.
Harman Gijsbertſs vande Pol.
Ionas Witſs.
Laurens Ianſs Spieghel.
Gerrit Dircx.
D. Dominicus Heemskerck
Thesaurarij.
Gerrit Iacob Witſs.
D. Hans ten Grotenhuys.
Thesaurarij extraordinarij.
Iacob Ianſs Vinck.
Henrick Pietersſs Schrijver.
Pupillorum Præfecti.
Claes Franſs.
Cornelis Pietersſs Hooft.
Ian Pietersſs Reael.
Assecura. Magistri.
Ian Hendricx Oetgens.
Cornelis Ianſs Valckenier.
Adriaen Pietersſs Raep.
Ration. Mag.
Ioris Ioriſs.
Pieter de Vlaming.

ANNO 1607.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Proprætor.
Pieter Strijcker.
Consules.
Iacob Boeliſs.
Cornelis Pietersſs Hooft.
Frans Hendricx Oetgens.
Cornelis Banning.
Scabini.
D. Dirck Bas.
Harman Gijsberts vande Pol.
Ian Iacobſs Huydecooper.
Iacob Gerritſs Hoing.
Ian Thomasſs.
Ioris Ioriſs.
D. Hans ten Grotenhuys.
Roetert Ernſt.
Iacob Poppen.
Thesaurarij.
Roeloff Egbertſs.
Gerrit Iacob Witſs.
Thesaurarij extraordinarij.
Iacob Ianſs Vinck.
Henrick Pietersſs Schrijver.
Pupillorum Præfecti.
Claes Franſs.
Ian Pietersſs Reael.
Ian de Vrij Egbertſs.
Assecura. Magi.
Cornelis Ianſs. Valckenier.
Adriaen Pietersſs Raep.
Gerrit Dircx.
Ration. Magistri.
D. Sebaſtiaen Egberts.
Pieter de Vlaming.

ANNO 1608.

Prætor.
Vilhelmus vander Does.
Proprætor.
Pieter Strijcker.
Consules.
Cornelis Pietersſs Hooft.
Pieter Boom.
Claes Franſs.
D. Sebaſtiaen Egbertſs.
Scabini.
Ian Thomasſs.
D. Hans ten Grotenhuys.
Pieter Dircx Haſſelaer.
Isbrant Ben.
Iacob Graeff.
Roeloff Egbertſs.
Ionas Witſs.
Laurens Ianſs Spiegel.
Dirck de Vlaming.
Thesaurarij.
Gerrit Iacob Witſs.
Ioris Ioriſs.
Thesaurarij extraordinarij.
Iacob Ianſs Vinck.
Hendrick Pietersſs Schrijver
Pupillorum Præfecti.
Ian Pietersſs Reael.
Ian de Vrij Egbertſs.
Frans Hendricx Oetgens.
Ratio. Magi.
Cornelis Banning.
Pieter de Vlaming.
Assecura. Magistri.
Cornelis Ianſs Valckenier.
Adriaen Pietersſs Raep.
Gerrit Dircx.

ANNO 1609.

Prætor.
Vilhelmus vanderDoes.
Proprætor.
Pieter Strijcker.
Consules.
Claes Franſs.
Iacob Boeliſs.
Reynier Pauw.
Gerrit Iacob Witſs.
Scabini.
Pieter Dircx Haſſelaer.
Roeloff Egbertſs.
M. Volckaert Overlander.
Gerrit Dircx.
D. Dominicus Heemskerck
Iacob Poppen.
Ian Pietersſs de Wit.

Iacob

Jacob van Neck.
Pieter Ianſs Reael.

Theſaurarij.

Ioris Iorifs.
D. Hans ten Grotenhuys.

Theſaurarij extraordinarij.

Iacob Ianſs Vinck.
Henrick Pieterſs Schrijver.

Pupillorum Præfecti.

Ian Pieterſs Reael.
Harman vande Pol.
Cornelis Banning.

Ration. Magiſtri.

Pieter de Vlaming.
Ian Iacobſs. Huydecooper.

Aſſecura. Magiſt.

Cornelis Ianſs Valckenier.
Adriaen Pieterſs Raep.
Ionas Witſs.

Menſæ arg. Præſides.

Frans Hendricx Oetgens.
D. Dirck Bas.
Dirck de Vlaming.

ANNO 1610.

Prætor.

Willem vander Does.

Proprætor.

Pieter Strijcker.

Conſules.

Iacob Boelifs.
Cornelis Pieterſs. Hooft.
Cornelis Banning.
D. Dirck Bas.

Scabini.

M. Volckert Overlander.
Gerrit Dircſs.
Iacob Gerritſs Hoing.
Ian Thomaſs.
Ionas Witſs.
D. Hans ten Grotenhuys.
Laurens Ianſs Spiegel.

Iacob Backer.
Abraham Boom.

Theſaurarij.

Ioris Iorifs.
Reynier Adriaenſs Pauw.

Theſaurarij extraordinarij.

Iacob Ianſs Vinck.
Henrick Pieterſs Schrijver.

Pupillorum Præfecti.

Ian Pieterſs Reael.
Harman vande Pol.
Iacob Dircxſs Graeff.

Aſſecura. Magiſtri.

Adriaen Pieterſs Raep.
Cornelis Ianſs Valckenier.
Iacob Poppe.

Ration. Magiſt.

Pieter de Vlaming.
Ian Iacobſs Huydecooper.

Menſæ arg. præſides.

Franſs Hendrix Oetgens.
Dirck de Vlaming.
Gerrit Iacob Witſs.

Penſionarius.

Doctor Albert de Veer.

Secretarij.

M. Iacob vander Does.
Iacob de Haen.
Salomon Henricx.
Gerrit Roſenboom.
Barent Ianſs.

ANNO 1611.

Prætor.

Willem vander Does.

Proprætor.

Pieter Strijcker.

Conſules.

Cornelis Benninck.
Frans Hendricx Oetgens.

Reynier Pauw.
Roeloff Egberts.

Scabini.

Iacob Gerrits Hoing.
Ionas Witſs.
Pieter Haſſelaer.
Harman vande Pol.
Iacob Graeff.
Pieter Matthijſſen.
Dirck de Vlaming.
Ian Pieterſs de Wit.
Ian Gijsberts.

Theſaurarij.

Ior is Iorifs.
D. Hans ten Grotenhuys.

Theſaurarij extraordinarij.

Iacob Ianſen Vinck.
Henrick Pieterſs Schrijver.

Pupillorum Præfecti.

Ian Pieterſs. Reael
Cornelis Pieterſen Hooft.
Pieter de Vlaming.

Aſſecura. Magiſtri.

Iacob Poppe.
Adriaen Pieterſs Raep.
Cornelis Ianſs Valckenier.

Ration. Mag.

Ian Iacobs Huydecooper.
Ian Pieierſs. Reael.

Menſæ arg. præſides.

Gerrit Iacob Wits.
D. Dirck Bas.
Laurens Ianſs Spiegel.

Penſionarius.

Alberto Verio ad ſenatoriã dignitatem Hagam Comitis vocato *ſucceſſit* Hadrianus Pauw.

Secretarij.

M. Iacobus vander Does.
Iacob de Haen.
Salomon Henricx.
Gerrit Roſenboom.
Barent Ianſs,

Exposita est ab anno 1413, ad annum præsentem 1611 consulum totiusque magistratus series, per annos singulos ita digesta, ut esse veluti fastorum Consularium vice possit. Vnum interea admoneri etiamnum, aut repeti potius hic debet, quod in Anonymo quem ad calcem subiecimus, legi suo loco iam ante memoravi; Iohannem nimirum Notaert urbis prætorem nominari sub annum 1404. Quod tempus novem annorum spatio prius illud, unde auspicium ductum est, anticipat. Sequuti autem in enarranda hac serie sumus non tam excusum illud olim lingua populari exemplar, quod ad annum tantum 1597 extenditur, quam manu exaratum; curante etiam nobis postremam eius partem amico nostro veteri Gerhardo Rosenbomio urbi à Secretis: In quo & historiolæ nonnullæ plenius insertæ reperiebantur ad lucem, & memoriam rerum urbanarum haud leviter facientes. Quas & expressimus omnes: nisi earum uberior forte à nobis libris superioribus enarratio instituta fuerit, quod etiam locis suis singulis admonuisse nos sedulo existimo. Iohannis tamen Huberti, qui prætura functus est ad annum 1534, historiolam paulo fusius adiecimus, quod eius libro primo pag. 34 mentio à nobis injecta esset; & plura de eodem locuturos, ubi de viris claris agendum foret, tunc commonuimus. Quod cum eo loci à nobis, mutato consilio, quia de ijs tantum qui scriptis & eruditionis fama inclaruissent, præcipuè ibi diceremus, omissum fuit; hic percommodè, quod de eo dicendum habebamus, inseruisse nos puta. Hinc proximè ad autores illos binos Anonymum & Haemrodium, toties nobis jam ante promissos & nominatos, gradum moveamus.

Clarissimo



Clarissimo Consultissimoque viro

IOHANNI GROTENHVSIO

I. V. D. ac Senatori Reipub. Amstelodamensis

S. D. ISACIVS.



EDIT ad te, vir honoratissime idemque amicissime, quem diviti bibliothecæ tuæ debeo Anonymus; adiunctum sibi & socium quasi habens Haemrodium, tuo quoque vel indicio vel beneficio ab amico & familiari utriusque nostrum, cive vestro, M. Iacobo Gisberto bonis avibus, dum hæc moliremur, nostras in manus delatum. Quorum Anonymo (quem ita, quia de nomine autoris non constet, indigetamus) priorem locum dedimus, ætatis & ævi aspectu ei meritissimò debitum: Nam annos ante hos centum hoc quicquid est syntagmatis conscripsisse de verbis eius colligere videor, ubi seculo integro ante ætatem suam fundatum ab Alberto Boio Carthusiensium monasterium, cuius nunc extra Haerlemensem portam, rudera sunt, disertè commemorat. Haemrodius autem nostra adhuc ætate superstes &, ut ante meminimus, superioribus demum annis ad plures abijt. Anonymo verò præcipuus scriptionis scopus Amstelodamum fuisse apparet: Et absque eo fuisset in remotioribus præsertim à memoria nostra urbis rebus omnino invia & cæca nobis superiora, quæ pertexuimus, exstitissent omnia, imo nec ingredi hoc iter, nisi ducem hunc nacti essemus, inducere in animum ausi unquam seriò fuissemus. De reliquis quæ adijcit, oppidis tenuiora sunt, licet in ijs etiam nonnulla operę suę pretium habeant. Hollandiam initio statim ingentibus, & cuiusmodi hodieque agnoscitur, pomerijs circumscribit, eique veterum Batavorum

Insulā cum precipuis in vicino populis, intra nimirum Helium & Flevum comprehensis, quorum & urbes, ut dixi, obiter subjicit, adæquasse videtur; Et Rhenum ex Pliniana & Veterum delineatione intellexisse, qui nunc, Isalæ nomine notior, circa Flevum ostium in mare se Boreum exonerat. Cui & consonat, quem addimus, Haemrodius, qui disertè Tacitum hoc aspectu Transrhenanos semper Frisios appellasse asseverat, ad distinctionem nimirum eorum, quos intra Flevi sive Rheni Borealis complexum Plinius simpliciter Frisios & Frisiabones, Tacitus minores Frisios appellavit. Quem etiā chorographiæ ductum, quamvis autores hosce nunquam vidisse sciam, Hadrianus Iunius Hornanus eruditiori exinde ac luculentiori penicillo, utpote ingenti literarum flumine inundatus ac plenus incedens, graphicè nobis adumbravit; cum hinc ab una parte minores atque interiores Frisios; illinc, à parte continentis Germaniæ, exteriores seu maiores, & utrosque ad Oceanum usque, prætexuisse & ambisse lacus doceat, quos immēsos & Romanis classibus navigatos per fossam Drusianam Rhenus intrat. Quò nimirum intelligeretur simul, Austrini sinus (quomodo & autores hi innuunt, & nos suis locis monstramus) quicquid ab Enchusā, Hardevicum, Naerdam & Amstelodamum versus, in modū spatiosi maris nunc patet, olim, ut sibi nunc quidam fingunt, nō mare tale, sed insulas aut solum paludosum fuisse: in quo, Marsatij præsertim, eisque proximè, versus medium Rhenū Plinio nominatum, adsiti Caninefates coluerint. Eique descriptioni si etiam hos, quamvis ad eruditionem Iunianam minorum gentium populares, vel balbutiendo faventes sua tempestate nactus fuisset candidissimus ille & optimus virorum Iunius, uti tunc gavisurum nō immeritò fuisse existimo; ità jam, vitalibus auris frui ei si postliminio cōcederetur, dolorem haud dubiò animo maximū cōciperet, dum optima sua sensa invertere & preferocibus ac dictis inclementibus & nō, uti decebat mitiū Dearum alumnos, mitibus & ad veri solem percoctis rationibus, sibi obviare cōperiret, philomelæ scilicet graculos obstrepentes. Sanè cōsiderare eorū erat, si quid peccatum esset, rem in medio positam &, ut hodie res sunt, annorum tot assidua vicissitudine immutatam atq; intricatam evolvere aggressum eum primum, & ob id vel solum, non contumeliam aut laborem, sed laudem, vel saltem excusationem, mereri debuisse: præsertim cum etiam in facilioribus & obvijs homini nato lapsus & halucinationes ignosci soleant. Homines enim & ipsi & omnes sumus, non Dij. Quamvis ex ijsdem etiam unus non res modò, sed stili quoque

impolitiem

impolitiem ac rus in Iunio accuſare ac vellicare veritus haud fuit, Sus, quod dici ſolet, Minervam. Quæ non eò in medium adducimus, quaſi à quoquam diſſentire, aut inventis aliquid addere, aut certiora quoque & meliora receptis dare, nefas exiſtimemus, ſed quod iſta cum modo & modeſtia fieri, præſertim erga viros, quorum aliàs meritis iure aſſurgimus, civilitatis laudem; contrarium verò ſtomachoſi & inſolentis aut animi denique ſui haud compotis notam apud æquos omnes rei arbitros mereri ſoleat; ut omittam bilis ſignificationem abrogare tractatori haud parum ſæpenumero autoritatis ac fidei. Quò magis & nobis, hiſce moribus, & tam in rem attentis ac rigidis Ariſtarchis, quod terrere ac tenere utriuſque huius autoris editionem poterat, meritiſſimæ cauſæ fuerunt; cum in ijs adeò multa ſint, quæ reprehenſionem incurrere nec ullatenus Rhadamantea hæc hominum judicia, apud quos etiam leves & innocuæ quædam exorbitatiunculæ ſummi erroris arceſſuntur, ſuſtinere queant, ſi rigidè omnia exequi & ſummo cum ijs iure agere ſtet ſententia. Verum ſolatur & confidentem me facit, fore haud omnes Rhadamanthos, ſed Plinio etiam illi, humanitatis omnis vero alumno, ſimiles futuros aliquos, qui dicere ſolitus erat, nullum eſſe librum tam malum, ut non aliqua parte prodeſſet. Nam hi quos damus autores, ſi ſtilum videamus, ſeculi ſui ſordes adferunt: ſi res; bona malis, id eſt, vera falſis cōmiſcent. Et ut illi, qui per nebulam & nubes res vident, ſtudiū quidem & conatum habent rectas eas videndi, ſed intortas & curvas obijciunt, quæ interjecta impedimenta: Sic iſti fabulas ſui & anterioris ævi deliniti, ſcriptores illos antiquiſſimos, ad quos collimaſſe quidem vidētur, oculo recto inſpicere nequierunt. De antiquiſſimis inquā loquor & à memoria ipſorum remotis rebus. Aliàs, ubi ſui iuris ſunt ipſosq; autores veteres pro arbitrio & liberi citant vel interpretantur, & deniq; ſeculi ſui acta attingunt, fidem mereri & laudem etiam aliquam deberi jam indicavimus. Quapropter nos ipſi, qui nunc demum in theatrum eos producimus, hac omnino excuſatione eorum vice utendum judicavimus: præſertim aſpectu Haemrodij, ubi Regum & principum Batavorum ſeriem recenſet, ex ductu, ut videtur, ijſdemque veſtigijs, quæ jam ante ſignaverat Gerhardus Geldenhaurius Neomagus. Nam ſeculi eas recentis nugas & nænias eſſe vel Anonymus noſter, tanto ut indicavimus, Haemrodio natu maior, ideoque & ordine priori collocatus, indicium fecerit, quem aura illa fabellarum non afflavit. Haemrodium autem ipſum ita Animadverſionibus noſtris & Caſti-

Henterius cap. 25 lib. 2 de vet. Belg.

gationibus,quod ad regum eorum ſeriem attinet, communivimus,ut haud ingratum aut jniucundum tibi, vir ornatiſſime, omnibuſque benevolis ac candidis ingenijs futurum augurer origines,ipſoſque commentationum earum & ſtemmatum fontes atque occaſiones penitius introſpexiſſe. Quamvis & alia etiam attigimus, & præſertim ſicubi à vero abire nimium atq; exorbitare putavimus, in viam leniter reducere conati ſumus, iudicio etiam noſtro ac ſententia, quam ſaniorem credidimus, liberè addita.Quod tamen quam periculoſæ aleæ negotium ſit, vel ea,quæ de Iunio iam modò retulimus,palam faciunt: apud eos videlicet,qui hæc talia non ut collata in medium ſymbola, & pericula quædam ad veri uberioris inveſtigationem amice inſtituta, accipiunt,ſed decreta veluti; & lapſus etiam ipſos, ut crimina quædam ad famæ & capitis propemodum diminutionem exagitant.Nos nihilominus hoc mare ingredi, aut tentare verius, vel ideò nunc cogimur, quod non ſcripta,ſed dicta quædam & inter amicos ac familiares,ut fit, prolatas de ſitu & populis veterum Batavorum opiniones noſtras ab alijs ſiniſtrè arreptas & in publica etiam ſcripta relatas comperiam. Fateor cum primũ mihi lecta ea eſſent,me peti vix animũ induxiſſem, niſi amici commonuiſſent.Affingunt enim obliquè nobis, quæ non dico ſcripſimus,ſed ne cogitavimus quidem. Quod & ſciunt & teſtari amici poſſunt,qui me familiarius norunt,& origines noſtras Francicas, quæ intra Muſei adhuc parietes latent, vel obiter inter privata colloquia pervolutarunt. Et loquitur quoque rei ipſius,quam comminiſcuntur,abſurditas, nos ſcilicet Druſi obitus & populorum,contra quos ille in Germania poſtremo res geſſit,inter Iſalam, ſi Dis placet, & Rhenum, in ea nimirum, quæ nunc Velavia Gelriæ pars dicitur, locum & ſedem quærere: Ne quid dicã de cenſendi temeritate,& quidvis ex nudis aliorum relationibus in ſcripta referendi præcipiti libidine. Expectanda ſaltem noſtra fuiſſent,dum publico donarentur, aut ſi id integrum non erat,vel per epiſtolam, quid ſentiremus,exquiri potuiſſet: Non enim tam remoti aut extra cæli ſoliſque vias agimus. Ita certiora fuiſſent & elimatiora, quæ nunc in vulgus prodita multifariã laborant ac paſſim impingunt. Sed nos noſtra,& aliorum,qui noſtra viderunt,cõſcientia tuti,eiuſmodi ſuis moribus & genio permittimus.Hęc interim hoc loco obiter,& ſiquid præterea in Animadverſionibus ſub manum ſe dabit,perſtringendum cenſuimus,ne vel veritatis patrocinio vel cauſæ æquitati noſtræque innocentiæ defuiſſe hac occaſione, vel etiam diffiſi nobis,videremur.Quin &

insuſurrabat

insusurrabat Publius, *veterem ferendo, iniuriam invitas novã.* Quamvis ut, quod res est, fatear, ad prius, id est, ferendum, sive natura sive institutione, & jam ætate quodammodo etiam, magis ego inclinem, & magis magisque, faciente Deo, inclinabo ac persistam, spretis eiusmodi iuvenantium ingeniorum excessibus, nisi aliud necessitas flagitarit. Tibi vero, quod initio cœperam, eruditissime Grotenhusi, autorum horum ab omnibus gratiam deberi, & ideò quoque, ex quo prodierant, ad idem Museum tuum redire æquum existimo. Si comtiores, si Animadversionibus & Castigationibus additis auctiores emendatioresque; si denique adversus Momi dentem paulo firmiores; hoc quoque tui beneficij erit, qui tam liberali causæ occasionem præbuisti. Nec illud modò, sed in opere ipso, cui hãc veluti laciniam addimus, tuam sæpenumero & opem & industriam magno emolumẽto sensimus; tuum studium & promptudinem maximam in enodandis, & obtinendis, quæ obscuriora ac semotiora videbantur, in literis & archivis reserandis, instrumentis inspiciendis atque enotandis, nunquam non laudare potuimus. Quocirca quod unum superest, multum te amamus rogamusque, ut quam tu, vir amicissime, in bene semper merendo, eandem vicissim in eo, quod nunc reponitur, benignè ac libenter accipiendo humanitatem præstare non dedigneris. Quod cum & mores tui, tum & amicitia inter nos vetus abunde spondeant, nec de eo dubitare permittant, tamen, quia ità rogandi mos est, iterum, iterumque rogamus. Hardevici III Kal. Iul. cIↃ IↃ cxI.

HOLLANDIÆ

LECTORI.

HOLLANDIÆ *universæ chorographicam descriptionem superius dedimus; sed cum autores hi bini, qui ordine subsequuntur, ad veterem præcipue Hollandiam, Bataviæ nomine celebratam, ut plurimum respiciant, necessarium existimavimus, ut aliquem etiam illius Lectori typum exhiberemus. Fecimus itaque, quantum licuit, & supra quoque, ubi Hollandiam descripsimus, ad oram tabellæ eiusdem adiici Bataviam curavimus; sequuti in plerisque non tam nostram, quam opiniones aliorum. Nos enim quid censeamus poterit benignus Lector ex illa, haud quidem penicillo, sed verbis nostris peracta delineatione, quæ exstat cap. non modo 2 lib. 1. Rerum & Vrbis Amstel. sed in hisce quoque Animadversionibus, quas utrique autori, & præsertim Haemrodio, adiecimus, accuratius & pressius intelligere. In ipsa tamen Bataviæ chorographia nostra; id præ ceteris præstitum attentus spectator inveniet, ut Frisios maiores minoresque, & quidquid est inter Helium & Flevum fluminum ac lacuum, suis locis propius & veterum menti convenientius collocatum existimemus. Nam minores illos Frisios, qui hodie Vestrisij aut Northollandi dicuntur, nec Divæi aliorumque chorographica Galliæ Belgicæ tabula, nec qui heri aut nuper hoc argumentum ex professo tractarunt, veris suis sedibus, ut & alias gentes, ostendere potuerunt; cum illi aut ignorasse minores Frisios, hi ad medium usque Rhenum una cum Frisijs maioribus eosdem deduxisse longius ac confusius deprehendantur. At nos & lacubus & Rheno ex Isala prodeunte, dispescendum utrumque populum; & esse maiores qui in continente Germaniæ antiquitus, sicuti & hodieque inveniuntur, ex virium modo, alijsque argumentis post Iunium, præter cetera, demonstravimus. Monendus etiam Lector eodem secundo capite lib. 1 superius mentionem nobis iniectam Hollandiæ, cuiusmodi ea annos ante trecentos Rhythmico Chronico omnibusq. intellecta fuerit; bipartita nimirum, Australis & Borealis. Australi enim parti Geertrudenbergenses, Dordracenos ceterosque trans Mosam sitos tunc annumerabant: Boreales Hollandos eorumque oppida Sciedamum, Leidam, Delphos aliaque cis Mosam posita intelligebant Haerlemum usque, quod Kinnemarijs (quos esse Taciti Pliniique Caninefates diximus) idem Chronicon attribuit. Quæ chorographiæ ratio cum per se perspicua sit, seorsim quidem à nobis exhibita non est, quod ad recentiorem Hollandiæ descriptionem distinctionemque sufficere remotioris geographiæ studiosis crederemus, si ea vel obiter indicata fuisset. Quapropter monitũ lectorem volumus, ut, cum in horum autorum lectione, tum in ijs, quæ in Animadversionibus & alibi in Rerum & Vrbis Amstelod. Commentario eiusmodi occurrunt, ad ipsam perpetuo regionum chorographiam respicere studeat, credatque Historiam omnem evanidam & cæcam esse absque lumine.*

HOLLANDIAE VRBIVMQVE EIVS ET PRÆSERTIM

AMSTELODAMENSIS OPPIDI FVSIOR DESCRIPTIO, AVTORE ANONYMO QVI FLORVIT ANTE ANNOS C.



OLLANDIA olim, ut quidam existimant dicta fuit BATAVIA. Hi à Cattis populis transrhenanis, Cheruscis & Ligijs Pānonie populis ultra Herciniam sylvam finitimis Hermodunis orti dicuntur, & seditione domestica pulsi extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus simulq; insulam inter Vada sitam occupavere, quam mare Oceanū a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit, ut refert Tacitus: dicens insuper apud Batavos olim fuisse lucum sacrum, qui ut conjectura est, hodie in finibus vici Hagæ Comitis in Hollandia extat, ubi nunc est Curia magnifica huius Insulæ: partem Caninefates etiam tenebant, nunc forte dicti Kenemarij pars Hollandię. Hi etiam Batavi virtute initer omnes Germanos præstabant, unde exempti ab omni tributi genere pro Romano Imperio militabāt: & ut viri omnium nationū robustissimi & fidelissimi, in Consulum & Cæsarum stipatores assumebantur, & in præsidio Capitolij & prætorij collocabātur. Sciendum tamen quod in hac Insula continetur non solum Hollandia, sed Batavia & Velua quæ sunt pars ducatus Gelriæ haud parva, in qua consistunt oppida memoratu digna Arnehem, Bommel, Tiel, Wagheninghe, Harderwic &c. Cōtinet insuper hæc Insula maiorem partem episcopatus Traiectēsis, scilicet Trajectum, Amersvordiam, Wijck, Rhenen, &c. ex his tamen soli Hollandi mare attingunt. Fuit olim Hollandia tota nemorosa, unde a lignorum copia nomen accepit. Legitur in vita Sancti Willebordi, quod cum ipse à Papa prædicandi gratia ad hanc gentem missus esset adhuc idolis serviētem, petijt signum à Domino. Si eos Christi iugo subdere mereretur: vnde coorta ingenti tempestate ac plurimis diebus continuata, omnes sylvæ vi ventorū deiectæ sunt. Vnde etiam nunc ob nemorum raritatem Hollandi pro maiori parte ad fabricam & ignem ligno aliundè importato utuntur. Adhuc quoque multis locis arbores iacentes 4. vel 5. pedibus vel plus sub terra effodiuntur in magna copia, quibus in tectis ædium ad sustinendum tegulas utuntur. Hæ arbores à prędicta tempestate ibidem iacuisse creduntur, successu temporis terra obrutæ, nam omnes ab aquilone occidentali in meridiem orientalem cecidisse inveniuntur. Est autem Hollandia tota plana, præter littus maris, ubi Divina providentia montes arenosos mari opposuit: & est pro maiori parte paludosā, unde maximè pecoribus abundat, sed frumento parum. Habet etiam plurimos stagnos & magnas aquas omni genere piscium refertissimas. Et quia terra est multis in locis bituminosa, incolę ea effossa ob lignorum inopiam ad focum pro maiori

 parte

parte utuntur. Rhenus fluvius bifariè in Hollandia mare ingreditur, primo ubi Hollandiam ab orientali Frisia distinguit, & priusquam mari appropinquat 18 miliaribus à mari remotus cum prius amisso nomine Ysula dicatur, rursus adiunctis quibusdam alijs fluminibus mare meridionale nominatur, quod ubi plus dilatatur 11 miliaria in latitudine continet: ubi vero minus 3. & tandem mari appropinquans 3. ostijs exoneratur, scilicet Vlie, Marsdiep, & Husdunerdiep, insulas faciens Husdunum, Texaliā, Vlielāt; Amland; Schelling & Wieringe. 2 Rhenus Mosæ coniunctus amisso nomine suo, ac mosa dictus dividens hollandiam aquilonarem à meridionali præterfluit Dordracum, Roterdam, Schiedam & Brielum oppida, & tandem mare ingreditur. Hollandi quia omnes fere mercantias exercent perhumani ac opulenti habentur. Sunt quoq; sex oppida magna Hollandiæ primaria. Quorum primum *Dordracum* meridionalis Hollandiæ caput est, cui oppidum S. Gertrudis cum villagijs meridionali subest Hollandiæ. Est autem Dordracum totum fluminibus circumdatum in modum insulæ, angustum in longitudinem protensum, habens ædes superbissimas & unam parochialem ecclesiam pulcherrimam: Eius incolæ præ ceteris Hollandis feroces ac superbi habentur minusque mercaturis intenti. Est tamen Dordracum omnium mercatorū per Rhenum ac Mosam ascendentium & descendentium emporium.

Secundum Hollandię oppidum magnum est *Harlemum* totius Hollandiæ maximum in Kenemaria loco amœno situm, habens ab austro orientali ubi est terra paludosa à 3. miliaribus Amsterdam oppidum, cæteris partibus agros pro frugibus aptos ac nemora virentia, unde habet venationes cervorum, leporum ac cuniculorum copiosas. Et
Imo 5. habet à meridie occidentem versus Leyden 4. & Hagam Comitis 7 miliaribus distantem, ab occidente maris littus, ab aquilone occidentalem Frisiam. Eius incolæ præter Braxaturam cervisiæ quam Frisionibus ac alijs vicinis vēdunt, ceteris Hollandis mercantijs minus intenti, ocio delectantur, unde in sumptu domestico frugaliores ceteris habentur.

Tertium locum obtinet *Delft*, prædictis opulentia haud inferius, a Godefrido gibboso olim Brabantiæ Duce, qui Hollandiam invaserat & occupaverat conditum, deducta eo ex Brabantinis colonia. Vndiq; pecorum pascuis uberrimis cinctū, uno miliari versus meridiem ab Haga Comitis distans, habens ab occidente Gaudam, à meridie 3. miliaribus Roterdam, ab occidente mare. Eius Incolæ maxime braxatura ac lanificio se exercent. Est autem Delft oppidum strictum in longinquum protensum, intus aquis abundans, pulcherrimis ædificijs decoratum. Eius populus præ ceteris Hollandis urbanus ac delicatus, ac Brabantinorum moribus, à quibus, ut dictum est, originem duxere, proximè accedens. Habet duas basilicas parochiales pulchras, veterem ac novam & monasteria fratrum minorum ac monialium plurima, & extra muros tria monasteria, unum monialium 2 Regularium, & 3 Carthusiensium per Comitem de Ostervant fundatum.

Post Delft 4. locum obtinet *Leyden* oppidum totius Hollandiæ pulcherrimum, ac meo iudicio ditissimum, sic dictum à salvo conductu ante eius conditionem in eius burgo, quod oppidi medio adhuc eminet à transeuntibus ob sylvarum pericula peti solito, de quo mira narrantur. Eius incolæ maximè lanificio intendunt. In quo ceteris Hollandis præstant, in eo etiam oppido multæ nobiles familiæ degunt, qui regnandi cupidi domesticis factionibus ac partialitatibus agitati Rempublicam sæpe plurimum lacerarunt: Habent enim agrum totius Hollandiæ fæcundissimum. His proximi sunt ab occidente 3. miliaribus Haga Comitis, quod non dimidio miliario à mari distat, ab aquilone Harlem, ab oriente 7. milliaribus Amsterdam. A meridie Gauda. In Leydis sunt 3. parochiales ecclesiæ, sunt plurima monialium monasteria intus & extra ac monachorum. Inter cetera, extra portam versus Goudam fratres minores, regulares ac sorores tertij ordinis S. Francisci. Et versus Harlem sunt Beneditæ, & moniales. Sunt etiam Leydenses præ ceteris Hollandis religionibus dediti. Sunt autem oppida Haerlem ac Leyden situ quasi rotunda eiusdem fere magnitudinis, licet Leyden pulchritudine longe antecedat, habent tamen Harlemenses maiorem ac meliorem aquæ copiam, & ecclesiam parochialem maximam.

Oppidum Amstelredamense 5. loco adnumeratur, quod licet ortu novissimū, fama tamen ac celebritate nominis nulli superiorum cedit, nec aliquod Hollandiæ oppidum illi mercatorum ac navium magnarum copia navalisq; prælij gloria æquiparari potest. Amsterodamenses enim omnes mercantijs omnis generis per terram & aquam operam dant,

dant,nō solū domi sed in diversis Regnis ac provincijs,præsertim apud Germanos orientales in Prusia,Livonia & Denemarchia,ubi singularibus privilegijs gaudent,Wandalia, Suecia,Norvegia,Ditzmarsia,Holsatia,Frisia,& locis eisdem contiguis, similiter in Occidente,in Brabantia, Flandria, Francia, Anglia, Scotia & Hispanijs. Habent quoque plus quam 200 naves onerarias, quibus universum fere orbem Christianum ab ostio maris mediterranei usq; in mare Balthicum diversis mercibus frequentant. Sunt autem Amsterodamenses sicut in laboribus & captādis lucris diligentes ac avidi,ita in expensis & familiari convictu frugales ac parum splendidi: in pauperes tamen benefici, & Principum suorum fidelissimi semper habiti. In bello quod Hollandi ac Zelandi anno 1441 gessere annis tribus, conra Prutenos, Wandalos, ac ducem Slesiæ comitem Holsatiæ, Amsterdam licet tunc ferè dimidio minus quam nunc,fuit,solum plus quam 20. naves bellicas in cōtinuo motu eduxit, quantas præter eos omnis Hollandia ac Zelandia simul non eduxere, cum quibus infinita ferè damna hostibus intulere, sæpè ingentes ipsorum classes cum longe inferiore navium debellavere numero: Vnde tantus Amsterodamensis nominis terror remotissimas provincias invasit,ut multi non oppidum sed provinciam eius nominis fore crederent,& pacem ac amicitiam cum ipsis inire publicè & privatim tentarent: Habebant enim Philippi Burgundiæ ducis & Hollandiæ Comitis assensum,ut omnes indifferēter hostium terras navibus petētes vel inde redeuntes libere capere ac deprædari possent: Cuius occasione cum diversis nationibus non parva inferrent damna, plurimorum inimicitias sibi contraxere, cum quibus tandem pacem æquis conditionibus fecere. Et quia pax cum orientalibus Germanis,qui de Hansa dicuntur,ac cum Civitatibus 6. Vandalorum Imperialibus,& Dansico vel Gedano Prusiæ oppido semel tractata convenire non poterat, tandem induciæ multorum annorum inter ipsos constitutæ sunt, quæ in eadem forma sæpè prolongatæ huc usque inviolabiliter servatæ sunt. Exinde oppidum Amsterdam, licet sæpè suorum naufragijs, internis dissidijs,domorum incendijs ac peste plurimum labefactatum fuerit (nam semel anno 1414. & iterum anno 44. pro maiori parte exustum fuit) mirum tamen in modum opibus ac urbanitate coaluit. Istud oppidum quamdiu subiectum fuit Dominis de Amstel,parvum admodum fuit,raris incolis frequentatum,qui pro maiori parte piscatores erant: Hi primum ob quædam damna a Florentio comite Hollandie 17. suscepta, ab eodem in recompensam,libertatem ab omni teloniorum Hollandiæ,Zelandiæ ac Frisiæ 1277.
exactione obtinuere anno 1277. Erat tunc Amstelandia feudum ecclesiæ Traiectensis. Demum anno 1296. Gisberto Domino de Amstel ob coniurationem in prædicti Florentij mortem factam pulso Iohannes de Zierick episcopus Traiectensis, quia ipsius instinctu Florentius occisus fuerat, feudum de Amstel, ac Woerden Comiti Hollandiæ resignavit. Mortuo postmodum Iohāne Hollandiæ Comite dicti Florentij filio Dominus de Amstel reversus,Amsterdam & castellum quod tunc oppido imminebat occupavit & munire annixus est, sed paulo post concursu vicinorum pulsus est, & castellum, quod postea numquam restauratum fuit.

Anno 1296. interfectus est supradictus Comes Florentius per Gerardum de Velsen, 1296.
adiuvantibus Gisberto Domino de Amstel & Hermanno Domino de Woerden, cum ipsum in venatione iuxta Traiectum proditorie captum supervenientibus Hollandis,abducere non possent. Sed tantum scelus non permansit inultum: Nam Gerardus homicida captus in Castello nomine Cronenburg, multis supplicijs necatus est. Et Gisbertus ac Hermānus facti profugi,in paupertate ac miseria discesserunt & omnes quotquot origine & sanguine ipsis de Velsen,Amstel & Woerden coniuncti erant, à maiori usque ad minorem,tam mares quam fæminæ & infantes interempti,vel è patria pulsi,& ipsorum bona publicata sunt. Et exinde Dominia de Woerden & Amstel,& cōsequenter oppidum Amsterdam Comitatui Hollandiæ annexum & incorporatum fuit. *Wilhel. eius*

Post hæc Guilelmus eius nominis 3 Comes Hollandiæ primus Amsterodamensibus *nom 3.*
privilegia ac iura quibus adhuc gubernantur dedit. Et deinceps Amsterdam paulatim *Zuyder-zee*
augeri cepit,mari meridionali oppido vicino(quod tum exiguū erat)corrosis littoribus quotidie excrescente. Est autem Amsterdam distans ab Harlem 3 milliaribus orientem versus in palustri undique loco situm,pro alendis pecoribus apto. Eius ager hiemali tempore undique a tribus milliaribus aqua tegitur,præter orientalem partem,qua paludes 3 fere parte breviores sunt usque Goilandiam, ubi sunt oppida Naerden, Weesop, & Muyden cum eius castello. Habet quoque Amstelredam ab aquilone trans fluvium Tyæ, Waterlandiam, à meridie ad 6 milliaria Traiectum. Tya fluvius in-

 cipiens

cipiens iuxta Wijc oppidum distans ab Harlem aquilonem versus 2 miliaribu s susceptis in se diversis aquis labitur in meridiem 1. mililario usque Sparendã vilagium ab Harlem 1 milliario orientem versus distans, sic dictum à Sparna fluvio è stagnis mediterraneis per Harlem eo usque currente & per eius aggerem plurimis aquæductibus in Tya fluvio cadente, per quem ab Harlem usque Amsterdam navigatur: Harlemenses enim licet maris littori propinqui, præsertim ad unum milliare sunt, nequaquã tamen navibus mare intrare nisi per Amsterdam possunt, & hoc non nisi fluvialibus navibus dictis Rhijnschepen & Hueden: marinæ enim naves oneratæ ob fluminus siccitatem infra duo milliaria Harlemum appropinq uare non valent. Tya ergo fluvius, à Sparendam versus Orientem decurrens iuxta mænia Amsterdam, facit ibi stationem pro navibus tutissimam ac aptissimam, indeque digrediens 1 miliario mari meridionali miscetur, ac ita nomen amittit. Sunt etiam Tya fluvius & mare meridianum optimorum omnis generis piscium feracissima, & præsertim in mari dicto capiuntur haleca esu multo suaviora ac meliora ijs quæ in Oceano capiuntur, & dicuntur haleca de Tya, quæ fumo siccata ad multas provincias venalia deferuntur. Clauditur autem mare meridianum ab oriente Frisia orientali, ac parte episcopatus Traiectensis Trãsisulana, à meridie Gelria, episcopatu Traiectensi Cisisulana & Goilandia, ab occidẽte Hollãdia ac Frisia occidentali, & ab aquilone mare intrat versus occidentem. Est itaque Amsterdam oppidum ad instar Venetiarum ex paludibus magnis impensis erectum, & ideo natura munitissimũ. Habet præterea fundum adeo lutosum, ut basilicę & omnia fere ædificia ac muri oppidũ cingentes non nisi super truncas arbores terræ infixas fundari possint: quod faciunt sic: Effossa primum humo 6. vel 8. pedum profunditate imponunt binas trabes ad longitudinem muri quem fundare volunt disiunctas ab invicem ad spissitudinis muri erigendi mensuram, quas lignis transversis fortiter colligant, deinde inter dictas trabes arbores 40. vel 50. ac etiam 60. pedum longitudinis secundum ædificij quod erigere intẽdunt gravedinis exigentiam ad summitatem infigunt unam iuxta aliam, quot locus vacuus inter dictas trabes capere posit, super quibus murorum tandem iaciunt fundamenta. Fuit autem Amsterdam absque muris fossa tantum profunda circumdatum usq; ad annum 1482. tunc urgente bello cives animati oppidum uno anno pro maiori parte muro ac turribus pulcherrimis cinxere, venia ad id à vicinis Harlemensibus partim precario partim titulo oneroso obtenta. Demum annis sequẽtibus reliquum murorum cum duabus portis scilicet S. Anthonij & Regularium compleverunt, præter eam oppidi partem quæ Tya fluvio abluitur, & nunc tribus palorum ordinibus cõtra vim navium clauditur. Est autem Amsterdam situ fere rotundum ab aquilone orientali in meridiem aliquanto longius æquo ambitu, præter suburbia quantum vir fortis vna hora circuire potest, ampla fossa ac profunda cinctum præter aquilonarem partem, qua Tya abluitur. Denominatum fuit Amsteldam à fluvio Amstel ex Amstelandia per Amsteldam fluente, & vallo quod teutonicè Dam dicitur, in medio oppidi constituto, per quod Amstel per aquæducta Tijæ infunditur in loco teutonicè Dammerac dicto, qui portum efficit plus mille minorum navium capacem. Amstel ergo fluvius oppidum à meridie ingrediens recto cursu usque dictum vallum per quod in Dammerac emissus in Aquilone Tijæ miscetur & oppidum medium secat, nominatur à meridie valli Amstel & ab aquilone Dammerac. Latus quoque oppidi orientale vetus dicitur, & occidentale novum. Similiter quodlibet latus suam habet ecclesiam parochialem. Sunt quoque 5. pontes lignei, per quos ab una parochia in aliam trãsitur: 2. super Amstel & 3 super Dammerac. Sunt pręterea adhuc 4. magnæ fossæ ex Amstel deductę, quæ similiter a meridie in aquilonem per duos ingẽtes aquæductus Tijæ immittuntur, quarũ 2 vetus ac 2 novum latus prætercurrentes, rursus quodlibet latus trifariam dividunt, per quas 30. ligneis pontibus transitur. In antiquo latere primo est ecclesia parochialis antiqua, quæ per capellas appendicias quotidie augmentatur ac decoratur, continens in se altaria 33 cum vestibus sacerdotalibus superbissimis ac turri campanali pro loci natura satis magna: habens etiam Ciborium pro corpore Christi argenteũ marcarum 70 nundum perfectum, altitudinis pedum 52 & alia ornamenta. Item conuentum fratrum minorum de observantia pulcherrimum & conventum fratrum de 3. Regula S. Francisci, & conuentum fratricellarum. Item 3. monasteria virginum scilicet 5. monialium ordinis Augustini: 6 sororum tertiæ regulæ Francisci. 1 omnis generis conversarum etiam regulæ Augustini quod ceteris licet novum opulentia præstat. Iam corruptas in eo conuentu difficulter recipiunt. Et ultimum sororicellarum, quæ simul cum fratricellis sub patrocinio August.

Y-bucken.

gust. degentes, pro infirmorum omnis generis servitio & maximè peste infectorum sunt. Est quoque in eadem parochia hospitale totius Hollandiæ celeberrimum, habens in annuos proventus plus quam mille florenos, ex duobus hospitalibus confectum S. Petri & S. Elisabeth ex novo latere eo translatum. Et capella sancti Olai vel Odulfi, cum Capella ad instar Iherosolimitani templi cum sepulchro Domini annexa. Habet quoq; istud latus unam tantum principalem portam S. Anthonij, præter exitum in Tija per naves. Extra hanc portam constitutus est *conventus Leprosorum* satis decens, ubi etiam versus Tijam plures naves marinæ pulcherrimæ quotidie fabricantur. Est etiam in hac parochia platea olerum dicta, ubi mercatores dietim conveniunt. Sunt etiam duo horti sagittariorum. 1 intra & alius extra muros. Item in novo latere quod veteri paulo maius est cõtinetur nova ecclesia parochialis anno 1408 fundata, pulchritudine operis inter primarias totius orbis basilicas merito annumeranda, continens in se altaria pulcherrima 34. ac omnia sacerdotalia indumenta speciocissima, pluraque preciosa ornamenta, præsertim crucem argenteam deauratam, in qua continetur particula Crucis Dominicę marcarum 26. & Ciborium corporis Christi argenteum deauratum marcharum 38. & imaginem Dei genitricis argenteam marcharum 32. & alia plurima ex auro & argento confecta. In hac enim ecclesia sunt patronæ Maria virgo & Catharina, sicut in veteri Nicolaus episcopus & Io. Bap. patroni. Est quoque in eadem parochia capella venerabilis Sacramenti, in qua Sacramentum in eodem loco miraculose in igne inventum innumeris quotidie coruscat miraculis. Quæ Capella anno 1452. in festo Vrbani exusta idem Sacramentum exusto linteo serico quo ciborium tegebatur, rursum illæsum inventum est.

Anno 1345. 17. Kalend. April. contigit in Amsterdam miraculum venerabilis Sacramenti, quod quidam infirmus postquã susceperat evomens in magnum ignem cum tota putredine quam infirmus eiecerat proiectum, die altera illæsum repertum est, quod in sacro loco multis quotidie coruscare miraculis dignoscitur, quem locum in Amsterdam Dominus miraculose elegisse se ostendit. Et est idem in quo dictum miraculum contigit. 1345.

Ea Capella in melius nunc rædificata & ampliata inter pulcherrimas ecclesias numerari potest. Ad quam voti gratia ex remotis provincijs plurimi dietim concurrunt, & præsertim in mari periclitantes, dona plurima in auro & argento offerentes. Maximilianus etiam illustrissimus Romanorum Rex anno 84. in Haga Comitis letali infirmitate percussus emisso voto Sacramentum in Amsterdam visitandi, subito insperatæ sanitati restitutus est, vnde haud ingratus soluto paulo post voto, calicem cum sacerdotali indumento & candelam ceream immensæ magnitudinis in eodem loco obtulit. In eadem Capella sunt sex altaria, plurima ornamenta preciosa. Huius Sacramenti inventionis solemnitas cum processione pulcherrima in rei memoriam celebratur feria 4 Christiana medio Martio. Sunt præterea in hac parochia monasteria 4. primum monialum ordinis Aug. 2. tertiæ regulæ Francisci. 3. beguinarum & 4. 2. Francisci Regulæ ordinis monialium S. Claræ. Item hospitale dei genitricis. Capella sancti Iacobi horti sagittariorum. Et in foro iuxta *novam Ecclesiam* domus civica cum turri campanali pulcherrima, & capella annexa infra hospitale Sacramenti prædicti. Et capella S. Georgij ubi olim fuit domus Leprosorum, & nunc multæ sunt præbendæ pro civibus senio debilitatis, qui ibidem pro parva pecunia expensas vitales comparare possunt. Sunt quoque in hoc latere præter exitum in Tijam tres principales portæ quarum prima dicitur Carthusiensium vnde itur versus Harlem, extra quam est monasterium Carthusiensium pulcherrimum ante centum annos fundatum per Albertum Bavariæ ducem & Hollandiæ comitem. Secunda porta est versus Traiectum, extra quam est monasterium Regularium ordinis Augustini eiusdem antiquitatis sicut Carthusiensium. Tertia porta est in sacra via qua itur Leydam.

Post Harlemensis dicta. ANNO 1393. *quod mihi constat ex Archivis d'Heylige Wechs poort.*

In circuitu quoque oppidi multa viridaria venusta à civibus maximis impensis è paludibus erecta sunt, suburbia quoque portis, fossis & repagulis clauduntur. Istud oppidum, ut cetera Hollandiæ oppida pristinis temporibus factionibus partialitatum plurimum sæpè afflictatum fuit, licet illi de parte Cabelliau alijs ferè semper potentiores extiterint, qui anno 1425. defuncto Guilelmo Duce Bavariæ & Comite Hollandiæ illorum de factione hac fautore sumptis armis, adversarios oppido eiecere, ac oppidi gubernacula soli tenuere usque ad annum 1442. Cum Philippus Burgundiæ dux tunc Hollandiæ Comes, peregre proficiscens regni gubernationem uxori suæ Isabellæ reliquisset, illi de-

factione Hoeck, qui se tam diu ab oppidi regimine prohibitos dolebant, persuasis Ducissæ familiaribus gubernationem oppidi Amsterdam ab ea data ingenti pecunia, obtinuere, qui post annum susceptæ administrationis accersitis in Amsterdam Domino de Brederode ac eius fratre postea electo Traiectensi & alijs nobilibus suę factionis cũ multis stipendiarijs militibus, eisque noctu intromissis, adversarios nil tale metuentes post paucos dies expulere, ac oppidi regimen cum magno Reipublicæ detrimento aliquot mensibus tenuere usque ad annum 45, cum Philippus Dux à peregrinatione iam reversus ægrè ferens quæ in Amsterdam facta fuerant armata manu eo properavit, eiectisque rursus oppidi invasoribus & quibusdam eorum ingenti pecunia mulctatis exules reduxit in festo Elizabeth (quem diem huc usque convivijs celebrant) ac eos in pristinæ dignitatis locum restituit, qui innoxijs parcentes in ea dignitate huc usque perseverant. Insuper etiam ab anno 1446. omissis partialitatibus, bonos viros alterius factionis paulatim secum oppidi regimini intromisere, ita quod nunc non magis factiosis, sed optimis oppidi gubernatio committatur. Eo autem tempore, cum ut dictum est, Cabelliau ex Amsterdam pellerentur, Harlemenses in vindictam omnes Hoecx expulere.

Anno 1368. dedit Albertus Suevorum & Gottorum Rex ac Scandiæ Dominus Amsterodamensibus magna in suo regno privilegia.

Wilhel. Sextus. eius nominis Albert Bavari filius;

Anno 1404. cepit Guilelmus Comes Iohannem Notaert quondam Schultetum de Amsterdam, & Amulium Iohannis primarios ejusdẽ oppidi, de factione Cabellaus quos una die diversis in locis capite truncatos domum remisit. Idem fecit anno sequẽti Theodorico Symonis de Heemskercke eiusdem oppidi civi factioso. Hi tres sepulti sunt apud Carthusienses extra Amsterdam cognomento portus Salutis in ambitu monasterij.

Guilelmus Eggart mercator Amsterodamensis Gandavo Flandriæ oppido oriundus, eodem tempore primum locum apud Guilelmum Comitem obtinuit, nam ipsius Comitis Thesaurarius ac dispensator erat, & quo vellet ipsum inducebat, unde Amsterodamensibus multa privilegia ab eodem impetravit. Nec alius unquam, civis aut incola huic civitati gratior aut utilior fuit: Huic cum Nobiles Hollandiæ, ob ignobilitatem & potentiam qua apud Comitem præstabat maximè inviderent, Comes ea intelligens vasallis suis aliquando secum sedentibus dixisse fertur, Ego Guilelmum Eggart amicum meum vobis custodiendum omnibus cõmitto, ea cura, ut si tegula de tecto forte cadens caput eius confregerit, vobis omnibus imputabitur. Defuncto postmodum

Vide Chro. Holl.

Guilelmo Comite, Guielmus Eggart jam ætate provectus vix medio anno supervixit. Nam cum utrique factioni æque invisus esset, sublato Comite eius protectore, a diversis nobilibus diffidationis literas plurimas recepit, unde pusilanimitate ad tantam rerum desperarionem pervenit, ut nullibi se tutum fore speraret. Quare animi dolore morbo

1417. cõtracto tandem vitam finivit in in castro Purmerendi oppidi, quod ipse construxerat, & Amsterdam delatus in ecclesia beatæ virginis quam ipse fundaverat & pro maiori parte proprijs sumptibus extruxerat honorificè sepelitur.

Sunt prætcrea in Hollandia oppida minora 28, quorum hæc sunt nomina à meridie incipiendo..

Heusden oppidum est elegans cum castello ultra mosam sicut mons Gertrudis positum.

Gorichom in littore mosæ habens arcem cum turribus spissitudinis pedum 4 oppidum pulchrum.

Worcum à meridie Goricum, à quo per Mosam (Merwe ibi dictam) disiungitur.

Alijs Leerdam & sic vulgo.

Lingerdam oppidum parvum cum arce forti super fluvium linge situm, unde cognominatur.

Asperen oppidulum habens castellum in muris oppidi.

Hoeckelum, oppidulum habens arcem fortem extra mænia.

Hæc præcedentia oppida iunguntur ab oriente Gelriæ, à meridie Brabantiæ.

Mons S. Gertrudis olim pulchrum nunc parvum, visuntur reliquiæ eius arcis anno 1420 dirutæ

Schonhavia oppidum pulchrum cum arce superba super leccam fluvium positum est.

Vetus aqua oppidum forte, sed male habitatum super isulam fluvium situm est.

Woerden oppidum forte cum arce pugnacissima habente muros spissitudinis pedum 5.

Yselsteyn oppidulum sæpius dirutum, habens arcem fortem, ubi Ysula fere adnichilatur.

Rotterdam

Rotterdam oppidum pulchrum super mosam situm habens portum multarum navium capacem.

Schiedam etiam super mosam situm cum portu ab aqua id prætercurrēte sicut Rotterdam denominatum.

Vlardinghe vel *Valeria*, oppidum totius Hollandiæ antiquissimum, nunc fere desertum, super mosam situm.

Beverwick ad initum Tyæ 1 milliario à mari positum sine mœnibus & portis.

Septem montes oppidulum cum arce, in meridionali Hollandia, inundatione ferè deletum.

Alcmaria à tali stagno sic dictum, ob loci commoditatem populosum ac vetustum.

Moninckendam 2. miliaribus ab Amsterdam super mare meridionale in Waterlandia.

Edam ob populorum numerum habet duas parochias.

Hoorn oppidum magnum satis, habens arcem.

Magna Palus sine mœnibus & portis.

Enckhuysen oppidum pulchrum habens 2 parochias.

Medenblick parvum, habet arcem fortem.

Hæc supradicta sex oppida super mare meridionali posita sunt, quorum incolæ pro majori parte mare navibus arant. Sunt enim corpore robusti & laborum patientissimi, in victu parci, amictuque simplices.

Burgum in Texalia insula fertili.

Muyden oppidum exiguum, super quod Vecht mare meridionale ingreditur: habet arcem fortem.

Naerden oppidum forte & pulchrum, caput Goilandiæ habet ab aquilone mare meridionale.

Weesop in paludibus situm, unde natura munitum, iuxta quod vecht præterlabitur, quo flumine è Traiecto in mare meridionale descenditur parvis navibus,

Verona oppidum fuit olim ab Alcmaria 1 miliario aquilonem versus distans, totius occidentalis Frisiæ caput, nec certum habetur à quo olim deletum fuerit, nec etiam ullis eius ruinarum vestigijs apparentibus, planicies in qua stetit nomen tantum retinet, licet olim magnæ dignitatis fuisse legatur.

Haga autem Comitis, licet oppidi nomine careat, nulli tamen minorum oppidorum, magnitudine, pulchritudine ac amœnitate cedit.

Purmerenda oppidum populosum à Guilelmo Eggart Gandavensi Flandro cum arce in Waterlandia conditum est, iuxta stagum purmer, unde denominatur.

CORNELII



LECTORI.

CORNELII HAEMRODII *Bataviæ descriptio, quæ sequitur, antehac edita non fuit, quomodo & alibi innuisse nos memini. Quo autem tempore, id quicquid opellæ est, absolverit, exactè referre non habeo; nisi quod amici, & præsertim M. Iacobus Gisbertus familiaris noster, (quem huius & alterius cuiusdam de rebus Albani commentatiunculæ aliarumque chartarum ultimis ceris hæredem Haemrodius scripserat) nobis subinde retulerit occasione scripti, quod de Batavis adversus Gerhardum Neomagum perfecerat Cornelius Aurelius hoc totum ante primos Belgij motus, dum Lovanij adhuc studiorum gratia ageret, scribere aggressum fuisse. Quod tamen redarguere possit quispiam, præsertim qui leget apud ipsum Haemrodium, ubi de Naerda, Haerlemo & Leida aliisque nonnullis Hollandiæ urbibus agitur, obsidionum, quas ab Hispano pertulerint, sparsim mentionem inijci. Quod cum ità sit, lectorem hoc loco præmonendum censui ea omnia, de Hispanorum videlicet obsidionibus ac rebus quæ habentur, à secunda manu ad autographum, quod excudi fecimus, adiecta margini vel ab ipso Haemrodio fuisse, qui aliquot adhuc post istas clades annis superfuit. Et hoc licet obiter etiam alibi commonemus, tamen in ipso frontispicio opusculi semel ac seriò ponendum monendumque palam censuimus: Quò simul constaret conceptum scriptumque hoc opus haud paucis annis ante fuisse, quam publicaretur Hadriani Iunij Batavia: Cum quo tamen in multis conspirare Haemrodium, & in idem sepenumerò cum Iunio concurrere animadvertet, qui utrumque diligentius introspecturus fuerit. Hæc scire te, lector, volui, nescius ne esses. Atque ità nobis ave ac fave.*

CORNELII HAEMRODII AMSTELODAMENSIS

BATAVIAE VRBIVMQVE OMNIVM INTER HELIVM ET FLEVVM BREVIS DESCRIPTIO.

BATAVIAM descripturi quæ & quanta ea priscis scriptoribus fuerit quibusque nunc limitibus contineatur, prius differere oportet. Quandoquidem neotericis super ea re nequaquam cum priscis convenit. Illis namque placuit id tantum agri quod hodie Vuahalim & Leccam fluvios interiacet Bataviæque nomen etiamnum incolume retinet, Bataviam olim fuisse. Sunt etiam qui contendant quidquid hodie Rheno veteri (qui Vltraiectum & Leidam perfluit) Mosa & Oceano comprehenditur Bataviam esse nuncupandam, reliquam vero terram Cæciam & Melen ventos prospectantem Frisiæ adnumerandam. Nonnulli præter Bataviam insulam reliquam terram adusque Oceanum aut olim non exstitisse aut è Dania & fluitantibus in mari insulis violento æstu appulsam, paulatim accrevisse prodigiose somniant. His vero quidquid Vuahali, Mosa, & Isala (modo Daventriam & Campos oppida præterlabente) & Oceano continetur, vulgo Bataviam fuisse apertissime constat. Quorum sententiam (utpote veriorem) nos etiam secuti hanc Bataviæ subiecimus descriptionem, Videlicet eam esse Germaniæ inferioris provinciam nobilissmam, cuius frontem Oceanus, tergum ac latera Rhenus ambit. Hic enim è summis alpibus exoriens ac contra Septentrionem vergens apud agrum Batavicum bicornis efficitur & in duos velut amnes abit, per quem sex olim nunc vero tribus tantum ostijs in Oceanum prolabitur, quorum dexter ad orientem paululum digrediens per potiorem Isalę alvei partem humilesque campos Flevum ostium permeabat. Alter vero qui in Galliam proruit Vuahalis modo dicitur, qui ad Hervverdã pagum a Mosa excipitur. Mosa porro inde per Bochoviam Vernamque pagos & Huesdennam oppidum dilabens Doverinum & Mevaniam vicos primum, mox Masendamum, Sancti Anthonij paludem & Hoclingiam (quæ hodie in insulis Dordracenis inveniuntur) prætervectus immenso tandem ore in Oceanum provoluitur. Durant etiamnum veteris alvei & nomina & monumenta. Terra hæc partim plana ac palustris, partim amęnis collibus conspicua. Quę ut varios amnes sic & ingẽtes lacus cum piscium tum avium varia ac infinita multitudine refertos, sylvas item nemoraq; amœnissima in se continet. Cui quidem descriptioni primum suffragatur C. Cæsar Cõment. lib. quarto, asserens a Vvahali flumine ad usq; Oceanum septentrionalem octoginta ferme passuum milia intercedere. C. quoque Plinius nat. Histo. lib. quarto cap. xv. intercapedinem eius centum ferme passuum milium fuisse perhibet. Quibus adstipulantur vetustatis monumenta ante aliquot annos hisce locis eruta. Plinij vero verba lib. & cap. supradictis hæc sunt. In ipso inquiens Rheno prope centum millia passuum in longitudinem noblissima Batavorum insula & Caninefatum & aliæ Frisiorum, Catthorum, Frisiabonum, Vrionum & Marsatiorum quæ sternuntur inter Helium ac Flevum (ita enim appellantur ostia in quæ effusus Rhenus a Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit) medio inter hæc ore modicum etiam nomini suo custodiens alveum. Cuius verba si propius intueamur continuo deprehendimus vanam esse illorum opinionem qui scriptum reliquere maritimã insulę partem Oceani alluvionibus & æstibus accrevisse. Nam a Lobeco ubi Rhenus primum diffinditur adusque mare centum ferme passuum milia, id est viginti Germanica miliaria intercedunt. Nec in tantam olim angustiam contractam fuisse insulam, ut nunc quidam sibi persuasum habent, abunde ex sequentibus verbis demonstratur. Cum enim dicat nobilissimam Batavorum insulam & Canninefatum & Frisiorũ &c. inter duo Rheni ostia comprehensas, quid aliud significat, quã

 has

has insulas Batavis adnumeratas & a primaria insula communi etiam nomine Batavos appellatos;peculiariter autem alios Batavos,alios Canninefates,alios Frisios &c.dictos: Huic concinit & Tacitus lib.secundo Annal. his verbis; Rhenus apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur servatque nomen & violentiam cursus qua Germaniam prævehitur)donec Oceano misceatur &c. Ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens verso cognomento Vvahalim accolæ dicunt.Manifeste vides Batavos cōmuni nomine eum appellare hos,qui intra duoRheni extrema cornua cōprehenduntur. Quod & illud satis arguit cum enim Tacitus Frisios nominat fere semper addit Transrhenanus populus & Transrhenana gens:nequis videlicet Frisios Minores intelligat cis Rhenum sitos,quos non Frisios qnamvis loca inter illos sita attingat,nominat, sed inter Batavos recenset.Maiores Frisios Rheno ab his discretos Transrhenanos vocat, ut infra copiosius dicemus. Sequitur deinde apud Plinium. Quæ sternuntur inter Helium & Flevum:ita enim appellantur ostia in quæ effusus Rhenus &c.Helium alterum Rheni extremum ostium in Mosa prope Oceanum Plinius constituit & hodie fortassis pagus Helingia ad Mosam veterem situs monumentum aliquod adducit. Flevum dubio procul ea est insula quam hodie etiamnum Het Flee vernacule dicimus:de qua ita Pomponius Mela lib.quarto,Rhenus ad dextrum primo angustus & sui similis,post ripis longe ac late recedentibus jam non amnis sed ingens lacus apparet:Vt campos implevit Flevum dicitur, eiusdem etiam nominis insulam amplexus. Sic ille: Quibus verbis manifeste explicat dextrum Rheni cornu (quod modo Isala flumen occupat) primo fuisse angustum & sui simile a Lobeco videlicet ad Campos oppidum , post,id est , infra Campos ripis longe lateque effusus Rhenus, humiles pascuas ingreditur, unde ingens lacus apparet (è lacubus quippe vi ventorum agitatis mare præsens, quod Austrinum nuncupamus exortum liquet) ut Campos implevit Flevum dicitur, eiusdem etiam nominis insulam amplexus. Hæc illa est insula ad Oceanum sita nunc quidem parva,at olim maior in eaque Castellum eiusdem nominis exstitisse Tacitus author est. Isala vero Flumen,ne & hoc silentio prætercam,nō eum quem modo alveum & iam olim habuit,verum lustris labētibus Rheni alveum iam pene desiccatum ingressus illius nomen exstinxit ut,liquido Tacitus lib.vigesimo primo An.innuit his verbis. Quin & diruit molem a Druso Germanico factam Rhenumque (Vuahalim dicimus) prono alveo in Galliam ruentem disiectis quæ remorabantur effudit. Sic velut abacto amne tenuis alveus inter insulam Germanosque continentium terrarum speciem effecerat. Tenuis iste alveus, Isala hodie est qui supra Zutphaniam oppidum vetus,infra Zutphaniam novus Isala appellatur. Et ne quo pacto addubites Batavorum insulam tantā olim & eousque exporrectam fuisse,idem Tacitus prodidit, Arenacum Gelriæ regiam urbem in insula sitam lib. vigesimo primo,Civili Cauchorum venere auxilia, non tamen ausus oppidum Batavorum armis tueri,sed captis quæ ferri poterant,reliquis iniecto igni ipse in insulam concessit gnarus deesse naves efficiendo ponti:(& paulo infra) Tantumque belli superfuit ut præsidia cohortium aliarum legionum modicis vicis quadripartita Civilis invaserit,decimam legionem Arenaci, secundam Batavoduri &c. Hæc de primarijs Rheni cornibus & extremis eius ostijs utcunque differuisse sufficiat. Nunc ad reliqua quatuor eius interna ostia sermo decurrat: progrediendo itaque abOccidente ad ortum primum occurrit Rhenus vetus,is supra Arenacum è dextro Rheni brachio deductus sub eodem nomine primum Vuageningam & Rheniam,mox Amerōgam, Vltraiectum, Vuoordam & Leydam urbes prævectus prope Katwicam in Oceanum deferebatur, facto ibi ostio subvehendis mercibus perquam idoneo. Anno autem salutis octingentesimo & sexagesimo aut circiter exorta ingēti tempestate oceanusque ventis intumescens Rhenum suo impetu retrorsum propellens alio eum divertere coegit, quare Leccam rivulum ingressus,violento cursu cum nominis iactura primum Batavodurum, deinde Culenburgam, tum Viennam Harculanorum, postremo Schonhoviam prætergressus contra Riederkerkam pagum Mervam flumen ingreditur quo cum tandem & Mosæ immistus oceanum intrat. Alterum inde Rheni internum ostium (relictis nonnullorum fabulis) per vicos Engmondanos medio alveo olim in mare provolutum asserunt,unde & nomen vicis natum apparet.Nam Engmondt Germanis Angustum os seu ostium dicitur.Cui opinioni Plinius etiam suffragari videtur loco supra dicto,sic enim ibi legitur; Quæ sternuntur inter Helium ac Flevum ostia, Medio inter hæc ore modicum etiam nomini suo custodiens alveum : quæ ita placuit interpretari Medio i.mediocri ore inter hæc scilicet Helium & Flevum ostia modicum id est parvum etiam nomini suo custodiens

diens alveum. Quomodo autem hic amnis à Rheno derivatus sit difficile esset nunc pro comperto tradere nisi(quando in re dubia cuique sui animi coniecturas sequi liberum est) quod nobis persuasum est,eum ex Rheni dextro prope Campos oppidum inde per lacus humilesque Campos delapsum Scardamum & Veterem aggerem pagos prætereundo Alcumariamque adnatando per Egmondanorum vicos in Oceanum delapsum importandis Feromam(nobile hic olim emporium) mercibus se commodum præbuisse. Nunc vero a cumulis arenosis hoc ostium obturatum est, uti & Rhenus vetus. Tertium porro ostium a Marsatijs qui ibi olim sedes habuere nomen obtinet. Situm est autem inter continentem & Texaliam insulam appellaturque Marsatiorum ostium sive alveus. Qui similiter ex Rheno promanans per palustrem agrum(nunc mare ingens est) in Oceanum progrediebatur. Quartum vero ostium inter Texaliam & Flevum insulas existit hodieque Occiduus Flevi alveus nuncupatur, eius etiam alveum mare Austrinum devoravit. Habes igitur breviter hic sex ostia per quæ olim sese Rhenus Fluvius in Oceanum exonerabat,Batavosq; in multas insulas diffindebat, quarum nomina, situs, lacus,sylvas,incolas atque oppida mox suo ordine recensebimus. Prima ergo insula quæ proprio & peculiari nomine Batavia dicebatur,a qua & reliquę cõmunem sortiuntur appellationẽ,ea est quæ hodie Vuahali,Mosa & Rheno veteri Fluminib⁹ & Oceano terminatur. Cuius lõgitudo a Lobeco usq; mare duo & viginti miliaria Germanica cõtinet: Latitudo autem septem. Hæc multis interluitur amnibus piscosis quorum præcipui sunt Lecca, & in quem desinit Merva. Isala quoque Montfortiam,Iselsteynam & Goudam oppida præterlabens Mervam tandem influit,Linga præterea Burenum, Aspernathum, Leerdamum,Huekelemum oppida lambens ac Gorcomium tandem intersecans Mervę miscetur,reliquos omnes enumerare otiosorum est. Ager autẽ alibi tumulosus, reliquus planus est,pecorum pabuli & optimi tritici fœcundissimus,prętere sylvas aliquot continet quarum Hagiensis maxima: eius longitudo ad mille quingentos passus sese extendit, de qua infra copiosius. Oceani impetum ingentes arenosi cumuli defendunt qui incredibili cervorum,hinnulorum damarum item lepòrum & cuniculorum copia abundant,avium & piscium præterea infinitam copiam ipsi amnes suppeditant: taceo patrem Oceanum omnifariam piscium exuberantiam largissime profundentem,nam Halec nõ tantum Germaniæ urbes verum etiam Galliæ pervagatur, & quod ipse vidimus, Alpibus transcensis pulchras Italiæ inuisit Civitates nequaquam ingratus hospes; Incolarum,oppidorum vicorum,arcium & pagorum non rarum hic conspicias numerum: nam hęc parva regio Civitates muratas sustinet quatuor & viginti: quarum hæc sunt nomina Tyla,Bomelia, Leerdamũ, Aspernathum,Heuchlema,Gorcomium,Vuorcomium Culenburgum,Burena,Batavodurum,Vienna Herculanorum, Huesdeuna,Schonhovia, Iselsteyna, Montfortia,Vltraiectum,Veteres aquæ, Vuoordema, Gauda,Dordrachum, Rotorodamum, Sceydamum,Delphi & Leyda. Adhæc vicos aliquot celebres quos pagos appellare mihi profecto religio est,Hagã Comitis,Gravesandam,Vlardingam,Gervlitam,Helmondam & Neoportam,cum nonnullis alijs,silebo interim pagos supra ducentos necnon quadraginta quatuor arces multa vetustate claras. De maioribus autem aquis & insulis recentibus prope Dordrachum ortis tum dicemus cum urbes ipsas & oppida depingemus. Hæc de Batavorum propria insula dixisse sufficiat. Nunc ad Canninefates decurrat oratio: Canninefates inquit Corn. Tacitus,gens est in eadem insula (intellige Batavorum) origine,lingua,moribus & virtute par Batavis: tantum numero superantur. Plinius propriam illis insulam attribuit, dicens: In ipso Rheno nobilissima Batavorum insula & Canninefatum & Frisiorum,Cathorum,&c. Hinc non minima oritur quæstio qui modo proprie sint Canninefates. Nam si summam verborum corticem tantum intueamur,videbuntur prima fronte repugnare; sin autem sensum ipsum eruas verborum(quod ubique oportet) conciliatio facilis erit : Quod enim Tacitus hos eandem inhabitare prodit insulam minime mirum cum tantum duorum extremorum Rheni brachiorum meminit,Vuahalis cum Mosa misti,& Rheni inter utranque Frisiam per Flevum delabentis. Internos vero amnes & ostia aut ignoravit aut duo statuisse illi suffecit;aut ideo in eadem insula collocat nequis forte Canninefates aliam à Batavis gentem intelligeret. Hi ergo terram à Rheno veteri Septentrionem versus propter litus Oceani adusque ferme Marsatiorum sedes obtinent vulgoque dicunturque die Kennemerlanders,quod ita erit magis perspicuum si nominis rationem explicemus. Sciendũ Batavos literam F. plerumque vertere in V.ut Frisios vernacule Vrisen, non Frisen dicimus,Item Fri quod sonat latinis liber (adiectivum) nos Vri per v efferimus & similiter

in multis alijs dictionibus. Hinc quos olim appellavere, Kennifers postea Kennivers dixere, modo autem v litera versa in m. Kennimers pronuntiamus, ego vero in libris impressis & manu descriptis Kennifers & Kennivers utrumque inveni. Patet in longum horum ager (quantum ego divinare queo) quatuordecim miliaria Germanica: latitudo ultra tria aut quatuor miliaria sese non extendit. Qua parte Cæciam prospectat paulatim contrahitur, recipitque nisi duos ingentes Lacus, quorum unus à diversis locis diversa etiam sortitur vocabula. Nam qua Herlemam spectat Herlemeus, qua Leydam Leydensis appellatur, in quem se effundit & prasmius lacus. Is vero sinus qui Amsterodamum intuetur Helles lacus vocatur. Huius tam immensi & voracis lacus ante centum octoginta annos vix ullum exstitit vestigium. Alter vero nuncupatur Scermaria longitudine duorum miliariorum; latitudo vix unum habet. Quatuor præterea minores; horum primus est Bergensis, aqua sane nitidissima ad umbilicum hominis profunda aviumque præcipue ferax, sed iam per comitem Egmondanum & Brederodium exsiccatus, alter Bytmaria dicitur prope Vuesopum oppidum conspicuus: Tertius Goyeranus inter Nardenam & Vuesopum minimus. Duvenus Lacus est prope Amsterodamum; olim hoc loco vel in nova Amstella nemus exstitit quemadmodum & in Abcoudano. Nunc oppida & urbes inter hos recenseamus, eorum nomina sunt Herlema, Amsterodamum, Alcmaria, Vuesopum Mudena, Nardena & Amersfortia portis & muris simul omnia munita. Licet autem in arctum Canninefatium nomen hodie contractum cernatur id ex principatuum diversitate ac divisione accidit: cum enim horum bonam partem episcopi obtinuerint, potiorem vero comites Hollandiæ, nomen quoque maiori parti adhæsit. Sylvas præterea amœnissimas vel potius magnarum sylvarum nunc reliquias octo habent iuxta Herlemum quinque; Item Nortvuicanam Egmondanam, & Goyeranam. Orientalis ista Canninefatium provincia Goiolandia dicitur á Gottorum reliquis qui ibidem aliquãdiu sedes ante adventum comitum habuere, primũ Gottolandia mox Goiolandia dicta. Canninefatium autem limites orientales constituere difficillimum foret, quia vero ad Amisiam Flumen eos nos extendimus animi nostri iudicium secuti sumus, quilibet addat vel demat pro suo imperio fidem. Abundat hæc regio innumeris cuniculis, leporibus, Cygnis, anseribus, anatibus, ardeis, vanellis & reliquis quorum recensere nomina longum esset. Lacus & amnes piscium multitudine graves, horum principes Vechta qui ex Rheno derivatur, Vltraiectum, Vuesopum & Mudam perstrepens, ab Austrino mari excipitur: Amstella, quatuor canalibus & veteri Rheno ortus atque item à Vecta tandem Septentriones versus Amsterodamum dividens Thydæ se miscet; Tertius est Thyda qui statis horis reciproco & celerrimo cursu vicum Batavorũ vulgo Beverwijc insigne municipiũ delatus à mari Austrino rursus absorbetur, de hoc plura post dicetur. Quartus est Zanias is nunc Canninefates a Vuatterlandis dirimere vulgo creditur. Superest Amisia ad Vuodenbergam id est silvarum montẽ exortus per Amersfortiam in mare Austrimum devehitur. Hucusq; de Canninefatibꝰ. Catthi vero quæ loca olim obtinuerint parum liquet, Plinij tẽporibꝰ proprias quoq; sedes habuisse videntur: postea vero, hoc est anno salutis humanæ ducẽtesimo & sexagesimo aut circiter varijs motibus ac bellis civilibus agitati sua loca amiserunt: pars enim ad Vuahalim, pars ad Oceanum confugiens novos vicos de suo nomine condidit: inter Frisiabones etiam colonias suas deduxere, cum sylvæ ibidem Catthorum nomẽ resonent: unde Catthvualda ibidẽ dictus vicus. Nec desunt qui Leydam insignem nunc urbem Catthorum caput constituant adijcientes illi Vuoordam, Veteres aquas & Montfortiam oppida, verum quilibet quod vero propius existimat, accipiet. Catthi ergo iuxta eorundem sententiam utramque Rheni veteris ripam incolunt, in cuius faucibus olim arx valida à Britannia quam respiciebat nomen gerens: eius ruinæ apparuere anno 1552 latinis literis & Cęsarum incisis imaginibus admiranda, quæ arcem peruetustam esse arguebant. Sunt præterea Catthi, Batavorum omnium nobilissimi ex vetusta ac regia Catthorum stirpe apud Germanos (Hessos & Turingios hodie dicimus) propagati, qui una cum Batone eiusdem gentis regis filio in has sedes olim devenere: nec te moveat lector, Frobeniana impressio, quæ Cauchos pro Catthos habet: mendum est enim apertum: nã Cauchi Batavis incogniti. Catthi vero quam notissimi. Mox ad Frisabones properet oratio, Frisiabones arbitrio doctorum virorum ij sunt quos hodie Vuaterlandos numcupamus gens, multo olim quam nunc maior. Dicti Vuaterlandi eo quod agrum habeant humilem valde & aquosum multis fossis & lacubus invium, quorum Bohemstria princeps est, is longitudinem habet quinque millium passuum: latitudinem mille quingentorum: hunc sequitur Purmaria lacus eiusdem

cum

cum oppido nominis. In hoc lacu aliquando piscis vixit corporis humani effigiem referens per totum sexus erat fœminei qui tandem in terram delatus in Edamensi humanis cibis utebatur atq; vestitu simul muliebri more, fila ducebat è colo, verũ vox articulata tantum deerat, ecclesiã visitabat, Christiana sacra & ritus venerabatur, hæcfere omnia exemplaria quæ mihi videre contigit uno ore testãtur. Res alioqui rara & inaudita. Tertius est Vuormaria & juxta eum vicus ingẽs & celebris eiusdem nominis: reliqui septẽ obscuri sunt nominis. Incolæ statura sunt procera, vegeto & robusto corpore, colore vivido, pecori alendo piscatione & re nautica sumptũ suum exercẽt, re sunt admodũ lauta & ad subeunda pericula, plerunq; intrepidi, in his veterũ Batavorum ingenij vestigia relucẽt, sunt enim tenaces æqui & iusti, ingenio simplici, insidiarum ac doli ignari: victitant plerumque lacte vaccino, ovis; caseo, piscibus & porcinis clunibus, potus est serum lactis, Hollandis fere omnibus familiaris, hinc corporum proceritas & succi copia. Ciuitates habent tres Monichodamum, Edamum & Purmariam muris cinctam, præterea octo & viginti Pagos: linguam antiquã obtinent, Saxonicæ cognatam aut saltem Saxonicam linguam spirantem, quam raro aut nunquam mutant, etiamsi diversas adeant terras: nam parum decorum habetur relinquere patrium idioma, aut id novis vocib⁹ & exteris conspurcare. Virginibus mos est caput gestare apertum, capillos discriminare eosque intortos hominum oculis ostentare (pudicitiæ intemeratę argumentum) Nuptę vero aut corruptæ caput velare coguntur. Habet Waterlandia ab ortu, mare Austrinum, à meridie Thydam Flumen Amsterodamum præterlabentem. Zania amnis illi occiduus est, qui tandem in Bohemstriam lacum pertingens cum fossa quæ Aggerem veterem Scardamumque Pagos habet, modo Frisiabones a Frisijs nostris dirimit. Hos sequuntur Frisij in duas gentes partiti, Maiores & Minores. Maiores Frisij à mari Austrino ad Visurgim Fluvium pertingunt à viribus & potẽtia sic dicti. Hos Transrhenanos Tacitus appellat, gens hodie satis bellicosa & olim virtutis opinionem habuit. Minores Frisij ab alijs numero, agris & potentia superantur. Hi ab Alcumaria ad Rhenum & Flevum extendebantur, modo Nordtlandi dicti, eo quod ad Aquilonem siti sint; ante aliquot annos Occidui Frisij dicebantur: Horum terræ bonam partem mare absorbuit. continet iam in longum miliaria Germanica septem, ab occasu ad ortum progrediendo: latitudo vero, quo maxime extenditur sex habet miliaria: lacus in ea parvuli sunt ad viginti omnes densati fundi ad hominis umbilicum pertingentes, avium ac piscium incredibilem copiã benignissime effundẽtes; præter hos & alij magni lacus duo, horum Vuarda primus dicitur longitudine ter mille passuum. Alter orientem prospiciens latitudine multo minor: Incolæ omnes aut pecore, piscatione, aut nautica negotiatione sese exercent, lingua & ingenio à reliquis Hollandis indiscreti, oppida habent, Hornam maritimam, Enchusam, & Medelachum nunc Medenblicum in præsentiarum quidem muris destitutum: cæterum olim regia Batavorum ac Frisiorum sede admodum nobilis, vici præterea suo iure utentes in modum urbium sunt, Scaga sinum habens principem & arcem munitam; Grotenbrucha tectorum frequentia ac pulchritudine multis oppidis anteferenda, & Hoochvualda, id sonat alta sylva: insuper nonnulli pagi maximi; quorum quilibet octingentos ferme viros exhibere posset. Restant Pagi sexaginta duo. Septentrionem versus insula Vuiringen occurrit, cuius ambitus septem milia passuum continet ad duo miliaria parva à continente dirempta, in ea viculi quatuor. Frisiorum istorum ager solidus est ac perpingui gleba, frugum & herbarum admodum ferax. Marsatios sedes olim in Texalia & locis finitimis habuisse alveus inter continentem & Texaliam insulam medius arguit, cui in hodiernum usque diem nomen à Marsis seu Marsatijs durat, insulæ Texaliæ ambitus viginti passuum milia & pagos septem continet, quorum Burga caput est. Post hanc Flevum insulam invenias, eius longitudo miliaria ferme tria, latitudo vix mille quingentos passus explet, in ea viculi duo: huius Insulæ latitudo olim (ut veri similibus coniecturis assequimur) quinque miliaria habuit: similiter castellum eiusdem nominis ad Frisiorum Transrhenanorum incursiones retundẽdos ibidẽ exstructum (castellum nequis hoc ignoret non arcem significat ut vulgo persuasum habent sed parvum oppidulum) de hoc ita Tacitus: Hinc ira & questus & postquam non subueniret remedium ex bello, capti qui tributo aderant milites & patibulo affixi. Olennius Romanus Dux infensos fuga prævenit, receptus castello cui nomen Flevũ & haud spernenda illic civium sociorumque manus in litore Oceani præsidebat. Hanc sequitur alia insula Scellingia dicta, olim Frisiorum nunc Hollandorum iuris est. Pagi in hac quatuor. Inter hanc & Flevum insulas,

B 3 estium

ostium illud Rheni amnis celebre exstat Flevum similiter dictum Batavos a Frisijs maioribus dividens. Restant soli Vriones sive Sturiones ut nonnulli habent libri sedes habentes humiles & palustres multis & ingentibus lacubus invias, quas ab anno Salutis octingentesimo & septuagesimo mare paulatim adurens iam penitus absorbuit: quo usque sese extenderint Vriones parum comperti habeo: eorum reliquiæ maris medium obtinent, exigua admodum insula Vricha dicta: non dubitarem tamen hos Orientalem Bataviæ partem tenuisse, ubi nunc Elburga, Campi, Hattema oppida, quos Vsipios seu Vsipetes aliqui appellant. Velua nunc Gelriæ magna pars olim solitudo fuit & inculta. Cum itaq; iam Batavorum nomina & insulas & lacus utcunque depinximus, operæpræcium esse arbitror nec a præsenti negotio alienum maris Austrini originem ac situm his subiungere. Mare illud quod nobis Austrinum dicitur eo quod ex Oceano Meridiem versus prospectet retro sexcentos annos paulatim ex Lacubus, paludibus & humilibus pascuis ventorum agitatione cõcusis incrementa cepit. Ita ut iam in lõgitudinem pateat Germanica miliaria septẽdecim, à Pago nimirum Bunschotico ad Flevum ostium progrediendo, latitudo vero ab Elburgo Geldriæ oppido ad Hornam Hollandiæ ei adversa pertingens octo miliaria continet. Alluit autem multas & egregias Civitates recipitque in se Fluvios haud minores, Edamum, Hornam, Enchusiã, Medenblicum, Monichodamum Hollandiæ omnes. Item Hardervicam & Elburgam Geldriæ, præterea Campos Transisalanorum, novissime vero Stauriam, Vuorconium, Hindelopenam & Herlingiam Frisiæ civitates. Amnes vero præter Rhenum quem modo Hisalam dicimus, Amisiã, Vechtam Thijdam & obscuri nominis pauculos præterea: insulas vero sustinet seu cirumluit quatuor, præter Oceanicas de quibus supra, Marchiam vulgo Marken insula parva cum vico duntaxat uno è regione oppidi Monachodamorum, nec non aliam Vrichiam (Vrionum vetustam sedem & reliquias) medium maris obtinentem cum vico. Hinc paululum ad ortum progrediendo occurrit alia longitudine 1000 passuum vicos habens duos, quorum unus Ennesia alter Eymilortia dictus. Quarta vero omniumque minima Grindia ad Flevum ostium sita, omnes istæ Hollãdorum iuris sunt prçter vicum Ennasiã qui ad Transisalanos pertinet. Ab Enchusia vero ad Stauriam Frisiæ oppidum ubi est brevissimus ex Hollandia in Frisiam Traiectus duo miliaria intercedunt. Hoc mare Hibernis mensibus ita glacie constringitur ut trahas & currus cervisia, piscibus alijsque mercibus onustos equosque vectores sustineat, diversa oppida petentes. Hæc subjicere visum est: cum enim terram & lacus descripsimus, hoc quoque mare internum præterire non potuimus, præsertim cum Vrionum Marsatiorumque bonam partem obtineat. Hæc sufficiat de Batavorum insula & sedibus dixisse. Nunc porro Gentis originem mores & ingenium aliquousque attingagamus. De Batavorum origine non minor est opinionum diversitas quam de sedibus, alij quippe decus ex antiquitate metientes eam à Gigantibus (à Bruto Troiano ex Albiona seu Britannia expusis) inhabitatã ferunt, nongentis ante natum Christum annis. Gigantes isti se Sclavos appellabant primum, & arcem de suo nomine Sclavenburg ad Mosam exstruxere quam hodie Vlardingen dicimus, qui cum essent vagi & inculti ferarum ritu vitam agentes vernacule Vuiltæ à vicinis dicebantur, Vuildt, enim Batavis vagum & silvestrum sonat. Cæterum qui hæc dicunt, tantum dicunt, nihil probant; quis enim deus talia prodidisset: non incultus & horridus Cimber aut Germanus nec Oceani ignarus Britannus seu Troianus neque Gigas fugitivus literarum inscius & isti ut apparet Germanicam calluere linguam, nam Sclavenburg Germanis significat Sclavorum oppidum vel arcem, item Vuldt vagum & sylvestrum significat, huiusmodi sibi somnia effingunt quidam ut vocum & nominum primam inveniant originem. Nos autem nihil ingerere his statuimus præterquam quod apud fide dignos scriptores reperio. Tacitus autem sic scripsit libro vigesimo annalium: Batavi Germanus populus donec trans Rhenum agebat Catthorum pars seditione domestica pulsi extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus simulque insulam inter vada sitam occupavere quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit, nec opibus Romanis, societate validorum attriti, viros tantum & arma imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria trãsmissis illuc cohortibus quas veteri instituto nobilissimi popularium regebant. Erat & domi delectus eques prçcipue nandi studio arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere. Hæc ille: quo vero tempore primum has vacuas cultoribus sedes invaserint, facile deprehendi potest ex latinis scriptoribus: nã Romanis contra Mithridatem Ponti regem auxilia submisere, nec nõ Cæsari contra

Pom-

Pompeium, vnde liquet Catthos istos centum & quadraginta aut circiter annos ante natum Christum in hæc loca devenisse cum Batone suo rege ac Duce Catthorum regis filio, terramque de eius nomine Batovien seu Batavien dixere: gens bellicosa & ad subeunda pericula inperterrita, ita ut magnum nomen & decus apud omnes gentes obtinuerit. Cornel. enim Tacitus omnium gẽtium, qui Rhenum accolunt Batavos fortissimos fuisse autor est. Verum quia scriptores nostri Sclavorum & Vuiltarum meminere necessum est explicare istarum vocum originem & causam. Anno salutis humanæ cẽtesimo sexagesimo quarto Sclavorum gentes Germaniam invasere multaq; loca expulsis Germanis, obtinuere. Horum reliquiæ sunt Bohemi hodierni, Schilesij, Moravi, quas gentes Germani à divagando Vuandalos dixere, nunc Vuenden seu Vuendicsch dictæ ad mare etiamnum sedes habentes, quibus omnibus Marcus Anthonius Philosophus negotium exhibuit, unde fugati in locis diversis delituere. Sub Galieno autem imperatore, vires resumentes non dicendis malis Germanos affecere & quoquoversum sedes invasere alienas, ad Rhenum tandem progredientes Bataviam diripuerunt indeque pulsis Catthis & Insulæ primoribus sibi imperij summam adsumpsere, hi omnes se Sclavos dicebant, arcem de suo nomine construxere, quam Sclaveren (hanc nos Vlaerdingen) nuncupavere. Mox quoque inter ipsos ambitio sectas peperit, unde exorti Wiltæ qui sibi quoque Castellum ex truentes Vuiltemburgum Sclavorum nomen ferme extinxerunt ac paulatim totius insulæ imperium obtinuerunt, quamquam non desunt qui Vuiltas non Sclavos sed Batavos profugos fuisse credant, qui suis sedibus expulsi in sylvis degebant : unde Vuiltæ quasi sylvanos dicas, quanquam meo calculo anteriori sententię primas tribuerem. Vuiltæ ergo confirmato sibi imperio in vicinorum quoque fines irrumpentes, prædas agunt, indigenæ Germani haud ferentes, variante fortuna, cum his pugnatur, donec tandem Probus imperator domitis omnibus pacem constituerit anno salutis ducentesimo octogesimo sexto. Postea rursum spreta pace fœdus cum Saxonibus percutiunt & Frisijs, qui sicut unum & idem fœdus ita & idem nomen assumpsere, dictique communiter Saxones (quanquam Ethicus vetus autor, scribat ante etiam Saxonum nomen ad Rhenum pertigisse) quos Valentinianus ob Germaniæ & Galliæ illata arma fudit & ad sedecim milia percussit. Hęc satis de Sclavis & Vuiltis. Nunc tandem singula oppida ad Batavos pertinentia depingamus. Atque talem Bataviæ divisionem præmittamus, Batavos Carolus Calvus imperator trifariam divisit. Nam orientalem partem cuius caput Neomagum cum aliquot civitatibus imperio reservavit, hi nunc ad Geldrios pertinent; occiduam vero seu inferiorem insulæ partem quam à syluarum copia Holtlandiam dicebant partim externo Comiti partim Vltraiectinorum episcopis attribuit: sicque olim trifariam divisa pristinum ob id vigorem penitus amisit. Habet ergo ipsa insula quadraginta duas Civitates muratas præter Neomagum, quæ licet extra insulam sit, ad Batavos tamen attinet eorumq; multo tempore caput exstitit, sita est ad Vuahalim loco peramæno partim plano partim acclivo, multis vetustatis monumentis clara & contra hostiles impetus satis munita, patria clarissimi viri Gerardi Geldenhaurij atq; aliorum multorum virorum eruditorum.

Arenacum urbs vetusta in insula ad Rhenum amnem sita, hodie regia est Geldriæ ducatus, habet domos amplas & insignes una cum monumento Caroli Geldriæ ducis fortissimi.

Tyela ad Vuahalim oppidum mediocris magnitudinis olim Galliarum nobilis portus.

Bomelia salinarum Vuahalim similiter muro præterlabentem aspicit.

Vuageninga ad Rhenum modicum oppidum id esse putamus quod olim Tacitus Vadam seu (ut habent aliqui libri) Vuagdam appellavit.

Burenum parvum municipium arcem habens munitissimam quam lingá Fluvius adlabitur : hoc oppidum nostra ætate Maximilianus Egmondanorum regia ortus Comes Burang velut immortalem sua virtute reddidit.

Culenburga ad Leccam Fluvium exstructa proprium similiter habens principem.

Hattema ad Isalæ Fluminis ripam condita Civitas ad hostiles impressiones sustinendas utcunque munita.

Campi (numero plurativo) Transisalanarum liberarum civitatum socia urbs in Isalæ ripa extenditur, pontem habens ligneum ad utranque Fluminis ripam pertingẽtem. Patria Iohannis Campensis viri doctissimi qui in Davidicis psalmis egregius paraphrastes, nec non Hermanni Torrentini grammatici ut quidam putant.

Elburga ad mare Austrinum humile oppidum.

Herderwica item maritima Civitas amœna, olim cum literarum gymnasio tum bellicis tumultibus celebrior, hodie vero piscium marinorum nundinatione non modicum faciens quæstum: omnes istæ Civitates præter Campos Geldrorum iuris sunt.

Vltraiectum in ipso Rheni traiectu situm nobilis urbs atque sedes Episcopalis Canonicorum collegijs dives, tēpla hic multa & augusta, domus insignes: literarum gymnasio hodie satis celebris: præterea arcem habet munitissimam à Carolo Q. imp. exstructā: mœnibus & propugnaculis valida Civitas, patria Hadriani Florentii viri doctissimi primum Cardinalis ac postea Romani pontificis, item Gisberti Longolij medici & Rhetoris insignis: hodie quoque ingeniorum fœlicium formarumque multum fœcunda.

Amsterodamum urbs recens anno salutis humanæ millesimo ducentesimo aut circiter primum exorta creditur, quæ ab exiguis initijs eo paulatim accrevit, ut fama eius ad Scythas & Indos pervenerit, celebre nunc emporium in Thydę amnis ripa in modum bicornis lunæ extenditur, templa magnifica intusq; superba. Capitolium ornatissimum, faciem exteriorem ipsa conclavia intrinsecus lōge vincunt: certamen est inter cives quis altius ædificet, domus angustæ quidem, tecta vero cœlo minantia. Incolæ perquam humani, viri insignes atque modesti, forma conspicui, negotiosi, perpetuo domi desidere ignominiosum, diversas adijsse terras, mores hominum perspexisse id in primis decorum putant. Florentius Comes Hollandiæ Filius Wilhelmi qui Romanorum rex fuit prima privilegia dedit Amsterodamensibus anno 1275, quę deinde cōfirmavit anno 1291: ex quibus patet Amsterodamum tum temporis fuisse oppidulum alicuis nominis. Primus dominus Amsterlandię cuius caput est Amsterdamū, fuit Engelbertus qui arcem exstruxit in ripa Amstellæ eodem ferme loco & è regione Domus Hispaniarū titulo insigni, quo loco nunc Domus, Hinlopus dicta cuius turrium fundamenta ibidem sunt inventa anno 1564 cum Antonius Bontekoe domus dominus ibidem vellet fodere scrobem excipiendis hominum excrementis idoneum. Hæc arx penitus diruta fuit, in vindictam cædis Comitis Florentij per Dominum de Velsen perpetratæ: cum princeps Amsterlandiæ esset consanguineus eiusdem Domini de Velsen. Ex hac urbe prodierunt viri doctissimi qui scriptis patriam illustrarunt, Dominus Atelhardus, Amsterodamus (quem Alardum vulgo dicunt) Iohānes Sartorius, Cornelius Crocus, Nicolaus Kānius magni illius Des. Erasmi discipulus & famulus, nec non Nicolaus Eberhardus utriusque Iuris doctor, Caroli Cæsaris in urbe Spiriensi consiliarius: Mulieres item negotiosæ forma excellenti.

Dit Casteel stōt tusschē Dammerac ende dē nieuwen Dijc by na recht tegen over de oude Kercks Thoorn.

Dordracum urbs vetusta atque elegans, domus magnificæ & augustæ olim ad Vuahalis Mosæque confluentes sita; hodie vero ijsdem metas suas egressis & terra, vi aquarum absorpta mare ingens apparet. Hoc autem accidit sub Philippo Burgundiæ Duce Comite Hollandiæ eius nominis primo, quo tempore septuaginta duo vici periere cum hominib⁹ & pecoribus. Hoc mare patet in longum Germanica miliaria quatuor, in latum duo, exstant præterea inter Oceanum & Dordracum septem insulæ magnæ ad Hollandiam pertinentes. Claret hodie Dordracum mercimonijs, vino, ferro alijsque innumeris mercibus. Cōdita vero creditur ab Arnuldo Batavorum rege: hic enim ei loco quēdam virum fortem præfecit unde urbi nomen natum.

Delphi, orum à Gothofredo Lotaringiæ & Brabantię duce primum mœnibus & portis munitur: terra undique plana & pecorum pabulo abundans: urbs ipsa nobilis butyrum optimum generans, domus amplæ ac magnificæ: floret hodie coctura cervisiaria. Ex hac urbe prodiere viri clarissimi Ægidius Delphius poeta & Theologus, Iudocus Sasboltius poeta & utriusque iuris doctor, Iohannes Delphius Grammaticus & Adamus Sasbolti homo trilinguis & theologus simul eruditione & pijs moribus, quod satis arguunt monumenta ipsius in Paulinas Epistolas conscripta: obijt anno 1554, Lovanij ad Franciscanos sepultus anno ætatis suæ 36.

Herlema amplissima atq; amænissima civitas Sparnam habet perfluentem mediam, condita à Lemanno Batavorum rege: forum maximum habet, templum item capacissimum & in cælum eductum: domus splendidæ & amplæ: mœnibus ipsis imminet nemus opacum & arenosi montes: item nobilium arces plurimæ. Hęc civitas plurimum aucta per Wilhelmum secundum Hollandiæ Comitem postea Romanorum regem creatum. Obsessa per Hispanos & sæpius oppugnata cum Hispanorum ruina tandem post 8 menses ob alimoniæ defectum deditur.

Leyda urbs vetusta ac pulchra. Rhenum veterem habet perfluentem ac arcis per vetustæ reliquias, hanc primnm condidit Mandethus eiusdem arcis Burgravius pater Le-

manni regis Batavorum eius nominis primi, fuit olim mercatu celebris. Hæc civitas ab Hispanis bis est obsessa, tandem à Deo liberata cum magna Hispanorum ignominia.

Gouda à rivulo nomen accepit, sita est autem in Ripa Isalæ Fluminis: in ea fuit templum magnificentissimum quod anno 1552 fulmine ictum penitus exustum est, & quod miraculi loco erat domus templo proximas ac item arbores ignis omnino non læsit. Edidit Doctissimos viros Cornelium Aurelium Historicum & nobilem Poëtam: Vuilhelm Hermannum Poëtam simul & Historicum: hic conscripsit bellum Hollandicum & Gelricum. Erasmus Roterodamus appellat virum inter optimos doctissimum & inter doctissimos optimum: obijt 27 ætatis suæ anno.

Rotterodamum à rivulo rotto nomen accepit non procul à Merva quem vulgo Mosam appellant, situm: oppidum mercuriale mediocris magnitudinus, nutricula Magni illius Desiderij Erasmi, quam vir pius simul & doctus æternis suis scriptis ipso fere sole clariorem efficit, ita ut ex omnibus Europæ partibus viri docti atque nobiles ex Italia, Sicilia, Hispania, Hungaria, Polonia, Anglia & Germania nostra huc se contulerint, non ob aliud nisi ut Hollandiam & Rotterodamum viderent tanti scriptoris natalem sedem.

Alcumaria, olim Rhenum habuit præterfluentem; hodie multos habet in circuitu lacus à quibus & nomen accepisse verisimile est. Protulit doctissimum Petrum Nannium apud Lovanios Latinarum literarum professorem, cuius multa exstant monumenta.

Schoonhovia ad Leccam exporrecta, patria eruditissimi viri Christophori Longolij oratoris clarissimi Patavij sepulti.

Horna maritima civitas, anno salutis 1233 fundata, mediocris est magnitudinis portum habens satis commodum. Genuit Hadrianum Iunium medicum, virum latinarum ac Græcarum literarum ex æquo Doctum, cuius ingenij vigorem arguunt scripta illius passim obvia.

Enchusia maritima quoque Civitas navigandi arte perita, gignit homines fortes & intrepidos: nutricula est magistri Rivuardi Tapperi gravissimi Theologi ac Lovaniensis academiæ Cancellarij qui ingens volumen in fidei articulos ædidit.

Amersfortia ad Emisiam flumen situm oppidum utcunque munitum turrim habet excelsam & insignem.

Montfortia ad Isalam flumen parvum oppidum, natalis sedes D. Lamberti Hortensij historici hac ætate profecto clarissimi; qui veterum scriptorum eloquentiam & gravitatem si non superat, certe æquat. Hunc modo Nardena schola præfectum habet.

Nardena prope mare Austrinum visitur, parva Civitas, sed ad hostium impressiones sustinendas satis munita: literarum gymnasium habet Lamb. Hortensio moderatore celebre. Hæc anno 1572 in Decembri ab Hispanis quibus bona fide portas aperiebant contra datam fidem crudeliter tractata: viri in Domo civica in ermes interficiuntur, civitas deinde spoliatur & incenditur: ibi scelera multa ab Hispanis perpetrata: quæ crudelitas alias civitates contra Hispanos animavit.

Batavodurum quod & Dorestatum pervetustum & magnum olim oppidum, cæterum Dacorum, Nortmannorumque incursionibus penitus exustum & dissipatum, Arcem habet satismunitam ex hoc prodijt magister Vualterus Grammaticus.

Rhenia ad Rhenum oppidulum antiquum, patria doctissimi viri Gerardi Listrij scriptoris clarissimi Divæ Cuneræ cineribus quondam famosa.

Gorichomium ad Mervam situm mediocre oppidum, lingam habens perlabentem medium, arcem simul habet munitam.

Vuorichonium non procul hinc ad Vuahalis Mosæque hodie confluentem.

Vienna Herculanorum parvum ad Leccam flumen oppidulum, arcem habens munitam Brederodianorum principis imperium ferens.

Veteraquia ad Isalam sita modicum quidem sed amænum & pulchellum oppidum, patria Cornelij Valerij. Hæc etiam per Hispanos tandem expugnata stirpitus interijt, anno 1574, verum per ordines Hollandiæ restauratum & amplificatum.

Vuordena ad veterem Rhenum concinnum & politum oppidulum, præterea satis munitum mœnibus & arce, Iohannis Pistorij natale solum.

Aspera seu Aspernathum ad lingam est mediocre oppidum. Hoc oppidum iussu

CaroliGeldrorum ducis à Geldris & ſimul aliquot Burgundionum tranſfugis peditibus diu oppugnatum, tandem fortiſsimis civibus inter expugnandum cæſis, & his ſuccedentibus fœminis cum pueris, captum eſt; Hic ſupra omnem Scythicam immanitatem in omnem ſexum, in omnem ętatem, in ſacra, in prophana igni, ferro, libidine deſæuitũ eſt, nam gymnaſiarcha una cum innocentibus diſcipulis in templi ſuperiora abſconſis degeneres animi crudeliter necavere : ipſe cruor per parietes guttatim decidens nulla poſtmodum aqua elui potuit: uſque adeo Gelri in Hollandos invida gerebant pectora, ſicque in patrios minxit Carolus ab Egmonda cineres.

Leerdamum aggerem ultra lingam obtinet, principem comitem habet: Ab Hiſpanis obſeſſum & tandem expugnatum.

Huechenum citra lingam vetuſta arce Herculanorumque familia nobile.

Iſelſteynum ad Iſalam ſitum vicinorum odijs aliquando nobilitatum.

Heuſdenna Moſam olim perlabentem habuit; qui hodie mutato alveo ad mille paſſus inde prope Vorichomium Vuahali miſcetur. Habet arcem munitam.

Vueſopum Oppidum parvum ad Vechtam flumen ſitum, admodum concinnum & politum: huius incolæ cerviſiæ coctura non minimum faciunt hodie quæſtum.

Mudam Vechta idem interſecat humile municipium, arcem habens vetuſtam & firmam.

Edamum ad mare Auſtrinum incolas habet fortes : hic magnæ naves fabricantur.

Monichodamum Vuaterlandiæ caput item maritimum concinum oppidum maritimis negotijs ſumptum ſuum exercens.

Purmaria oppidulum factum & communitum anno 1572. Arcem habet vetuſtam, contra vim hoſtium.

Hactenus maritimas civitates deſcripſimus: nunc etiam vicos aliquot plane regios depingemus multis oppidis anteferendos & liberos : quorum primus eſt Haga totius Hollandiæ & Zelandiæ regia, quam Florentius eius nominis tertius primum exſtruxiſſe creditus eſt, nomenque vico à ſylva natum : ſylva enim primum Heylichbuſch ac paulatim corrupta voce Haechbuſch, inde vicus Haech dictus eſt, & quia eum Comes exſtruxerat Comitis Haga dictus: locus ſane quam amœniſsimus eſt: ad Aquilonem ſylva durat cervis, Hinnulis & leporibus, tum avibus referta, ampliſsimæ domus, plateæ item latæ. Huc regiam ſedem tranſtulit poſtea comes Vuilhelmus huius nominis ſecundus atque Rom. imperator. Dedit Haga Vuilhelmum Gnapheum comicum doctiſsimum ſcriptorem, & Iohannem ſecundum Poëtam. Item Iohannem ab indagine Iuriſperitum Prope Hagam Naeltvuicus pagus patria doctiſsimi viri Martini Dorpij.

Haga Comitis.

Verding eerſt ghenaemt om den Wilden tol die daer lach.

Vlardiga Sclavorum olim colonia, Sclaveren primum mox Vlardighen dicta, ſita eſt ad Moſam.

Graveſanda hic olim Regia Hollandiæ & Zelandiæ ſedes fuit quam Cæſar Vuilhelmus in Hagam tranſtulit, ut ſupra meminimus.

Sequitur ſeries Regum Ducum atque principum Batavorum.



ATAVIAM qui primum obtinuerit nõ una fama volat, ſunt qui à Sicambris, Scythiæ gentibus eam inhabitatam aſſerant. Alij ab Albionibus è Britannia profugis primum occupatam ferunt, Sclavos quoque ante bis mille annos hic rerum potitos memoriæ proditum eſt. Quorum opiniones neque affirmare neque refellere in animo eſt. Sed qui decus ab antiquitate metiuntur, libenter ſolent fabulis indulgere. Nos vero rem tantam exordientes nihil niſi probatum priſcis ſcriptoribus ac à viris doctis per manus traditum in medium afferemus. Bataviam ergo ab initio Catthi tenuere Germanię populi, qui domeſtica ſeditione pulſi inſulam inter duo Rheni oſtia cum duce ſuo Bathaph Catthorum regis filio, primum occupant, caſas erigunt, mox arces contra vim hoſtium ducum ac nobilium nominibus inſignitas exſtruunt, vicinos Menapios coniugali fœdere ſibi affines faciunt. Rhichelindam Menapij Tungrorum regis filiam, regi ſuo Bathavo accipiunt uxorem. mox quoque è novo matrimonio filius Heſſus fuit, hæres paterni regni : regnavit Bathaph annos ferme quadraginta : Neomagi creditur humatus.

Heſſus deinde regnat Bathaphi filius. Hic patriæ amore captus vicum Neomagum nutriculã ſuam, tectis ſupra modum auxit, protulit, regia ſede nobilitavit. Vrbis inferior

pars

pars eius de nomine etiamnum Heſſenberg appellatur. Ad hæc ſtimulante regni aviti amiſsi memoria parentiſque exilij bellum Cheruſcis & Catthis intulit, quos Tungris ſocia arma iungentibus aliquoties fudit. Illius iam nonus agebatur regni Annus, quo primum cæpit Batavorum nomen non ſolum per vicinos verum etiam per Italiam celebrari: præcipue cum miſsi Romam legati fœdus & amicitiam Batavicæ gēti peterent. Quibus ex voto confectis auxilia contra Mithridatem Ponti Regem Romanis, Inacho duce, decreverunt. Hæc nonaginta ferme ante Chriſtum incarnatum annos cōtigere. Heſſum ſumma gloria annos novem & triginta regnaſſe Neomagique ſepultum celebratur.

Kannaphum deinde populus regem creavit cognomento Duram, virum magnanimum, venatorem indefeſſum ac natandi arte cōprimis peritum. Qui in ipſo Regni ſui limine vicum in Rheni ripa cognomine ſuo donatum Durenſtadt, condidit: quem Cor. Tacit. Batavodurū quo à Dura Iuliacenſi ſeu Marcodura dignoſcatur, ita nominat, hoc exſtructo ad fœdus olim cum Romanis, ictum renovandum animum adijciebat, Caio Cæſari auxilia contra Pompeium mittebat, quorum præcipue virtute Pompeianos fudit. Tradunt aliqui uxorem Cannapho fuiſſe Octaviam Auguſti Octavij Cæſaris ſororem alteram; prior, enim Neroni nupſit; quibus adſtipulantur & Brabantinorū Chronographi; eundem tamen nō Duram ſed Brabam appellantes; utrum autem hæc ſeſe habeant, ſive cum mortales genus ac gentem quilibet ſuam celebrare ſatagant hinc ad nobilem, prçclarum ac magni nominis virum originem referant, penes Lectores arbitriū erit. Kanapho Rege primum natandi artem Batavos didiciſſe creditum eſt, regem ſuum imitati, cum ſimiam principum ac magnatum populus agat. Hinc illis nihil arduum, nihil invium, non obſtare paludes, non foſſas, non ipſa denique flumina: nam integris Turmis Rhenum perrumpere ſolitos, inſultaſſe aquis, Tacitus author eſt. Tantum præterea frequenti venatione, aſsidua exercitatione ac indefatigato labore virium ſibi rex collegerat. ut (modo fidem mereantur quos ſequimur commentarij) cervum aliquando curſu aſſecutum cornibuſque apprehenſum ante ſuorum ora pertraxerit, noviſsime autem cum nimius natator haberi exoptat flumine hauſtus ſuffocatur, Karolo Waldano ex Octavia coniuge relicto ſibi filio hærede.

Karolus cognomento Sylvius (quem Cariovualdam Tacitus vocat) dehinc in Batavia rerum potitus eſt. Vir fortis & bellicoſus Romani Imperij ſummus fautor. Hic in prima iuventa una cum Druſo & Tiberio avunculi ſui Auguſti ducibus Suevos & Noricos magnis viribus oppugnavit atque eo nomine Brabantiam aduſque Schaldem fluvium Auguſti iuſſu obtinuit. Deinde quadrageſimo ipſius Auguſti Imperij anno cum aliquot Romanorum Legionibus Druſo ac Tiberio Ducibus in Catthos ac Cheruſcos profectus in eoſque primum erumpens confoditur, ut latius patet ex Taciti libris.

Alphenus porro à morte Waldani regni capeſsit habenas, vir eximia inter Batavos ſapientia clarus, morum ſeverus cenſor, legum ac iuſtitiæ egregius antiſtes. Qui cum hominem quendam genere præpotentem, ſed in divos divaſque dicaciorem velut nefarium neci adiudicaſſet, in Comitijs ac conſilij coetu à conſanguineis & neceſſarijs prædicti hominis iam potu incaleſcentibus ſtrictis pugionibus fœdè contrucidatur cum annos pauculos regnaſſet.

Illuſtriſſimo Alpheno nobiliſsimus ſurrogatur Minus cognomine Bellinus, annos ferme duos ante Chriſtum incarnatum, vir pulcherrimus ac decorus facie, bello exercitatus, quem Romani à formæ fœlicitate bellum denominabant, quod imitati Germani bellen dicebant. Vnde Sueto. in Caligula Bellinum creavit, manſitq; poſtea illud cognominis omnibus huius familiæ poſteris. Bellinus licet gentilis, virtutis tamen aſſertor cuſtoſque decoris perhibetur, Tiberio Cæſari ob id gratus acceptuſque. Cæterum Caligulæ impudentiſsimo Rem Romanam moderanti inuiſus hoſtis exſtitit, dum Claudius Imperator partim vi ac metu armorum, partim etiam libertatibus propoſitis in priſtinum locum regem gentemq; Batavicam reſtituiſſet. Bellino geminæ fuerunt uxores, quarum prior Kynnonem filium illi peperit; ex altera filium Brennonem extulit, inter Kanninefates ortum. At Kynno novercalibus petitus odijs domo ablegatur cum Minus regnaſſet annos plus minus quadraginta, nempe à quadrageſimo Auguſti anno aduſque alterum Caligulæ.

Kynno Bellinus (quem Suetoni. Cynno bellinum). dum iræ atque inimicitiæ inter Minum & Caligulam ardent, a pattre in regnum adſcitus, velut duos cum eo annos regnavit, deinde novercæ inſtinctu in Italiam comitantibus aliquot Batavis & Friſijs miſſus, Caianis Caligulæ rebellantibus laturus ſuppetias. Quem abſentem noverca

multorum criminum insimulans Brennonem suum filium regem creandum marito suadet. At nimis muliebribus dictis impense credulus reversum cum laude Kinnonem optimum filium Batavia expulit. Ille sic pulsus à patre cum prædicta manu ad Caligulam transgressus deditione receptus quasi universa etiam tradita Insula magnificas Romam literas misit.

Pulso iam Kynnone fratre defunctoque Mino patre, matris solertia Brenno regnum adipiscitur. Natus est inter Kanninefates vir procera statura, confidens animo ac stolida audacia (ut Taciti verbis utar) præditus; Germanis Neroni rebellantibus socia arma iunxit auxiliaque submisit: Iulium Paulum & Claudium Civilem ex sorore sibi nepotes, adversus Romanos misit, quorum illum Fonteius Capito obiecto rebellionis crimine interfecit, Civilem vero vinctum ad Neronem misit, qui tandem à Galba vinclis exemptus. Facta sunt hæc ultimo Neronis anno. Supererat & tertius Brennonis ex altera sorore Nepos Claudius Labeo qui omnes una cum Brennone avunculo suo regni administrationem habebant.

Iulius cognomento Paulus ab avunculo Brennone simul in regnum adscitus, ut supra memoratum est, duos quasi annos regnavit. Vniversa autem Germania à Nerone deficiente Iulius hic aliquot signorum dux adversus Romanos mittitur, quem Fonteius Capito rebellionis insimulatum interfecit, Civilemque fratrem captum ad Neronem misit.

Claudius Civilis Iulij frater sub mortem Brennonis avunculi sui à Sergio Galba vinculis exemptus in Bataviam redit: primum Galbæ mox Vitellj partes secutus Othonianos aliquoties fundit. Cæterum cum iussu Vitellij Batavorum delectus habentur, præfecti Cęsaris eos gravibus oneribus impositis vexabant ac multis affectos contumelijs (excellentiores Iuvenes suo more) ad stuprum rapiebant, quod cum liberæ genti indignum videretur, Civilem his de rebus certiorem reddunt. Qui statim in Bataviam properans convocatis omnibus Romanos levi opera pellendos persuadet. In cuius sententiam cum pedibus itum esset Civilemque Regem ac Ducem secuti Romanos Insulam incolentes partim cædunt: partim pellunt. Inde Frisios ac universam Germaniam in armorum societatem pellectos omnes facile provincias à Romanorum amicitia avertit: Classem viginti quatuor navium corruptis remigibus capit. Erat vir militari scientia clarus, in castris Romanis diu versatus & latinæ linguæ non ignarus: manu promptus, ingenio vafer ac solers, omnium denique horarum homo, qui omnium facile ante se regum virtutem longe antecellit, ut latius videre est apud Cornelium Tacitum. Regnavit Civilis summa laude & gloria solus septem velut annos Imperio eius adusque Moguntiacum & Morinos diffuso.

Cum iam invicta virtus omnium ora ac mentes in Civilem convertisset, ita ut illi uni & regnum & gentis arbitrium permitteretur, Claudius Labeo qui vivo Brennone avunculo semper nomen magnum decusque in Batavia gesserat, cernens cuncta ad nutum Civilis moderari, illius successibus plurimum invidebat; Ita ut indies quibus artibus ad se regnum traheret in omnes partes sollicitus esset; Criminando itaque Civilem eo tandem rem deduxit ut haud procul abesset quin eum occultis insidijs de medio sustulisset (nec enim ad apertam vim par erat) At Civilis cui Iamdudū Labeonis cōnatus perspecti & virtus formidolosa erat, Nec hominem nobilem ac præpotentem palam opprimere satis tutum arbitratus defectionis eum insimulatum in Frisiam captum amandavit. At Labeo corruptis custodibus elapsus ad Romanos defecit pollicitusque si præsidium daretur iturum in Batavos ac potiorem civitatis partem ad societatem Romanā retracturum. Igitur acceptā peditum equitumq; modica manu nihil apud Batavos ausus quosdam Nerviorum Bathesiorumque in arma traxit. Et furtim magis quam aperto bello Canninefates Marsacosque incursabat.

Post bellicosissimum Claudiū Civilem extinctum fugatumq; Labeonem communib⁹ populi suffragijs Claudius cognomento victor principis vices ob fortitudinis spem quā de eo omnes cōceperant gerebat; bellum, Domitiano Imperatori, suffragāte ad hoc universa Germania armis restitit. Et circa Mosam Romanā Legionē fudit oppresitq;.

Iulius deinde Agrippa Claudij Civilis filius iam maturus Imperio meraq; arma crepās regno inauthoratur, Coloniæ Agrippinę in infantia enutritus, quare etiam Agrippa cognominatus apparet, cui pater Civilis captos in bello Romanos Iaculis transfigendos obiecit, ut alibi commemorat Tacitus.

ANIMADVER-

ANIMADVERSIONES AD BATAVIAM CORNELII HAEMRODII.



PER *quem sex olim, nunc tribus tantum ostijs in Oceanum prolabitur*] Horum non tria, sed duo tantum Haemrodius enumerat, PAG. IX. 17 vers. Drusiani nimirum, seu fossilis Rheni per Isalam atque inde Flevum, à parte Septentrionis; itemque Vahalis, ex Rheno eodem progredientis per Mosam, à parte Occidua, in Oceanum exitum. Nisi verba quæ sequuntur, *Durant etiamnum veteris alvei nomina & monimenta*, de tertio ostio, Leidam permeante, capiendum velit. Sed cum ille alveus obstructus jam olim atque obturatus hodieque maneat prope colles arenarios, tum & de exitu eius cum adhuc variè disputari posit, ostij nunc nomine (de præsenti enim loquitur Haemrodius) venire vix potest. Porro sex illa olim, quæ fuisse existimat ostia mox enarrat.

Nec in tantam olim angustiam contractam fuisse insulam.] Hoc fortaſsis aspectu dixerit Ibidem etiam Zozimus, Bataviam fluvialium insularum omnium maximam : eamque à Rheno vers. 41. bifariam diviso constitutam. Ait enim; τῃ βαταβίᾳ προσχόντες, ἣν διαχιζόμενος ὁ Ρῆνος νῆσον Lib. 3. ποιεῖ; πάσης ποταμίας μείσονα νῆσȣ : id est; *ad Bataviam appulsi, quam bipartitus Rhenus insulam facit, quavis fluviali insula grandiorem.* Quod Haemrodius, idem quoq; videtur voluisse iam ante Anonymus, cum inquit : *Sciendum quod in hac insula continetur non solum Hollandia, sed & Batavia & Velavia, quæ sunt pars Ducatus Gelriæ haud parva &c.* Et post omnes Hadrianus similiter Iunius, quamvis non ignoravit veram Batavorum insulam Vahali & medio inter Helium & Flevum ore finiendam, latius nihilominus eorum pomeria ad Flevum scilicet usque extendit, Plinianam eam Bataviam appellans. Quod, uti ab eo impenso in Patriam celebrandam studio factum, ita candide interpretari si velimus, quid aliud voluisse dicemus, quam claros illos intra extima utraque, Helium & Flevum, Rheni ostia, populos ob nobilisſimam præ ceteris Batavorum insulam ac Ripæ continentis Romanę proximam uno sæpenumero Batavorum nomine, κατ' ἐξοχὴν, censos universos fuisse ? Quomodo hodieque Hollandia fere, id totum regnis ac regionibus vicinis nominatur : Et quod amplius est non ipsi modò Hollandi, sed omnes Belgij, diversæ licet, nationes, uno utpote celebratisſimo Flandrorum nomine Gallis & Italis præsertim cõmuniter hodieque ac vulgo veniunt. De Zosimi vero citato loco scorsum quid sentiamus alibi dicetur.

Hodie fortaſsis pagus Helingia.] Helij à Plinio nominati plurima supersunt eo in tractu vocabula, quæ vestigium aliquod, aut monimentum saltem veritatis in re hodie obscurisſima adferant. PAG. X. vers. 15. Nam & *Hille* & *Megers-Hille* & *Hillevoet* in insulis Mosæ juxta mare sunt: itemque *t'huys te Heele* ad Mosam quoque sed introrsum magis. Iunius non abludere à Plinij Helio *Brielam* existimat, ut fortaſsis ob ostij latitudinem *Brehiela*, tanquam

latus Helius vulgari voce corrupta, appellatum fuerit. Nobilissimus tamen Dousa, Nordvici olim Dominus abit ab hac Iuniana sententia, vel ideo, quod plurimum ità dimensioni Plinianæ desit, qui C. M. pass. longitudinis intercapedinem constituit. Quapropter ad canalem illum vorticosum Valachriæ, cui ex re vocabulū inditum *Vielingen*, Mosæ cursum extendit. Mihi opiniones tantorum virorum convellere hoc loco animus non est, tantum de insulis illis Zelandicis *Hille & Hille voets Sluys*, quę nominis *Helij* vestigium incorruptissimè servare videntur amplius cogitandum quærendumque censeo. Nam alias quod annotat Haemrodius duo & viginti hodie Germanica miliaria à Lobeco, ubi primum dividitur Rhenus, adusque mare seu Brielam intercedere, eaque respondere C M. passibus Plinianis, sciendum eo loci dissentire eum à cognomine sibi ac populari Cornelio Goudano, Aurelio alias dicto, qui aliam faciebat Bataviam à Betua, quæ hodieque superior appellatur, *d'over Betou* : Ita ut vocem Bataviam, quatenus Hollandiæ comitatus ea parte inferiori intelligitur, à Voricomio præsertim auspicari ille ac finire præter veterem omnium mentem voluerit. Idque quamtumvis exagitari ac reprehendi iure poterat, Haemrodius nihilominus rem dixisse, & abstinuisse convitijs satius habuit.

Ibidem vers. 25. *Hæc est insula ad Oceanum sita.*] Putat insulam, quæ hodieque *Flevo* sive *t'Flie* nominatur Oceano ipsi obiecta, eam esse, quam hic Mela describit : Cum Mela, ut meus est captus, hoc velit, Primò Rhenum, qui circa Lobecum, ad dextrum, per fossam Drusianam in Isalam & lacus deflectit, angustum quidem initio & intra alveos, constitisse; postea ubi campos agrosque implevit, Flevum appellatum insulamque eiusdem Flevi nomine amplexum. Quæ sanè insula aquis nunc obruta vadum habet, quod veteris nominis memoriam tantummodo retinet: Hodieque enim *t'oudt Vlie* pinacibus præsertim hydrographicis eo loco nominatur. Exinde autem idem Flevus fluvius, constituta in hunc modum nominis sui insula, Boream versus progrediendo, ad latus hodiernæ ac superstitis insulæ Flevi in oceanum se mare demittit, arctato inter *Scellingiam & Flevum*, quomodo & hodie fit, ostio. Idque liquidius intelligeretur modo integra adscribantur Melæ verba, quæ ita habent : *Rhenus ad dextrum primo angustus & sui similis, post ripis longè lateque recedentibus, iam non amnis, sed ingens lacus apparet, ubi campos implevit Flevo dicitur, eiusdemque nominis insulam complexus, fit iterum arctior, iterumque fluvius emittitur.* Vbi præterquam quod Isalam, quam dicimus manifesto Rhenum nominat, hoc insuper ait, Flevum postquam insulam sibi cognominem (*t'oudt vlie* nimirum) constituisset, non in Oceanum statim egressum; sed arctiorem post factum, Fluvijque in modum in Oceanum tum demum emissum compresso scilicet, intra Scellingam, ut dixi, & Flevum hodieque superstitem, alveo. In priori seu veteri illo Flevo stetisse præcipue Castellum arbitror, cuius etiam Tacitus sub Flevi nomine quarto Annalium his verbis meminit : *Olennius infensos Frisios fuga prævenit, receptus castello cui nomen Flevum : & haud spernenda illic civium sociorumque manus litora Oceani præsidebat.* Eoque loci fuisse id castellum multo, ad compescendos, qui in continenti erant Transrhenanos Frisios oportunius propinquiusque videatur quam in Flevo extimo utpote medio propemodum, inter utrosque populos, transrhenanos nimirum & ceteros in insulis Rheni Frisios, loco positum; ut omittam in ipso vasti Oceani littore collocatum semotumq; minori usui esse potuisse. Qui tamē diversum ab hac opinione sentire malunt, illis libenter suum relinquo. Cōtendere enim ac digladiari de eiusmodi, quæ expressis autorum verbis haud liquent animus nunquā fuit aut erit. Hoc saltem hic ratum esto exstitisse tunc Flevos duos, interiorem nimirum istum, insulam Melæ dictam; nunc, ut innui, vadum tantum & æstuarium : & illum exteriorem Oceano obiecto qui superstes hodieq; perdurat. Suavis denique in eo Haemrodius quod *campos* in verbis Melæ ipsum Camporum oppidum interpretari videatur, cum campos intelligat Mela soli & pratorum planitiem : quam antea ripas longe lateque recedentes dixerat.

Ibidem vers. 29. *Quin & diruit molem à Druso Germanico factam.*] Hæc Tacitus libro quinto historiarum sub finem. Quæ conferenda cum Iunij Bataviæ capite octavo; & Taciti eiusdem verbis libro Annalium decimo tertio. Vbi molem eandem aggerem nominat & finem, in quem potissimum à Druso tum excitatus fuerit, his verbis breviter commemorat : *Ne tamen segnem militem attineret, Paulinus Pompeius inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem coercendo Rheno absolvit* : Coercendo nimirum Rheno, ne in Gallias pronus & uno impetu per Vahalim prolaberetur. At diruto postmodum (quomodo in quinto illo historiarum libro dein refertur) per Claudium Civilem hoc inpedimento

adeo tenuis(ut eiusdem Taciti eo loci verba habent)alveus inter Germanos & Batavos fuit,ut continentium terrarum speciem exhiberet. Is tenuis in verbis Taciti alveus non de novo solum modo Isala,quod facit hoc loco Haemrodius,sed de Rheno in univetsum capiendus,qui infra Vahalim dextrorsum & Isalam atq; Arenacum versus fluebat. Vnde & hoc colligendum molem istam nequaquam constitutam circa fossam Drusi, seu, ut nunc appellamus,novum Isalam (quomodo tamen accipi plerisque & Iunio quoque video)sed paululum supra principium agri Batavici,ubi in duos scilicet amnes Rhenus dividitur. Nunc Schenckianum propugnaculum adversus Hispanorum eo loci, à Schenckio quondam fortissimo duce positum, conspici omnibus constat. Notandumque eiusmodi obliquos obijces seu,ut Tacitus appellat,aggeres ac moles ad Rheni excursum,vel coercendum vel aliò divertendum exstruendi morem non hodie tantum, sed olim quoque magno fuisse usui,veterumque præsertim Batavorum artem exstitisse: Quod & Tacitus jam olim animadvertit,qui de Civili libro histor. quinto iterum loquens ita ait: *addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem,cuius obiectu revolutus amnis adiacentibus superfunderetur*. Cur autem Drusus & inde Paulinus Pompeius hâc Rheno coercendo molem tanto cum studio perfecerint, causa fuisse videtur ut miles Romanus, qui assidue per Batavorum insulam ad gentes ulterio res pergebat, faciliori ac tenuiori ad transmittendum hoc pacto Vahalis alveo uteretur: Et fossilis econtra Drusi Rhenus aquis tumentior redditus Germanos latiori à Romanis ac tutiori spatio dispesceret. At postmodum Civilis,cum jam seriò adversus Romanos arma sumsisset, animadvertens id incommodi, disiectis, quæ morabantur, prono in Gallias alveo per Vahalim, ut & antea fluere consueverat, ruentem, Rhenum effudit,Vahalisque flumen,continentem inter & insulam Batavorum, undantius reddidit. Vt simul hinc pateat, hac etiam parte halucinari eos,qui jam nuper de Rheni ostijs argumentum tractarunt, & prope Batavodurum, *Vyck te duerstede* vulgo dictum,in Rheni leva, hanc à Druso molem fuisse excitatam; dirutamque exinde à Civili Leccam effecisse serio magnoque conatu nituntur ostendere. Tacitumque interpretantur quasi in mediam insulam Batavorum novo alveo Rhenum Civilis effudisset; cum disertè, ut posuimus, Tacitus non novo, sed prono, inque Galliam,non Bataviam, alveo effusum à Civili Rhenum memoret. Acriterque hinc ijdem in Iunium,quem ad IsalamDrusi eam molem perperam retulisse iam memini,aliaque ob phalmata invehēdi occasionem sumunt,eum seriò nunquā aut diligenter legisse Tacitum aliaq; similia effutientes. Verū si corā adesset Iunius,nonne merito hos homines conveniret, inque eos summo iure quod in eum tam confidenter atque immerenter sæpenumero audent conijcere possit? Nam sanè Taciti verba si serio ac sine bile hoc loco cōsiderassent isti, animadvertissent haud dubio *Gallicam Ripam & Rhenum in Galliam ruentem* de Vahale ei intelligi; nec posse ullo pacto de altero Rheni divertigio, qua Germaniam prævehi loquitur,multoque minus de medio circa Batavodurum alveo accipi, cum ille hinc Batavos,illinc Marsatios ceterosque illos Plinij populos interluat. Et ad Iunium nostrum ut redeam,sanè ob alia maximaque illius in literas merita æquioribus cum eo animis agendum foret,nec ita passim(quomodo & Pontificius ille Heuterus,odio fortasse gentis & religionis, & nunc isti nescio quo animo faciunt) in virum doctissimum, & alterum post Erasmum Bataviæ decus, invehendum fuisset, quasi id unum studio habuissent,ut huius Pegasi & in aere volantis aquilæ Zoili, & uno verbo, Iunio mastiges audirent: Non hæc dico quasi halucinatum pluries aut impegisse in hoc argumento Iunium ignoremus,sed quod ingenuarum esse mentium existimemus candide agnoscere & in benigniorem partem errata ac halucinationes eorum interpretari,per quos profecimus. Sed nos Licini non sumus.

Medio inter hac ore] Quamvis frivolum sit,quod medium hoc ostium mediocre atque inde *Engmondam* ab oris angustia,appellatum hariolētur;verum interea est,illa circiter, ut plurimum,loca appulisse Normannicas classes; quod sine portu aut ostio fieri quomodo potuit? ut tale quid extitisse eo tractu verisimile habeam. Nec temerarium etiam est,quod hodieque Rhinolandia districtus is totus appelletur qui à Rhinoburgensi prope Leydam agro Haerlemum atque inde Egmondam ducit;ubi & solum limosum, cuiusmodi esse Rheni solet, passim adhuc deprehenditur. Accedunt & testimonij vice Rheni iuxta Egmondam alvei quædam vestigia: Bergen præsertim eo loci villa; quæ hodieque nomen retinet, & olim ab occidente Rheni posita in literis donationum Arnulphi,Theodorici filij tertij Comitis Hollandiæ, qui obijt anno DCCCC LXXXVIII. Item ibi Legitur; *In villa Bergam ob occidente Rheni posita, quatuor mansus*. Quæ sane eiusmodi *Ibid. vers. penult.*

modi

latus Helius vulgari voce corrupta, appellatum fuerit. Nobilissimus tamen Dousa, Nordvici olim Dominus abit ab hac Iuniana sententia, vel ideo, quod plurimum ità dimensioni Plinianæ desit, qui C. M. pass. longitudinis intercapedinem constituit. Quapropter ad canalem illum vorticosum Valachriæ, cui ex re vocabulū inditum *Vielingen*, Mosæ cursum extendit. Mihi opiniones tantorum virorum convellere hoc loco animus non est, tantum de insulis illis Zelandicis *Hille & Hille voets Sluys*, quę nominis *Helij* vestigium incorruptissimè servare videntur amplius cogitandum quærendumque censeo. Nam alias quod annotat Haemrodius duo & viginti hodie Germanica miliaria à Lobeco, ubi primum dividitur Rhenus, adusque mare seu Brielam intercedere, eaque respondere C M. passibus Plinianis, sciendum eo loci dissentire eum à cognomine sibi ac populari Cornelio Goudano, Aurelio alias dicto, qui aliam faciebat Bataviam à Betua, quæ hodieque superior appellatur, *d'over Betou* : Ita ut vocem Bataviam, quatenus Hollandiæ comitatus ea parte inferiori intelligitur, à Voricomio præsertim auspicari ille ac finire præter veterem omnium mentem voluerit. Idque quamtumvis exagitari ac reprehendi iure poterat, Haemrodius nihilominus rem dixisse, & abstinuisse convitijs satius habuit.

Ibidem vers. 25. *Hæc est insula ad Oceanum sita.*] Putat insulam, quæ hodieque *Flevo* sive *t'Flie* nominatur Oceano ipsi obiecta, eam esse, quam hic Mela describit : Cum Mela, ut meus est captus, hoc velit, Primò Rhenum, qui circa Lobecum, ad dextrum, per fossam Drusianam in Isalam & lacus deflectit, angustum quidem initio & intra alveos, constitisse; postea ubi campos agrosque implevit, Flevum appellatum insulamque eiusdem Flevi nomine amplexum. Quæ sanè insula aquis nunc obruta vadum habet, quod veteris nominis memoriam tantummodo retinet: Hodieque enim *t'oudt Vlie* pinacibus præsertim hydrographicis eo loco nominatur. Exinde autem idem Flevus fluvius, constituta in hunc modum nominis sui insula, Boream versus progrediendo, ad latus hodiernæ ac superstitis insulæ Flevi in oceanum se mare demittit, arctato inter *Scellingiam & Flevum*, quomodo & hodie fit, ostio. Idque liquidius intelligeretur modo integra adscribantur Melæ verba, quæ ita habent : *Rhenus ad dextrum primo angustus & sui similis, post ripis longè lateque recedentibus, iam non amnis, sed ingens lacus apparet, ubi campos implevit Flevo dicitur, eiusdemque nominis insulam complexus, fit iterum arctior, iterumque fluvius emittitur.* Vbi præterquam quod Isalam, quam dicimus manifesto Rhenum nominat, hoc insuper ait, Flevum postquam insulam sibi cognominem (*t'oudt vlie* nimirum) constituisset, non in Oceanum statim egressum; sed arctiorem post factum, Fluvijque in modum in Oceanum tum demum emissum compresso scilicet, intra Scellingam, ut dixi, & Flevum hodieque superstitem, alveo. In priori seu veteri illo Flevo stetisse præcipue Castellum arbitror, cuius etiam Tacitus sub Flevi nomine quarto Annalium his verbis meminit : *Olennius infensos Frisios fuga prævenit, receptus castello cui nomen Flevum : & haud spernenda illic civium sociorumque manus litora Oceani præsidebat.* Eoque loci fuisse id castellum multo, ad compescendos, qui in continenti erant Transrhenanos Frisios oportunius propinquiusque videatur quam in Flevo extimo utpote medio propemodum, inter utrosque populos, transrhenanos nimirum & ceteros in insulis Rheni Frisios, loco positum; ut omittam in ipso vasti Oceani littore collocatum semotumq; minori usui esse potuisse. Qui tamē diversum ab hac opinione sentire malunt, illis libenter suum relinquo. Cōtendere enim ac digladiari de eiusmodi, quæ expressis autorum verbis haud liquent animus nunquā fuit aut erit. Hoc saltem hîc ratum esto exstitisse tunc Flevos duos, interiorem nimirum istum, insulam Melæ dictam; nunc, ut innui, vadum tantum & æstuarium : & illum exteriorem Oceano obiecto qui superstes hodieq; perdurat. Suavis denique in eo Haemrodius quod *campos* in verbis Melæ ipsum Camporum oppidum interpretari videatur, cum campos intelligat Mela soli & pratorum planitiem : quam antea ripas longe lateque recedentes dixerat.

Ibidem vers. 29. *Quin & diruit molem à Druso Germanico factam.*] Hæc Tacitus libro quinto historiarum sub finem. Quæ conferenda cum Iunij Bataviæ capite octavo; & Taciti eiusdem verbis libro Annalium decimo tertio. Vbi molem eandem aggerem nominat & finem, in quem potissimum à Druso tum excitatus fuerit, his verbis breviter commemorat : *Ne tamen segnem militem attineret, Paulinus Pompeius inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem coercendo Rheno absolvit* : Coercendo nimirum Rheno, ne in Gallias pronus & uno impetu per Vahalim prolaberetur. At diruto postmodum (quomodo in quinto illo historiarum libro dein refertur) per Claudium Civilem hoc inpedimento adeo

adeo tenuis(ut eiusdem Taciti eo loci verba habent)alveus inter Germanos & Batavos fuit,ut continentium terrarum speciem exhiberet. Is tenuis in verbis Taciti alveus non de novo solum modo Isala,quod facit hoc loco Haemrodius,sed de Rheno in univerſum capiendus,qui infra Vahalim dextrorſum & Iſalam atq; Arenacum verſus fluebat. Vnde & hoc colligendum molem iſtam nequaquam conſtitutam circa foſſam Druſi, ſeu, ut nunc appellamus,novum Iſalam (quomodo tamen accipi pleriſque & Iunio quoque video)ſed paululum ſupra principium agri Batavici,ubi in duos ſcilicet amnes Rhenus dividitur. Nunc Schenckianum propugnaculum adverſus Hiſpanorum eo loci, à Schenckio quondam fortiſsimo duce poſitum, conſpici omnibus conſtat. Notandumque eiuſmodi obliquos obijces ſeu,ut Tacitus appellat,aggeres ac moles ad Rheni excurſum,vel coercendum vel aliò divertendum exſtruendi morem non hodie tantum, ſed olim quoque magno fuiſſe uſui,veterumque præſertim Batavorum artem exſtitiſſe: Quod & Tacitus jam olim animadvertit,qui de Civili libro hiſtor. quinto iterum loquens ita ait: *addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem,cuius obiectu revolutus amnis adiacentibus ſuperfunderetur*. Cur autem Druſus & inde Paulinus Pompeius hâc Rheno coercendo molem tanto cum ſtudio perfecerint, cauſa fuiſſe videtur ut miles Romanus, qui aſsidue per Batavorum inſulam ad gentes ulteriores pergebat, faciliori ac tenuiori ad tranſmittendum hoc pacto Vahalis alveo uteretur: Et foſsilis econtra Druſi Rhenus aquis tumentior redditus Germanos latiori à Romanis ac tutiori ſpatio diſpeſceret. At poſtmodum Civilis,cum jam ſeriò adverſus Romanos arma ſumſiſſet, animadvertens id incommodi, diſiectis, quæ morabantur, prono in Gallias alveo per Vahalim, ut & antea fluere conſueverat, ruentem Rhenum effudit,Vahaliſque flumen,continentem inter & inſulam Batavorum, undantius reddidit. Vt ſimul hinc pateat, hac etiam parte halucinari eos,qui jam nuper de Rheni oſtijs argumentum tractarunt, & prope Batavodurum, *Vyck te duerſtede* vulgo dictum,in Rheni leva, hanc à Druſo molem fuiſſe excitatam; dirutamque exinde à Civili Leccam effeciſſe ſerio magnoque conatu nituntur oſtendere. Tacitumque interpretantur quaſi in mediam inſulam Batavorum novo alveo Rhenum Civilis effudiſſet; cum diſertè, ut poſuimus, Tacitus non novo, ſed prono, inque Galliam,non Bataviam, alveo effuſum à Civili Rhenum memoret. Acriterque hinc ijdem in Iunium,quem ad IſalamDruſi eam molem perperam retuliſſe iam memini,aliaque ob phalmata invehẽdi occaſionem ſumunt,eum ſeriò nunquã aut diligenter legiſſe Tacitum aliaq; ſimilia effutientes. Verũ ſi corã adeſſet Iunius,nonne merito hos homines conveniret; inque eos ſummo iure quod in eum tam confidenter atque immerenter ſæpenumero audent conijcere poſsit? Nam ſanè Taciti verba ſi ſerio ac ſine bile hoc loco cõſideraſſent iſti, animadvertiſſent haud dubio *Gallicam Ripam & Rhenum in Galliam ruentem* de Vahale ei intelligi; nec poſſe ullo pacto de altero Rheni divertigio, qua Germaniam prævehi loquitur,multoque minus de medio circa Batavodurum alveo accipi, cum ille hinc Batavos,illinc Marſatios ceteroſque illos Plinij populos interluat. Et ad Iunium noſtrum ut redeam,ſanè ob alia maximaque illius in literas merita ęquioribus cum eo animis agendum foret,nec ita paſsim(quomodo & Pontificius ille Heuterus,odio fortaſſe gentis & religionis, & nunc iſti neſcio quo animo faciunt) in virum doctiſsimum, & alterum poſt Eraſmum Bataviæ decus, invehendum fuiſſet, quaſi id unum ſtudio habuiſſent,ut huius Pegaſi & in aere volantis aquilæ Zoili, & uno verbo, Iunio maſtiges audirent: Non hæc dico quaſi halucinatum pluries aut impegiſſe in hoc argumento Iunium ignoremus,ſed quod ingenuarum eſſe mentium exiſtimemus candide agnoſcere & in benigniorem partem errata ac halucinationes eorum interpretari,per quos profecimus. Sed nos Licini non ſumus.

Medio inter hæc ore] Quamvis frivolum ſit,quod medium hoc oſtium mediocre atque inde *Egmondam* ab oris anguſtia,appellatum hariolẽtur;verum interea eſt,illa circiter, ut plurimum,loca appuliſſe Normannicas claſſes; quod ſine portu aut oſtio fieri quomodo potuit?ut tale quid exſtitiſſe eo tractu veriſimile habeam. Nec temerarium etiam eſt,quod hodieque Rhinolandia diſtrictus is totus appelletur qui à Rhinoburgenſi prope Leydam agro Haerlemum atque inde Egmondam ducit;ubi & ſolum limoſum, cuiuſmodi eſſe Rheni ſolet, paſsim adhuc deprehenditur. Accedunt & teſtimonij vice Rheni iuxta Egmondam alvei quædam veſtigia: Bergen præſertim eo loci villa; quæ hodieque nomen retinet, & olim ab occidente Rheni poſita in literis donationum Arnulphi,Theodorici filij tertij Comitis Hollandiæ, qui obijt anno DCCCCLXXXVIII. Item ibi Legitur; *In villa Bergam ob occidente Rheni poſita, quatuor manſus*. Quæ ſane eiuſmodi *Ibid. verſ. penult.*

modi sunt, quæ Rheno medio, quem fere omnes iuxta Cattvicum & arcem Brittenburgicam defluxisse in mare volunt, status controversiam movere posѕint; præsertim si adijcias, Plinijque verba urgeas, quæ medio inter Helium & Fleuvum ore hunc modicum alveum describunt. Convenientius enim id Egmondę, quam Catvico, si medietatem hanc exacte rimari libeat, tribui debere, quicunque rem & chorographiam illius littoris diligentius inspiciat haud invitus concedat.

PAG. XI. vers. 22. *Nunc ad Caninefates decurrat oratio*] In Caninefatum definienda sede haud levis est difficultas; Quia Tacitus partem eis insulæ Batavorum; Plinius suam seorsum videtur tribuere, cum inquit: *In Rheno ipso nobilissima Batavorum insula & Caninefatum & aliæ Frisiorum* &c. Quamvis alij, ut concilient cum Tacito Plinium, ea verba *Batavorum insula & Caninefatum*, unam & iunctam insulam interpretantur. Quod si concedatur, videndum iam quænam eis loca assignent. Faciunt autem id in hunc modum: Nam cum ijdem medium Rheni alveum (ut & omnes fere) circa arcem Brittenburgicam statuant, eam Rheni ripam Caninefatibus tribuunt, quæ à Batavoduro Lugdunum usque porrigitur, & introrsus quoque hodierna oppida Goudam, Voordam Veteraquinum, Monsfortium, Isselsteynium, Traiectum, Vianam & Culenburgum ijsdem adscribunt. I V *Hist.* Verum id quomodo admitti posѕit, cum hoc pacto agri Batavici pręcipua propemodum portio & robur, quod ad Rheni medium alveum, & portuum interiorum ac trajectionum oportunitatem, Batavis eripiatur? Et neget Tacitus, qui partem quidem insulæ Caninefatibus concedit, sed numero, id est viribus & potentia à Batavis superari addit? Deinde & mari, quo Batavi ambiebantur, proximos videtur facere, cum eos classem Britannicam, quæ legioni Romanorum quartæ auxilio adversus Civilem venerat, aggressos dicat, maiorumque navium partem & depressisse & cepisse; & denique cum in societatem à Civili vocarentur MISSOS qui consilia sociarent: quod vocabuli & moram & spatium aliquod indicare videatur cum esset in Batavia interiori Civilis; Vnde haud opus eiusmodi misѕione fuisset, si illis locis id est in ipso quodammodo insulæ gremio sedes habuissent. Nobis ergo verior & firmior habetur opinio existimantium Caninefates ijs sedibus locatos, quas hodieque adhuc proxime ad Caninefatum appellationem accedentes Kennemarij tenent. Et maxime id Taciti sententiæ respondebit modo medius Rheni alveus (cuius rei argumento haud vana jam modò adduximus) eodem Kinnemariorum districtu circa Egmondam se in mare exonerarit. Et quis alias iure neget certiora hæc esse, vestigia & gentium quas nominarunt veteres, ex hodiernis & superstite earundem nomenclatura repetenda, cum adhuc Batavorum (ne longius eamus) in voce *Betou*: Frisiorum & Frisiabonum in Vestfrisij: (nam ceteras fere Plinio nominatus sinus & Mare austrinum abolevit) nominis reliquiæ hæreant? An autem exactè, cis eum medium alveum, partem tantum insulæ, vel etiam ex ripa ulteriori aliquid Caninefates coluerint, quod videtur velle Haemrodius, qui ad Marsatios & Amstelandios extendit, dicere non habeo. Quamvis Tacitus ipsos etiam insulanos Batavos non insulam tantum, sed ex ripa quoque quę Mosevalia hodie, aliquid tenuisse dicat: ut, de Caninefatibus si quis simile dixerit, absoni nihil dicturum magnopere videam. Accedit porro nostræ sententię, quod Anonymus, quem supra dedimus, annorum centum vetustatem præferens, vix aliud iam olim senserit, ubi inquit: *Partem insulæ Batavorum Caninefates etiam tenebant, nunc forte dicti Kenemarij pars Hollandiæ*. Et præter hæc accedit etiam illud, quod veterum Hollandorum & Comitum acta, præcipuum robur & præsidium in hac Kennhemariorum gente collocasse interiores Hollandos memorent, ut meritò etiam Tacitus Caninefates suos virtute pares Batavis celebrarit. Ceterum in libris manuscriptis quod reperisse se ait Haemrodius, *Kennefers* & Kennevers, ut plurimũ, exaratum, convenit cum Danorum Cimbrorumque idiomate, qui hodieque Zelandos & Hollandos suos *Zelansvars* & Hallandsvars populariter cognominant, ut constet facilem & obvium Romanis à *Kennefars* in *Caninefates* deflexum fuisse. Hæc in re à memoria nostra remotisѕima, & autorum quoque monumentis involuta & dubia, nullo impetu aut affectu, sed iudicio, ut nobis videmur, veluti symbolum, quoddam ad uberiorem rei disquisitionem in medium conferimus cessuri libenter, si qui meliora attulerint.

PAG. XI vers. 55. *Adusque ferme Marsatiorum sedem.*] Si qui Caninefatum, uti probabili ratione jam ante indicatum, non partem tantum insulæ Batavorum, sed ultra etiam terrarum aliquid possederint, sane id Frisiabonibus ac Frisijs minoribus, qui Vestfrisij hodie, quam proximè conterminum fuisse, quomodo hodieque ipsi Kinnemarij, consentaneum rationi existimem. Nisi tamen Marsatios per sinum Austrinum versus yam introrsus circumlatos

circumlatos dicamus: cum præsertim bonam eos istius finus portionem, cum nondū in eiusmodi mare excrevisset, habitasse antiquitus Haemrodius censeat. Antiquissimo verò seculo, præsertim si chorographię Strabonianæ, ut supra iniecimus locus detur, partem aliquā Menapiorū transrhenensium, quos & Cæsar nominavit, huc propemodum usque pertinuisse in Amstelodamensibus indicasse memini. Cæsar enim ad utramque Rheni ripam non ædificia tantum & vicos sed agros etiam habuisse Menapios refert. Eumque mox secutus Strabo, qui aliquot post Cæsarem annis geographicos commentarios edidit, aut explicasse hoc loco Cæsarem voluisse videtur, aut quæ postmodum compertiora didicerat, tradidisse, cum ad ostium utrumque Rheni eos collocet. Quamvis de priori, id est, occiduo Rheni sive Mosæ ostio neminem futurum existimo, quin Cæsarem intelligendum concedat, Menapios scilicet non ex ea solum Rheni ripa ubi divergium fluminis incipit, sed etiam ipsum iuxta oceanum, ubi flumen propemodum elabitur, collocatos tum fuisse: Cum diserte T. Labienum tribus cum legionibus ad oceanum versis, eas in partes quæ Menapios attingunt, proficisci Cæsar iusserit. Quid enim eo ex loco & verbis manifestius, quam alterum Rheni ostium, occiduum videlicet ubi Brabantiæ hodie ac Selendię confinia, eos accoluisse? & ad ripam nihilominus utramque & pręsertim transrhenam ædificia & vicos & in proximo agros habuisse, ut antea relatum ex Cæsare fuerat? ijque agri, quid mirum aut novum si versus medij Rheni ostium (quod tunc adhuc extimum solum ac Boreale habebatur) producti extensique fuerint? Sane Strabo, quem diximus, diserte post Cæsarem, & pleno ore paulo nimirum longius eorum sedes ad ostij inferiora deducens testatur, cum inquit, uti & supra posuimus; verbis, quæ Velaviæ ac Goilandię ericeta proximasque paludes ad vivum quodammodo nobis depingant, eiusmodi nimirum; *Menapij ex utroque ostiorum latere paludes incolunt & silvas humilis densæque materia ac spinosæ*. Nec diffiteri hæc posunt illi ipsi, qui acriter tamen ac severe hîc se opponunt & adversarios faciunt: Quid igitur adferunt aut volunt? Inepte imperiteque (ita enim urbane eorum est mos loqui) eos aiunt geographos facere, qui una Strabonis Græci hominis autoritate probata Cæsari Plinio, & Tacito præsertim Romano homini & Galliæ Belgicæ procuratori cōtraria adferant; qui utrasque Frisiorum nationes, maiorum minorumque ad oceanum Rheno medio prætextas fuisse ambisseque immensos lacus tradat: Quorum maximus Zuderze nunc appellatur.

At ego libenter hic didicerim, quinā illi geographi sint, nec puto quemquam, qui nomē hoc possidet, tam inconditē res istas tractare, ut ævum inter Strabonis & Taciti discrimen nullum ponat, omniaq;, ut ille inquit linea cōsignet alba. Aut certe illi ipsi qui hæc adferunt hoc nomine insimulādi, & imperitię atq; ineptiarū rei agendi, qui hęc tam incondita in medium proferunt. Nos sane ubi in Amstelodamensib⁹ Strabonis hunc locum excussimus, demōstravim⁹ simul, mutato ævo & gentium sedib⁹, quinā populi post Cæsari & Straboni nominatos trāsrhenenses Menapios, ea circiter loca, ubi nunc Goiolandia & Amstelandia sunt, Romanis postmodum innotuerint nominatiq; aliquot, qui Tacito & Plinio pręsertim in insulis Rheni collocātur, & inter ceteros Marsatij pręcipue. Nā de Frisijs maiorib⁹ minoribusq;, quā eos recte ad medium Rheni alveum isti cōijciant, post videbimus. Adeò ut in nos, nisi per calumniam, hæc nota non competat. Et ponamus omissum à quoquam quid Plinius & Tacitus tradiderint, ergone contraria ijs attulisse dicendus, qui quod ante eos suò ævo Cæsar & Strabo compertum habuerint, simpliciter referat? Aut erroris insumulandus is erit qui Cæsarem Sicambros transrhenanos facere dixerit, cum Cisrhenanos eos postea faciat Suetonius? Neminem tam vappam fore existimem, qui affirmarit. Nisi probatum simul foret alterum ab eodem vel negari, aut ignorari. Ingenui idcirco atque animi humani fuisset eos eloqui, qui diversum sentirent nullumque hic discrimen inter ætates gentiumque migrationes agnoscerent: Aut si nulli sunt nisi ipsi qui hæc produnt, vani videatur & animi cōtentiosi cum umbra gladiari & adversarium sibi fingere. Post etiam ipse vapulat Strabo, & eum regionum harum & sedium Menapicarum ignarum fuisse hisce argumentis convincere student: Quod neque de Batavorum insula neque de reliquo eorundem agro, neque de nomine quidquam referat: & deniq; quod in Lippiæ amnis decursu, itemque sede Boiorum constituenda lapsus sit. At responderi pro Strabone potest, eum cum ostium Rheni utrumque posuerit, ipsam etiam Batavorum insulam, Cæsari paulo ante cognitam, hoc ipso, intento quasi digito, satis indicasse, etiamsi nomine non signaverit, ad alia videlicet & maiora tum properans. Luppiam verò quod in Oceanum cum Amasi decurrere

Lib. 1. cap. 2. Rer. Ams.

Lib. 4. Bel. Gall.

Lib. 6 belli Galli.

rere tradat, nos etiam alibi notavimus & excidisse hoc illi facile potuit in tenui fluviolo; sicuti & illud de Boijs in veteri ac remotiori Germania sitis; Quod de gente Menapiorum apud Romanos tum clara minus videatur verisimile, accedente præsertim ipsius Cęsaris testimonio, a quo, ut explicabim⁹ parū abeunt quę à Strabone relata sunt, ut nō nisi per malitiā dicatur, ea quę superius de Menapijs, vel à nobis allata sunt, vel à Strabone memorata Cæsaris verbis cōtraria aut adversa esse. Nam & Cæsar transrhenanos Menapios cōfessus est; Et Strabo exinde sedes eorum quousq; extenderentur prout acceperat accuratius adiecit. Nā quod obijcitur ex Cæsare transrhenanos Menapios per insidias cęsos à Tenchteris, eos assumtis eorum navibus ad Menapios cisrhenanos transijsse atq; omnibus ædificijs eorum occupatis reliquā hiemem eorum se copijs, aluisse. Quid hoc ad causam, quæ agitur. An ideo, quia ripæ qui erant utrimq; proximi Menapij ab incursione subitanea Tenchterorū cladem & damnū pasi, agri quoq; & latifundia sublata eis atq; abalienata? Nō hoc Cęsar, sed copijs eorum & frumentatione hiemem trnasegisse Tenchteros innuit tantū Et patet ex ipso Cęsare, regresis ad ulteriora Tenchteris, satis exinde ad bellum superfuisse virium Menapijs. Hæc pro Strabone & contra vitiligatores istos, quæ dicerem breviter habui. Alijs si aliter videtur nos libenter meliora docentes audiemus, modò id sine acerbitate, & ut decet humaniorum literarum mystas absque studio & ira, &, quæ hinc exsurgere solet, aliorum præcipiti atque inconsulta vellicatione fiat. Ea enim ubi adfuerint, eorum nos rationes Socratico quodam more, quatenus licebit sinemus præterfluere.

PAG. XII *vers.* 24. *Primo Gottolandia mox Goiolandia.*] Assaniæ sunt hæ & apinæ. Nihil enim cum Gothis Goiolandiæ. Ego, ut obiter etiam meum hic calculum adijciam, verius censeam ab ipsa re Goiolandiam quasi, Goyerlandiam, quomodo & multi hodieque pronunciant, appellatam; quod solum paludibus pasim interruptum habeat. Nam *Broick, vene, Goir*, unum idemque esse, & loca palustria notasse Batavis Belgisque olim, testis est locuples Gerhardus à Schueren, Cancellarius quondam Ducis Clivensis, illustri lexico Theutonico Latino, quod anno 1477 concinnatum excusumque Theutonistam ipsemet appellat: Cuius & ante in Rerum & urbis Amstelodamensium historia meminimus. Servatque exemplar huius lexici in bibliotheca sua, inter cetera librariæ supellectilis rariora ceimelia amicus & collega noster V. C L. Antonius Thysius. Interim non me latet in chorographia suæ Goiolandiæ à Godelenda Abbatissa Elssensi nominis originem arcessere Lamb. Hortensium; eumque secuti mox alij.

Ibidē. vers. 54. *Nec te moveat Frobenia impressio, quæ Chaucos pro Chattis habet*] Hic nodus explicatus adhuc, quod sciam nulli. Nam & Iunio hic aqua hæret, qui inrepsisse in contextum Plinianorum codicum per supinam descriptionem hoc vocabuli chaucos existimat; nisi Cuyckij forte aut Goici intelligendi potius. Alij quoque iam nuper cum expediendi nodum rationem non invenirent, secare eum aggresi; Pliniumque, omisis Frisiabonum, Cauchorum, Sturiorumque controversis vocabulis, ita scripsisse, reclamantibus licet omnibus tam scriptis quam excusis exemplaribus, contendunt: *In Rheno ipso C. prope M. P. in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Cannefatum; & aliæ Frisiorum maiorum, Frisiorum minorum, Marsatiorum, quæ sternuntur inter Helium & Flevum.* Nec vidēt, hoc si admittatur, manifestò se Plinio ac Tacito, imo & sibi cōtraria loqui; qui ipsi in Chorographica sua tabella non omnes Frisios maiores sicuti minores intra Rheni seu Flevi boreale ostium, sed extra etiā potiores colere faciunt, in solo nimirū cōtinentis Germanię, ad Amasiā usq;, quomodo ergo intra Heliū Flevumq;, ut habet diserte de suis Frisijs Plinius, in insulis Rheni cum ceteris, quos nominat, populis sterni dicētur? Quin & Frisij tam maiores, quā minores si intra Rheni ostiorū cōplexum in universum omnes collocentur, jam nō Flevus, ut Plinius alijq; omnes definiunt, sed circa Amisiam Rheni boreale statuendū ostium, cum eò usq; nō olim modò, sed & hodieq; pertingāt Frisij, qui in insulis Rheni non agnoscuntur, & ideo transrhenani appellati Tacito, ut statim ostendā. Qui & idē maiores etiā minoresq; idcirco appellavit, utpote Flevi ex Rheno progredientis alveo inter se & viribus ac potentia quoq; divisos; quomodo & Chaucos minores maioresque Visurgi amne distinxit Ptolemæus. Facit huc etiam quod omnis exinde ætas ad hæc usque tempora haud aliter distinctos agnoverit, cum illos Vestfrisios, hos verò Occentales, sive *Oostvriesen*, appellarit. At si occurrere jam difficultati, novæ huius lectionis architecti, studeant dicantque maiorum Frisiorum partem intra Flevi Rhenani Fluentum contineri, partem extra, repugnabit hoc, ut alia nunc omittam, primo correctioni ipsi, quæ maiores minoresque sine exceptione ponit; tum & Plinij verbis, qui

Frisios

Frisios suos omnes, ut sæpe iam dictum, sterni intra Flevum Heliumque diserte expressit. Ita enim habent, ut in statum ac possessionem, suam reducantur : *In Rheno ipso C. prope M. P. in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Caninefatum; & aliæ Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum; Sturiorum Marsatiorumque, quæ sternuntur inter Helium & Flevum &c.* Rectius ergo eruditissimus ille Belgarum Iunius, in quem hostiliter nunc adeò itur, Frisios in Plinij verbis de gente tantum occiduæ Frisiæ interpretatus est. Quomodo & me intelligere ingenuè fateor. Nec eam novitiam opinionem ut approbarem adhuc impetrare à me ullis rationibus potui. Quod si ægrè ferant & cum stomacho excipiant, ferendum video : eoque æquius, quòd sortem tam iniquam cum viris etiam illis doctissimis communem experiar.

Capillos discriminare eosque intortos hominum oculis ostentare.] Hæc de virginibus Frisiabonum, quos Vaterlandos hodiernos intelligit, Haemrodius. Martialis de Sicambris in universum : *Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.* Quod ideò noto, ut constet gentium veteres illos ritus ac mores; apud eos, ut plurimum, superstites atque incorruptos, aut saltem eorum vestigia quædam reperiri, qui à turba peregrinantium & aliunde accedentium affluxu ac frequentatione semoti agunt : Quomodo inter Hollandos præcipuè Vaterlandi isti. Quorum & idioma ac lingua hodieque peculiaris est, Saxonicæ veteri cognatum quid retinens, uti & idem commemorat Haemrodius. PAG. XIII vers. 18.

Maiores Frisij à mari Austrino ad Visurgim Fluvium pertingunt, à viribus & potentia sic dicti. Hos Transrhenanos Tacitus apellat.] Ad Visurgim dicit, aspectu eius ævi cum una gens ijdemque cum Frisijs Cauchi censerentur. Nam alias prisco seculo constat Ptolemeum Cauchos minores maioresque, cis atque ultra Visurgim collocare, nec abire ab ea méte Tacitum, qui Cauchos incipere à Frisijs circa Amasium nimirum, & partem littoris occupare ait. Eosdem deinde maiores Frisios recte ex Tacito Transrhenanos facit, & eos intelligit solos qui à minoribus Isala & Flevo ex Rheno progredientibus hodieque dirimuntur : Qui ergo ex adverso erant ubi nunc Vestfrisij, minores fuere, ut indicat Tacitus, potentia & nomine, utpote intra imperij & Belgicæ limitem à Romanis conclusi : Nam de maioribus intelligenda, quæ refert idem quarto Annalium, eos nimirum avaritia Romanorum irritatos ad arma progressos & Olennij militem patibulo adfixisse inque ipsos sævijsse præsidiarios, qui Oceani circa Flevum littora præsidebant: Et mox auxilio accurrisse inferioris Germaniæ proprætorem Apronium cum equitatu & pedite militariter instructum : sed congressum à Frisijs duplici clade affectum : atque inde clarum fuisse inter Germanos Frisium nomen : Quæ adeò diserte ac perspicue cómemorat Tacitus, ut nihil omnino dubij aut difficultatis videam in edocendo, quinam minores ei Frisij, qui maiores fuerint. Quamvis hodie reperiri intelligo, qui nodum in scirpo quærere, & ea, quę luce meridiana clariora sunt, obnubilare instituunt : Aiunt scilicet Frisios omnes tam maiores quam minores, Transrhenanos intelligẽdos aspectu medij Rheni, qui & termin⁹ & limes imperij Romani & Galliæ fuerit. At nos, quod medius Rheni alveus nec terminus Galliarum nec imperij limes fuerit, sed extimus Boreal⁹ alibi firmissimis demóstramus argumẽtis. Nunc, quod in manibus est, ostendẽdum hoc loco nequaquã etiam medij illius Rheni sed Flevi aspectu in quẽ ut Plinius ait, Rhenus nunc Isala se spargit, trãsrhenanos Tacito Frisios nominatos. Nã quod illi in Taciti verbis, ubi quarto historiarum BrinioCaninefas omnesq; Caninefates ad arma per Civilem pulsi, accitique ab ijsdem memorantur Frisij, transrhenana gens, de Frisijs interpretantur, quasi proximè ad medium Rhenum sitis, cum ipso Tacito è diametro pugnat. Ita enim Tacitus : *Statimque accitis Frisijs (transrhenana gens est) duarum cohortium hibẽrna, proximo occupato Oceano; irrumpit;* Brinio nimirum à Caninefatibus Dux delectus. Quo autem irrumpit? hiberna scilicet, quę oceanum & Flevum Castellum circiter erant; nam ibi, ut antea 4 Annali. disertè dixerat, *haud spernenda civium sociorumque manus littora Oceani præsidebat.* Hic ergo à Brinione & Frisijs (quod antea per rebellionem contra Olennium tentaverant) capta ac direpta castra lixæque & negotiatores Romani invasi : & cum excidijs etiam castellorum imminerent, à præfectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant : Qui & signa deinde vexillaq; & quod militum erat, ut loquitur Tacitus, navibus per lacus & inde Rheni brachium, nunc Isalam, in superiorem insulæ Batavicæ partem utpote primo appulsu, circa Arenacum & illa castra deducunt classemque appellunt. Quod per arctatum medij Rheni alveum perque Batavos ipsos qui iam desciverant & Civili adversus Romanos sacramentum dedetant, quomodo fieri potuit? Quapropter in verbis Taciti eam esse Frisiorum transrhenanam gentem, quæ solum

Ibid. vers. 23.

Lib. 4. hist.

Germaniæ incolit, & à Rheno, ubi in lacus se spargit, ut Plinius, & campos implet, ut Mela loquitur, ad Amasium usque pertingit, quis ambigat amplius? Et quò omnis adhuc hæsitandi auferatur scrupulus iterum Tacitus Annal. 4, ut clarè constaret, quinam illi Frisij essent transrhenanus populus, eosdem ita describit, ut & loca & sedes, quas coluerint, disertis verbis adijciat: Sic enim ibi loquitur: *Eodem anno Frisij, transrhenanus populus* (in quarto historiarum ut supra patuit est, *transrhenana gens*) *pacem exuêre: nostra magis avaritia, quam obsequij impatientes. Tributum ijs Drusus iusserat modicum &c.* Et statim: *Rapti qui tributo aderant milites & patibulo affixi, Olennius infensos fuga* (ex côtinenti nimirû) *prævenit, receptus castello, cui nomen Flevum, & haud spernenda illic civium sociorumque manus littora Oceani præsidebat.* Et statim, ubi addit ibidem suppetias accurrisse Aproniû Frisijsque obviam ijsse, loca in solo eorum Baduhennam lucum & villam Cruptoricis designat, ubi clades Romano ab ijsdem Frisijs illata. Ita enim ait: *Mox compertum à transfugis nongentos Romanorum, apud lucum, quem Baduhennæ vocant, pugna in posterum extracta, confectos: & aliam quadringentorum manum, occupata Cruptoricis quondam stipendiarij villa, mutuis ictibus procubuisse.* Quibus in verbis Baduhennæ lucum intelligendum eo Frisiæ tractu, ubi nunc silva vulgari nomine *Seven wolden*, & in proximo stetisse cruptoricis villam ne ipsi quidem, qui adversarios se faciunt negare audebunt. Quapropter verba illa Taciti Annalium quarto, Transrhenanus populus si de Frisijs continentis Germaniç, quod fateri omnes debebunt, capienda sunt, quis neget eadem illa Taciti quarto historiarû, *transrhenana gens*, de ijsdem intelligenda, nisi qui Tacitum nugari & sibi ipsi manifestò contraria utrobiq; loqui dixerit? Et quò magis magisq; hominû horum fucus appareat, studio quodam ab ijs factum haud dubio est ut locum hunc Taciti 4 historiarum de Frisijs Transrhenana gente absq; illo eiusdem Taciti Annal. 4 de Frisijs Transrhenano populo interpretandum sumserint, eumq; ut sibi contrarium, silentio prætermiserint. Rhenus igitur in lacus se spargens, ut loqui Plinium diximus; vel ut Melam, campos implens Transrhenanos hos Taciti Frisios eosdemq; Maiores; & ex adverso, in Rheni nimirum insulis & intra imperij complexum, Minores constituit ac dispescit; non ille falsò & prçter rem adductus medij Rheni alveus: ut omittam prolixius ostendere haud rarò alias ipsum etiam Tacitum, non secus ac de Mela & Plinio jam diximus, generali Rheni vocabulo & subinde solo ripæ nomine, quo & alijs in locis Rhenum simpliciter insignit extimum illum & borealem alveum, nunc Isalam dicimus, afficere: Quamvis detorquere, nunc studeant novi illi adversarij ut aliquem fucatæ suæ chorographiæ colorem adderent. Accedit quod & hodie haud aliter uterque dignoscatur populus: Nisi quod minores, id est, Vestfrisij, post diuturnum pro libertate bellum, fracti demum & à socijs deserti in Comitum Hollandiæ imperium & clientelam concesserint ante annos trecentos circiter. Vt ita haud temere hodieq; glorientur transrhenani illi Frisij, se solos propemodum inter Germanos cum nomine pristino sedem quoque suam, quam olim sub primis Cæsaribus habuerunt, in hodiernû adhuc diem inconcussam præcipuè retinere.

PAG. eadẽ vers. 45. *Marsatios sedes olim.*] Marsatiorum, Cauchorum & Sturionum, ut nominat eos populos Plinius, quæ fuerint olim sedes exactè nunc tradi posse, quis spondere audeat, cum totus ille Austrini maris inferior sinus, annis ab hinc septingentis aut circiter, ex pascuis & paludibus in tantum pelagus excreverit? Adeò ut ex septem illis populis, quos sterni inter Helium & Flevum memoraverat Plinius, vix quatuor dari queant, quorum certa aliqua supersint hodieque vestigia, ut Batavorum, in Gelris & Hollandis; in Kenemarijs, Vestfrisijs & Vaterlandis, Caninefatum, & Frisiabonum: Vt constet reliquorum trium Cauchorum nimirum, Marsatiorum & Sturionum sedes in mari illo Austrino, Velavia, Goiolandis & Amstelandia quærendas. Sed veras aut certas quis indicabit, cum inverterit terrarum illarum potissimam partem & abraserit pæne omnia internum illud, quod dixi pelagus? Non ergo dicendum hîc aliud habeam, quam superesse etiamnum reliquias & monumentum aliquot Marsatiorum præsertim in vico Traiectensium *Marsen*: Sturiorum sive, ut legisse videtur Haemrodius, Vrionum, in Insula Austrini sinus *Vricha*: Cauchorum, in Kukijs aut Goiocis, ut hariolatus est etiam Iunius. Ita ut gentes hæ territorium suum per Velaviam nunc dictam, & Goiolandos atq; Amstelãdos magno flexu ad mediû fere Rhenum & Caninefates circumduxisse existimem: fuisseque in tribus illis præcipuos Marsatios, utpote historicis alijs, præter Plinium, ob facta etiam militaria notos & nominatos: inter ceteros autem præcelluisse Batavos & Caninefates: Nam & Frisios illos insulanos vix nominatos uspiam, præterquam in illo Plinij loco, & apud Tacitum, qui minores appellat, invenio, credoque inter Caninefa-

tes

tes fuisse censos, quam primum à Frisijs Transrhenanis separatos eos suo jugo submiserint Romani.

Similiter castellum eiusdem nominis.] De Hoc castello Flevo dictum iam ante. Vbi in eo tantum ab Haemrodio diversum sentimus, quod ille castellum hoc in Flevo etiamnum superstite; nos in Flevo nunc aquis obruto, ubi vadum & æstuarium hodie est, quod nomen veteris Flevi, vulgo *t'oudt Vlie*, hodieque retinet, collocatum fuisse antiquitus existimemus. Sed de hoc, ut dixi, supra. PAG. eadē vers. 51.

Vriones sive Sturiones.] *Vriones* seu *Vrij* si apud Plinium quoque lectum fuerit, nonnihil hæc coniectura momenti habeat, ut patuit ex superioribus. PAG. XIV. vers. 2.

Mare illud, quod nobis Austrinum dicitur, & quod ex Oceano meridiem versus prospectet retro sexcentos annos paulatim ex lacubus, paludibus & humilibus pascuis ventorum agitatione concussis incrementum cepit.] Intelligit Haemrodius eam præcipuè Austrini maris partem, quæ ab Enchusa & Campis introrsum meridiem versus patet; Nam quod inde Boream spectat ipso Tacito, Plinio ac Mela testibus, jam olim lacus ingentes fuisse, quos & classes Romanorum navigarunt, dubium nulli sit, nec latuit quoque Haemrodium, ut docent antecedentia. Quapropter nihil magis mirum, quam nuperos illos censores, qui se solos hîc sapere & omnia curva correcturos, tanto cum supercilio aliorumque contemtu, pollicentur, vocem *lacus* in Taciti, Plinij ac Melæ verbis ad hunc quoque interiorem maris sinum trahere: Quò ità scilicet Frisios suos ambire, ut loquitur Tacitus, immensos lacus obtinerent, & simul ad medium usque Rhenum obtorto collo eosdem traducerent. Nam si *lacus* in verbis Taciti & Plinij, de extima tantum illa versus Flevum Austrini maris portione, uti oportuit, intellexissent, ad medium Rheni alveum deduci Frisios nequaquam potuisse facile prævidebant. Vt ergo demonstretur, quod inquit Haemrodius exortum esse ac patentiorem redditum, lapsu temporis, interiorem illum Austrini maris sinum, primo verba Plinij notanda, qui ait, *Rhenum*, qui nunc Isala *in lacus se spargere à Septentrione.* A Septentrione videlicet, non à meridie, ut constet hoc mare postmodum ibi enatum & incrementum, ut loquitur Haemrodius, cepisse. Deinde Mela eundem alveum primo angustum & sui similem fuisse dicit, & post ripis lōgè lateq; recedentibus, iam non amne, sed ingentem lacum, & ubi campos implevisset, Flevū dictum: Quę ad interiorem hunc sinum quomodo applicentur, ubi Flevus nullus? Et denique Tacitus Frisios ambire immensos lacus Romanis clasṡibus navigatos ait: at quosnam lacus navigare Drusus & Germanicus potuerint, Amisiam per Isalam petituri, nisi hunc maris Austrini sinum extimum & Borealem? Vt nihil sit certius atque evidentius quam lacus eos in Taciti, Melæ ac Plinij verbis ab Isalæ, Boream non meridiem versus, excursu accipiendos. Quod verò sexcentis ab hinc annis præcipuè enatum interiorem hunc sinum dicat Haemrodius aliquot etiam ex historia inferiores ævi petitis testimonijs corroborare aut saltē illustrare, haud difficile sit. Nam quem supra dedimus Anonymus, qui centū tantummodo ante ætatem nostram annis claruit, diserte indicare videtur angustū admodū, exstitisse sua tempestate illum Austrini maris tractum, qui intra Haerlemum & Amstelodamum nunc patet: ipsumq; Amstelodamum Guilielmi demum 4 ætate, anno nimirū 1342, augeri ac celebrari cępisse, cum mare hoc meridionale, quòd tum, ut verba eius habēt, exiguum erat, quotidiæ corrosis littoribus excresceret. Quibus accedit quod etiā Albertus Abbas Stadensis satis manifesto subindicat interius hoc mare, anno 1152, nō nisi lembis minoribus, nō Amstelodamo, sed Muda ad usq; Staveram navigari solitū, ubi maiorum navigorum statio tum esset, quæ inde in mare Norvagicum abitura Daniā & illa loca petebant. Verba eius, ubi de Muda mox obiter aliquid addimus, ipsa ponemus. Et ut ad propiora veniamus, quis ignorat aut fando non accepit maiorum sæpenumero & patrum querimonias, latifundia sibi integra maris huius eluvionibus, circa Isalæ præsertim exitum, ablata & erosis aggeribus, in mare conversa pascua quiritantium? Et hodieque infidum hoc undique littus esse, incrementumque quotidie, devoratis & absumptis munimentis, accipere? Narrat Iunius, ut alia nunc omittam, Hornæ oppido & portui oppositam olim stetisse insulam cum pago, cui Damptæ nomen erat, quę in illo sinu vim & impetum maris ab Africo urbi imminentem excipiebat: avertebatque: Et addit pagi eiusdem reliquias, utensilia, lebetes & ahenā gravis ponderis se puerum meminisse in turbulenta quadam tempestate, quæ marinas undas dissiparat, calcabili tum maris fundo, in oppidum à nonnullis fuisse comportata. Adeò ut nihil à re tota omnique historia alienius magisque absonum, ne, quod in ore perpetuo istis est, ineptius imperitiusque dicam existere, quam velle persuadere & chartis ac pina-

PAG. eadē vers. 11.

 cibus

cibus chorographicis quasi demonstratum adumbrare omnibus Austrinum illud mare, quod ad interiorem hunc sinum, eiusdem fuisse, Taciti & Plinij atque illo antiquissimo seculo, capacitatis & habitudinis, quâ hodie visitur.

PAG. eadẽ vers. 31. *Vt trahas & currus cervisia alijsque mercibus onustos.*] Trahę, camulci Gręcis. Glossarium; χαμȣ̃λκος, *traha.* Vide item Pollucem lib. 7: Et Marcellinum Ammianum libro 16, qui Græca voce utitur, ubi de obelisco Alexãdrino: quem ait chamulco impositum Circoq; maximo illatum.

PAG. XV. vers. 2. *In hæc loca devenisse cum Batone suo rege.*] Vide infra, ubi de Regibus. Quæ autem sequuntur de Slavis & Viltis Annalium vernaculorum; ut plurimum, somnia sunt.

PAG. eadẽ vers. 34. *A silvarum copia Holtlandiam dicebant.*] Quando Hollandiæ primum appellatio cæpta, & unde ita dicta, alibi fusius disputavimus. Quorum fere summa huc redit; Nec Hoylandia ab hoy, seu fœni ubertate; nec Holtlandiam, à lignorum silvarumque copia dici potuisse: quia prior etymi ratio nimis devia nimisque aspera; & altera quoque durior, præsertim cum silvæ istæ ac nemuscula, quæ versus arenarios insulæ colles sunt, refutent magis quam firment eiusmodi notationem, existente alias circumquaque solo regionis palustri ac uliginoso, ut meritò proverbio occasionem dederit; *Hollandt Bollandt.* Adeo ut, ex etymo si captãda sit nominis originatio, ab ipsa re *Hollandia* appellata fuerit *Hollandt*, quod est palustris & aquis tumida tellus, uti olim in lexico suo Theutonico Latino, jam modò quoque nobis citato, interpretatus est eam vocem Gerhardus à Schueren, Cliviæ Cancellarius. Iunij vero & Nannij, quæ ab historia petita sententia, quod Hollandia scilicet ex Olandia, Suedici sinus insula, utpote inde ducta colonia, appellationem acceperit, pluribus quàm locus hic patitur refutari meretur; & alibi ad plenum, quod dicitur, absolvimus. Nam Suffridij Furmerijque ab Olennio (quem Frisijs impositum Oceani littora præsedisse memorat Tacitus) originationem eam deducentium opinio adeo est à re omni aliena adeòque suffena, ut referre inter res serias pigeat. *Lib. 1. cap. 1. Rerum & urbis Amst.*

AD VRBES BATAVIAE
AB HAEMRODIO POSITAS
ADDITAMENTVM.

PAG. eadẽ vers. 37.



NEOMAGVM quod ait Haemrodius ad Batavos etiam pertinere, quamvis extra Batavorum insulam in Gallica nimirum ripa positum, nihil novum est, cum etiam Tacitus olim non tantum insulanos Bataviæ, sed etiam ultra Vahalim Batavos agnoscat. Habent enim verba eius historiarum quarto: *Batavi donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupavere.* Iis enim verbis præter insulam, extrema insuper Gallicæ oræ, id est, continentem, inter Mosam & Vahalim, tenuisse Batavorum aborigines Cattos indicat. Vocabulum autem urbis cum alijs aliquot gentium aliarum oppidis commune est: & inter cetera præcipuè distinguendum à castris illis Constantini, quorum Ausonius in Mosella meminit: qui in prima Belgica Neomagum collocat ad oram celebratissimi istius amnis infra Augustam Trevirorum his versibus;

Et tandem primis Belgarum conspicor oris
Neomagum, divi castra inclyta Constantini.

Hodieque *Neumagen* appellant, ut habet in itinerario suo, seu epistola est ad Gerhardum Mercatorem, Abrahamus Ortelius & Vivianus. Hoc verò ad Vahalim positum Neomagum vetustatis monimenta haud pauca habet, quibus inclaruisse quoque jam olim idem Haemrodius innuit: Eaque varia à varijs annotantur: inter alia inscriptionem laudat Gerhardus Neomagus Geldenhaurius; & Petrus Montanus in epistola quapiam ad eundem Neomagum, qua Iulium Cæsarem Neomagi conditorem probare nituntur. At nihil eiusmodi nænijs insicetius, præsertim si ipsam inscriptonem

pressius

presſius intuemur, quę Neomagi nullam mentionem facit. Inſcripto enim ut edidit Montanus & Gerhardus Neomagus, eoſque ſecuti Iunius ceterique, ita formata fuit.

DIS MANIBVS.

G. IVLIO. CLAV. PVDENTI. NEOMA. VET.
LEG. X. G. F. ET IVNIO. F. EIVS. H. F. C.

Cum in arce Neomagenſi hodieque legatur, & ad ipſum exemplar deſcriptum ità habeat, nulla planè Neomagi mentione interpoſita;

DIIS MANIBVS.

C. IVLIO. CLAV.
PVDENTI LVIDONIA
VET. LEG. X. G. P. F.
AN. L. ET IVL. 7
IVNIO. F. EIVS.
H. E. O. C.

Nec edidit aliter ex Smetij inſcriptionum volumine Gruterus; expreſsitque nuper atque interpretatus eſt, quà potuit, amicus noſter & Muſarum Petrus Scriverius in Antiquitatis Batavicæ Tabulario, quem videndum eo loci cenſeo. Adeo ut urbis ævum, qui ad antiquiſsima ſecula referre laborarit, autoritate deſtituatur: qui verò ad inferiora tempora, puta Francorum, retulerit, Reginonem inter ceteros autorem habebit, qui Carolum Magnum imperatorem tria ait regnis ſuis primaria palatia conſtituiſſe, *Neomagum*, *Aquiſgranum*, & *Divodurum* ſive Theonis villam. Quin & ſæpe aliàs Neomagi mentio in ævi iſtius ſcriptoribus; tum & inſcriptio illa, quæ hodieque Neomagi monſtratur; HVC VSQVE IVS STAVRIÆ, Francorum palatium & regnum præcipuè ibi ſtetiſſe loquitur modò rectè interpretemur. Vult enim dicere collationum ac contributionum exigendarum Neomagi terminum conſtitutum; idque ad arcendos ſubigendoſque Barbaros, quos cōmuni tunc nomine Saxones ea Germaniæ parte nominabant, & contribuere ad arcendum *ſtauren* dicebant; nos, omiſſa, *a*, *ſtueren* & ſtieren dicimus. Vnde & *Turcken ſtaur*, id eſt, tributum adverſus Turcas hodieque, apud Germanos præſertim interiores, in uſu remanet. Ita ut à *ſtaur Stauria* vocabulum Latina flexione formatum ſit. Atque hinc illorum ſimul opinio, qui vocem *ſtauria* in ea Neomagenſium inſcriptione ad Friſium oppidum *Staveren* eiuſque imperium, longa allata hiſtorię iliade revocare ſatagunt, manifeſtò coarguitur. Eius verò, quam nos attulimus, & quam veram ac genuinam exiſtimamus, interpretationis tibicen, imo autor nobis eſt, quem modo diximus, Petrus Scriverius, qui in Adtextu ad Iunij Bataviam de eâdem plenius aliquando acturus erit, addita & explicata ſimul altera illa inſcriptione; HVC VSQ; PES IMPERII. Quæ ibidem viſitur; ſed priori, ut videtur, recentior. Addi coronidis vice poteſt, anno 1248, hanc civitatem, quæ imperij tunc erat, Othonē Naſſavium Gelriæ Comitem 8, ductu Gulielmi Comitis Hollandiæ Imperatoris Romani, xx1 millibus marcarum argenti puriſsimi redemiſſe ſuæque adieciſſe ditioni, cum magna parte Bataviæ; eius videlicet, quam ſuperiorem appellamus. Inſignis eſt cathedralis eccleſiæ chorus, ut vocant, ſepultura illuſtri Catharinæ Borboniæ; quę coniux fuit Adulphi Egmondani Gelriæ Ducis VII; mater Caroli primi, Ducis VIII. Proximè adiacet Georgius Schenckius, ſine tamen mauſolei honore, virtuti eius ac factis egregijs bello ſuperiori meritò debiti.

ARENACVM Tacitus vicum nominavit, ſed an pōſitum tunc in ripa Rheni ulteriori, ut hodie videmus; an vero in ipſo Bataviæ ſolo in controverſiam nūnc rapi video. Qui poſterius defendunt & in hanc Rheni oram, quomodo jam conſpicitur, poſt ævum Romanorum tranſlatam volunt, argumenta adferunt ex Tacito & oppugnatione ea, qua Civilis memoratur, *Romanorum præſidia medicis vicis quadripartita invaſiſſe, decimam legionem Arenaci; ſecundam Batavoduri: & Grinnes Vadamque cohortium alarumque caſtra &c.* PAG. *eadē* *verſ.40.*

Quæ

Quæ omnia sigillatim huc adducere longum foret. Hoc tantum dixero, ea si firmiora non sunt, quam quibus probare se ijdem contendunt, omnia Drusi Romanaq; præsidia in læva & medij Rheni ripa dir ta fuisse; plumbea sanè sint: cum diserte Florus, præter ea præsidia & custodias, quas per Mosam flumen, per Albim & Visurgim disposuerat Drusus, etiam per Rheni ripam quinquaginta amplius castella ab eodem Druso directa referat; & ex ijs in ulteriori, id est, dextra Germanica Rheni margine Dio stetisse quædã

Lib. 54. subijciat; ut omittam Taciti *Castellum Flevum*, ab ijsdem Romanis in extimo & boreali, non medio, Rheni alveo adversus Frisios excitatum. Dionis verba sic habent: *Ex eo Barbari propius adire veriti, eminùs tantum hostem infestivere: ita ut, Drusus, vicissim, ijs contemtis, castellum contra eos ad Lupiæ & Alisonis Fluminis confluentes, aliudque in Cattis ad ipsum Rhenum exstruxerit*: Ex quibus appareat Cattos tunc Rheno proximos fuisse: Rheno

De Morib Ger. inquam superiori; nam circa inferiorem, ubi nunc Isala & Drusi fossa est Vsipios & Tencteros collocat Tacitus, Cattis proximos, hisce verbis. *Proximi Cattis certũ iam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Vsipij & Tencteri colunt*: nisi hoc ad inferiora potius tempora & migrationem Cattorum referre placeat, de quibus alibi dicetur. Nunc ex Tacito & Dione ostendisse sufficiat verum haud esse, nulla Romanorum in dextra Rheni ripa castella fuisse quomodo novi isti geographi, uno tantum autore, eoque malè consulto inspectoque, persuadere ac credi sibi postulant.

Ibid. vers. 45. VUAGDAM pro Vada in Taciti quibusdã libris si exaratum fuerit, ut innuit Haemrodius, propius ea vocis flexio ad Wageningen accedat. Taciti verba superius posita, in quibus & Grines, nunc Rhenæ, mentio.

vers. 50. CULENBURGUS adiacet alveo sinistro Leccæ Fluminis, in meditullio propemodum soli Batavici; & ante annos haud multos honorario Comitatus titulo illustrãtus, Philippi Regis beneficio. Nomen & etymon oppidi, si per severos nonnullos liceret, ad Civilem Batavorum Principem referri non inscitè posset, quasi Civilenburch dicti: præsertim cum eo circiter loci villas ac prædia Civilis olim habuerit, quæ nominat quarto historiarum Tacitus, verbis, quæ notanda Politicis ac Ducibus omnibus puto. Nam postquam lapsæ res essent Civilis, & insulã quoque excessisset; Cerialis Romanorum præfectus metuens forte ne ad nova arma Germanos concitaret, ad se eum allicere & in partes Romanorum retrahere studebat, prædia & agros eius illæsos relinquendo dum insulam reliquam hostiliter depopularetur. Sed Taciti ipsa verba ponenda sunt, quæ sic habent: *Cerialis* Insulam Batavorum hostiliter populatus agros villasque *Civilis intactos, nota arte ducum, sinebat, cum interim flexu autumni, & crebris pluvialibus imbribus superfusus amnis, palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit.*

PAG. XVI. vers. 1. HARDEVICUM maritimam civitatem Haemrodius nominat ratione Austrini sinus, qui quotannis haud exiguum hic incrementum sumit. Nam ubi annis abhinc nõ multis, à parte præsertim urbis ortiva, virentia fuere pascua, nunc omnia mare adedit & abolevit, ita ut mænia non tantum urbis, qua parte mare spectat, sed latera quoque Occidentis & Orientis interiora modò alluere & magis magisque fluctus incipiat, nisi munimentis assiduis & novis obicibus fossæ urbis, maximo cum impendio, indies defenderentur. Literarum quoque, de quo inijcit, Gymnasium, alium & illustriorem in modum nunc nuper, instaurari cæptum, additis publicis professoribus, qui linguas, Theologiam, Iurisprudentiam & Philosophiam docent. De piscium item nundinatione quod addit, capiendum de piscium stapula, sive *aff fluch*, ut hodie vocant; Cuius prærogativam solis Hardevicensibus concessit Dux Gelriæ Arnoldus anno 1443. Habueruntque initio insignia, quæ *coggen* navigium exprimerent: quorum nunc loco Leonem Nassovicum exhibent, indultu Othonis Nassavij Comitis VII, qui floruit anno 1229. Quo etiam tempore muro lateritio ab eodem, una cum Arenaco, Ruremunda, Bomelia & alijs aliquot Gelriæ oppidis, cincta primum urbs fuit. Quod denique Gelrici iuris esse adijcit, intelligendum fortassis ab eo tempore, quo Henrico Nassavio I, tertio Gelriæ Comiti, dotis nomine magna Velaviæ pars cessit occasione coniugis, quam duxerat, Godofredi Brabantiæ Ducis filiæ, Synardæ nomine. Claruit is Henricus anno 1131, quo præesse Gelriæ cæpit, ad annum 1152; quo obijsse memorant.

Ibidem vers. 4. VLTRAIECTUM Bartholemęus Gaunvijle Anglicus, qui floruit circa annum 1360, Traiectum inferius nominat, aitq; Hollandiæ metropolim esse. Inferius autem Traiectum dictum illi puto respectu superioris, quod est ad Mosam, hodie *Maestricht*. Nam id Traiectum superius diserte nominatum invenio Alberto Abbati Stadensi ad annum 1152. Qui idem Vltraiectum hoc simpliciter Trajectum appellat, ut patet ex loco, quem infra ponimus, ubi de Muda.

DURDRECHTUM

DVRDRECHTVM inundatio illa, de qua Haemrodius, anno 1421 à continenti disiectis aggeribus, ita avulsit, ut mare circumquaque nunc ingens patet. Ait Haemrodius 72 vicos, cum hominibus & iumentis, tum absorptos: Quod & alij quoque, & Iunius, unanimi consensu tradunt. Et addit Haemrodius mare hoc patere in longum German. mill. 4; in latum 2: Vt mirum & paradoxon sit, tam angusto spatio tot vicos & villas collocatas fuisse nisi laborare & dubiam hic annalium fidem dicamus. *Ibidem vers. 33.*

LEIDAM esse Antoniniani Itinerarij Lugdunum, quod, ad discrimen Gallicani illius, Lugodunum Batavorum Ptolemæus tabulâ Europę tertiâ diserte nominat, inter primos asseruisse & omnibus huc usque demonstratum reliquisse videtur clarissimus Iunius. Quamvis alius Losdunum, quod Haga Comitis duobus tantum passuum millibus dissidet, nominis Lugoduni totiusque vocabuli illius genium multò plenius propiusque referre pæne dixerit; nec à situ, quem suo Lugduno Batavorum adscribit Ptolemæus, littori illud imponens; multum quoque abire, cum inter ipsos littoreæ arenæ colles Losdunum positum conspiciatur. Interim tamen, ubi locorum præsertim ac territorij Leidensis iam olim celebritatem & Fluentorum etiam, quæ Losduni nulla sunt, oportunitatem aliaque considero, Iunianæ sententiæ meum libentissimè calculum appono, ut tam illustri, etiam hodie, & Musis ac Gratijs omnibus dicato loco illustre hoc nomen perpetuum ac proprium maneat. *Ibidem vers. penultimo.*

Ad NAERDAM & alibi in Haemrodij verbis quæ habentur de Hispanis, & eorum in his oris bello & obsidionibus, in margine autographi adiecta erant: ut sciat lector scriptum ipsum annis illis anterius esse. Cladem Naerdensem ad 1571 refert, cum passim alij in annum 1572 conijciant.

ENCHVSÆ solum circumquaq; antiquitus *Drechterlandt* appellatum ex rhythmico Chronico videor colligere: Quod ibi scilicet obvius fortasse & facilis fuerit ex Frisiæ continente ad Frisios minores traiectus. Adeo ut pleraq; illa Belgij loca atque oppida, ut Maestricht, Vtrecht, Dordrecht, Suindrecht, haud aliunde nomen accepisse, quam à traiectu videantur. Meminit autem Drechterlandiæ, Chronicon, quod dixi 1155, his verbis: *Pag. XVII.*

Alsmen elff hondert las
Ende vijf en vijftich ons Heeren Jaer/
Quamen met Oorloghen swaer/
Die Vriesen van Drechterlandt/
En hebben gherooft en verbrant
Die van Kennemare etc.

MVDÆ mentio est apud Albertum Stadensem Abbatem ad annum 1152. Vbi itinerarium, quod interseritur, ita habet: *Vadas è Colonia 6. mill. usque ad Nussiam; 9 Xantis; 7 Arnem; 6 Seist; 1 Traiectum. Ibi intra navem & descende usque Muchen, & ita per mare Stauriam, & sic in Daniam.* Vnde pateat minoribus tunc navigijs Muda Staveram solere traijci: ubi navium grandiorum, quę in oceanum Borealem & Daniam navigarent, statio esset, quemadmodum Amstelodami hodie. *Ibid.*

HAGAM quod ab *heylich busch* & inde contracta voce *haech busch* dictam putet, halucinatio est: & rectior Iunij notatio, qui *haga* vocabulo significari indicat sepem è dumis & senticetis opere topiario, factam. Palatium etiam, quod ibidem elegantissimum est, fossis & piscina perample circundatum, ad Florentij tertij ætatem refert Haemrodius, cum alij à Gulielmo Roman. Cæsare Hollandię Principe exstructum, & ab eodem Senatorum collegium, quod olim sedere apud Gravesandam solitum erat, huc translatum fuisse memorent. Quod olim posterius etiam ab Haemrodio innuitur: ut, prius illud, de Florentino, unde habeat, mihi haud constet. *Pag. XVIII*

MEDENBLICVM videtur hoc loco ab Haemrodio omissum. Meminit tamen eius in ipsa Bataviæ descriptione pag. 13. vers. 36. Albertus Abbas Stadensis ad annum 1256, quo ipsemet Albertus superstes agebat, ait *Guilielmum Romanorum Regem* ac Principem Hollandiæ *occisum à Fresonibus Medemleck, prope Hollandiam, morantibus in loco incognito ab eisdem sepultum.* Rhytmicum Chronicon in annum 1255 conijcere videtur, cum ita loquatur.

Die Koninck bleeff doot sonder saghe/
Op S. Agneten achte daghe.
Alsmen schreeff ons Heeren jare/
L. ende vive mede/
By Hoorthout woude op een stede.

Verum ab Alberti calculo Frisiorum annales & autorum fere omnium consensum, stare reperio.

AD SERIEM
REGVM BATAVORVM
CASTIGATIONES.

DE BATONE sive BATHAPH.



HOc Regum Catalogo, inter alios, Gerhardum Noviomagum secutus Haemrodius Bathaphum sive Batonem, Hessum & eiusmodi fictitia nomina Reges & principes Batavicique nominis conditores statuit. Eumque errorem non tantum hic noster, sed & Iunius quoque pro parte errasse videtur; Iuniumque inde secutus Dousa filius, intulisse in Bataviam Batavicum nomen Cattos tradidit. Iunius quin etiam eiusmodi Bataviæ etymon cõfinxit, ut ità nimirũ dicta fuerit, quasi *Batens have*, id est, Batonis exstitisset peculium: Lib. 55. cum utrumque Dio refellat, qui diserte ait, à Batava Rheni insula, Batavos appellatos. Quod si verum sit, ut esse verissimum iudico, ipsi sane Batavorum aborigines Catti non intulisse in Batavos, sed assumsisse hoc nominis ex ipso Bataviæ solo dicendi. Atque ità Iunij simul etymon penitus concidat, veriusque multò, Bataviam ab ipsa re, idque vernaculo gentis idiomate, nec hodie adhuc planè desito, à *Bat* & *ouwe*, quod bona & opima latifundia notat, appellationis occasionem accepisse, quomodo & alibi nobis commonstratum prolixius, contentione obiter facta ex simili vocabulo *Velouwe*, quam Velaviam nunc dicimus, terram ab agro Batavo Rheni solius alveo distinctam. Verum adversari Dionis verbis videtur Tacitus quarto historiarum ubi Batavos, donec trans Rhenum agerent, partem Cattorum fuisse ait: Quod tamen primo quidem intuitu ita videatur, at nequaquam si de gentis, non nominis Batavici, auspicio eo loci Tacitum interpretemur. Porro inter veteres primos, quod sciam Zozimus à Batavis *Bataviam* dixit: Dio, ut posui, *Batavam*: Quod proximè secuti Ammonius & Regino, qui *Batuam* scribunt.

DE CARIOVALDA ET
ALPHENO.

QVi deinde subjungitur Hessus, Kannaphus, Cariovalda Carolus Silvanus ceterique meræ chimeræ sunt, & eiusdẽ cum superiorib⁹ de Batone furfuris. Festivum interim est, quãvis similiter frivolum, quod ex Cariovalda (cuius quidem, at Ducis Batavorum, Tacitus meminit) Carolum silvium sive Waldanum, nobis fabricet. Sed omnem superat confidentiam, quod eundem Octaviæ, Augusti, si Dis placet, sororis ex Kannapho nescio quo, filium faciat. Quis ista legendo temperet à risu? Et ut uno spiritu hæ nugæ & folia difflentur; Refert hunc Cariovaldam eiusque successorem *Alphenum* ad prima imperij Augustæi tempora, cum ex Tacito certo constet Cariovaldam ea, quæ ex Tacito recensentur, sub Tiberio demum gessisse; Alphenum autem eiusque res ad ævum Galbæ & Vespasiani referendas.

DE MINO ET CVNONE
BELLINIS.

ALpheno MINVM Bellinum cognomine, surrogatũ ait, annis ante Christũ incarnatum duobus, id est, Augustæi imperij anno quadragesimo primo. Quo indicio ipse se sorex prodit: Si enim Alphenus lõge, ut ex Tacito ostẽdimus, post Augustum sub Vespasiano nimirũ exstiterit, quid Mino huic Alpheni scilicet successori fiet, quem ad alterũ tantummodo Caligulæ annum producit? Caligulæ, inquam, qui ante Vespasianum annis aliquot

aliquot imperavit. Erroris verò,quantum cõijcio,commentiq; occasio hinc nata;quod Suetonius in Caligula,Adminij,Cunobellini Britannorum Regis filij, meminerit. Quo loci codices nonnulli prætulerant, *Batavorum* pro,*Britannorum*:Isque error etiam alios, nostra tempestate haud infimi in literis nominis pæne eòdem perduxerat,ut Cynobellinum similiter aliquem Batavorum regem constituerent. At nunc melior & verior lectio passim habetur, idque Dionis præcipuè accedente calculo,qui Cynobellini huius, utpote regis Britannorum,non Batavorum,magnificè meminit, & præter Adminium à Suetonio nominatum,filios insuper eidem tribuit Cataractacum & Tagodunum. Vt simul,præter alia, etiam in eo castigandus noster,quod ex Cunobellino Kunonem Bellinum faciat;eumque non patrem,sed filium Adminij: cum pater Adminij, non filius etiam ipsi Suetonio dicatur.

Cæterum de *Cunonis* appellatione,ut obiter,hoc addam,familiaria eiuscemodi fuisse Britannorum præsertim proceribus nomina ex Gilda illustri exemplo ostendi potest. Is enim in sua de excidio Britanniæ querimonia *Cunoglasti* mentionem facit, quem ait lingua Romana *lanionem fulvum* denotare. Et sane si rem ac vim istius nomenclaturæ penitius introspiciamus, id dicit quod etiam ex idiomate nostratis Germaniæ demonstrari queat. Nam habet in Dictionario suo Germanico-Latino Gerhardus à Schueren, Cancellarius olim Ducis Cliviæ,iam iterum iterumque nobis laudatus; *Kynen, Schoeren, rijten*, *splijten als de eerde ofte anders watt*. Quod certe lanionum proprium est, dilacerare omnia ac divellere. Gildam interim ex occasione hoc *Cynoglasti* vocabulum in sequiorē eiusmodi sensum detorsisse, quo sæva ac crudelia eiusdem facinora ob oculos ponerētur, existimo. Nam alias in significatum alium & laudabiliorem usurpari etiam in ipsis Germanorum hodiernis appellationibus,ostendunt *Coenradus* sive *Cunradus*; *Cunimundus* aliaque talia nomina, quæ animositatem præcipuè indicant: ut omittam dicere *Kun*,*genus* & *stemma* præcipue antiquitus Germanis denotasse,& Danos hodieque haud aliter usurpare. Eorum idiomate,*menschelige Kun*, significat *humanum genus*; & in Chronico vetustissimo Bavariæ Andreæ Presbyteri Latino, ubi legitur,*de genere Carulorum*,est in eodem Chronico Germanico, attestante C L. V. Marquardo Frehero,*aus dem Chunder Carolen*,id est *de genere & stirpe Carolorum*: Quod Trithemius ignorantia veteris idiomatis, verterit,*de stirpe magni Ducis Cunonis*. Accedit & lexicon, quod dixi, Gerhardi à Schueren, in quo diserte *Kun* per *u* literam *genus* redditur, sicuti *Kynen* per *y schoeren & rijten* in eodem reddi iam diximus. Adeo ut harum cognatarum dictionum *Kynen, Koen & Chun* hoc præcipuè discrimen sit,ut primum istud *Kynen*,quod dilacerare notare indicavimus per y scribi debeat: Alterum verò, quod animosum & Confidentem significat, per *o* & *e Koen* dicendum: Et ultimum denique quo genus seu stemma indicatur per u pronunciandum scribendumque *Kun* sive *Chun*. Vnde & illud haud obscure colligere est verissimum esse, quod innuit in libro de Morib. Germanorum Tacitus, Britannorum Gallorumque sermonem non multum antiquitus fuisse diversum. Verum illud disputatum nobis alibi luculentius.

DE BRENNONE & reliquis.

Brennonem denique (Brinio est in Tacito) Mini filium facit,aliaque eiusmodi fabulosos autores secutus adfert, quæ adèò sani nihil continent,ut à veritate non modò, sed à fabulandi consuetudine abhorreant, cum præsertim exstent Taciti aliorumque veterum testimonia commentum & fucum omnem prodentia. Nam & filium Civilis Iulium Agrippam nominatum,patrique successorem datum,quis nisi è cerebro suo dicat,cum id Tacitus,qui res istas solus inter veteres conservavit,nuspiam dixerit?utpote qui filij tantum,seu parvuli Civilis nulla aut nominis aut successionis mentione addita,simpliciter meminerit.

APPENDICVLA AD LIBRVM PRIMVM:

In qua nonnulla etiam ad Anonymum spectantia continentur.

Pag. 2. vers. 51.



Nde ad annum 892 ita Sigebertus loquitur] rectior fortasse calculus apud Divæum, qui ad annum 812 refert, in Chronico rerum Brabanticarum.

Pag. 14. vers. 35. *Mundum perfectum altitudinis 52*] Hoc loco Anonymũ secuti sumus; cujus apographum, quod excudi superius curavimus, non, *mundum perfectum*, sed *nundum perfectum* præferebat; quemadmodum etiam edi fecimus: Ita enim legitur pag. 4 sub finem: *Habens etiam ciborium pro corpore Christi argenteum marcarum 70, nundum perfectum, altitudinis pedum 52, & alia ornamenta.* Quo loci nisi legamus, *mundum perfectum*, pendebunt sequentia illa, *altitudinis pedum 52.* Nam quomodo ea ad ipsum ciborium, seu hierothecam argenteam marcarum 70, referri commodè possint? Deinde nec conveniat nondum perfectam hierothecam eandem dicere, quam satis luculenter, ut opus iam absolutum, describit: ut omittam addere exaratum in eo apographo fuisse non, *nondum*, sed *nundum*; Ita ut haud aliter quam superius lib. 1. cap. 6. a nobis factum, explicari posse existimemus. Si tamen alijs aliter videtur, melioraque adferantur, libenter aurem commodabimus & locum relinquemus certioribus.

Pag. 17. *Et maximè Guilielmi quarti*] Perperam in Anonymo pag. 3 Gulielmo tertio, non quarto, hæc ipsa tribuuntur.

Pag. 18. *Quod anno circiter 1377 Carthusiense monasterium*] Annis aliquot post exstructum hoc monasterium ab Alberto Boio alij volunt: idque ex archivis sibi constare aiunt. De quo vide Anonymum ipsum pag. 5. Vbi ad oram notavimus referri monasterij huius initium ad annum 1393.

Ibidem sub finem. *Terrasque quas in Schania Amstelodamenses possident, aut postmodum à Rege Daniæ*] Huius rei vestigium aliquod, unde diplomati ipsi nonnihil lucis accedat, apud Crantzium reperisse videor. Memorat enim, inter cetera, de Valdemaro tertio Margaritæ parente, cum is negotiatoribus exteris intra regnum suum privilegia vetera atque inmunitates permittere recusasset, consilia eos inijsse Coloniæ Agrippinæ, ut ex oppido Campensi in Daniam enavigarent, ostensuri non tantum maritimarum civitatum (quæ vocantur Vandalicæ) causam agi, sed omnium in universum mercatorum in eo negotia verti; Atque ita, ubi mercatorum metu è regno cessisset Voldemarus, concessisse regni proceres mercatoribus, Schanensis territorij usum fructum ad annos sedecim: Et addit eos sedecim annos finem habuisse, imperante mox Margareta, anno 1375: & tunc receptam de manibus civitatum Schaniam insigniter florentem. Adeò ut ex hoc Alberti diplomate illud præterea colligere sit, eandem postmodum Margaretam Amstelodamensibus peculiari indultu aliquam Schanensis territorij partem reliquisse, ut eam commerciorum ac piscationum gratia ad modum & consuetudines sui soli possiderent atque instituto etiam præfecto, secundũ leges & iura Patriæ per omnia administrarent: Quemadmodum disertè refertur in ipso diplomate.

ADDI porrò ad superiora, ab Alberto Boio civitati & civibus indulta privilegia queat, quod unum insuper diploma habeatur de Volevico aggere muniendo: Et alterum de arundinetis, quæ tunc fuere intra Muderbergam & Amstelodamum extra aggerem, qui Mudam ducit, stato tempore recidendis: Ex quibus satis intelligi possit latifundia Volevici multo fuisse, quam hodie videmus, & latiora & luculentiora: sicuti & solum quoque, quod Yæ alveum & mare Mudam versus coartavit, longe quam hodie est, exporrectius fuisse, ideoque & alveum ipsum ac mare multò exstitisse ea parte angustius. Vt hinc non leviter firmari possint quę de mari Austrino superius indicavimus. Illud paulatim nimirum & abrosis sensim littoribus, in patens adeò ac diffusum mare commutatum præcipuè fuisse.

Pag. 21. *De pace iterum agi captum: Idque Haffniæ*] Hæc ex Meieri Flandricis sumsimus. Qui Haffniam,

Haffniam, ut vulgo solet, *Copenhaven* appellat, sed ridiculo etymo à *Coppen*, quod *Iacobū* Flandris significat; & *haven*, quod *portum* notat, *S. Iacobi portum* appellatum hariolatus; cum ita dicatur, quasi *Coopmans haven*, id est, *mercatorum portus*; ut omnibus linguæ Theutonicæ gnaris patet: Et Danicè *Kiobem haffe* pronuncietur: Vbi *Kiobe* vox, *mercari* significat, uti sciunt, qui Danicam linguam callent. Hoc obiter addendum volui, ut constaret simul nihil esse infecetius ac frigidius etymis ac vocum notationibus, si ineptæ fuerint: ut contra nihil amænius ac doctis auribus jucundius, si loco & rei convenienter allatæ depræhendantur.

Cum relictis Daniæ & Norvegiæ potentissimis regnis] Hoc memoriæ hamartema est. Nam ea de Episcopo Drunthemensi, quæ Amstelodami facta referimus, non usu venere, cum iam, relictis regnis suis, unà cum regina Elizabetha Caroli Imperatoris sorore è Dania in Belgium excederet Christiernus, anno nimirum 1523, sed biennio ante, cum iam in potestatem suam redactis Suecis, iter ad Carolum Cæsarem maximis de rebus privatim instituisset: tunc enim Amstelodamum accessisse, Bruxellam porro iturus, memoratur. De quo vide accuratius quæ referimus pag. 243. libro secundo, ubi de Pompeio Occone. Quapropter etiam paginâ eadem 30 primi huius libri versu 41, ubi legitur; *Quid præterea extorri huic Regi postmodum acciderit*, legendum; *Quid præterea huic regi postmodum extorri acciderit*. Pag. 30. vers. 31.

Sed de eodem prætore mox plura dicemus ubi de claris & doctis Amstelodamensibus] Distulimus etiam ibi de eo dicere. Sed in catalogo ac serie magistratus, ubi proprius ei rei locus videbatur, promissum absolvimus. Vide eam seriem ad annum 1534.

AD LIBRVM SECVNDVM.

A*Nnum circiter 1506 exustum*] Diversum reperio, & quod vero propius puto, in serie consulum ad annum 1532: Exustum nimirum eo ipso anno 1532 hoc monasterium; idque fortuito incendio: quomodo eo loci secuti non excusum (in quo id & alia eiusmodi plura desiderantur) sed manu exaratū catalogi istius exemplar latius commonuimus. Pag. 34.

His si reliqua fora adyciam] Inter cetera à nobis non memorata addenda sunt promptuaria illa halecatia à parte lateris novi in Yæ crepidine collocata: Quæ vulgariter *Harinc packeryen*, appellantur. Notatu dignum est quod habet Hornense Chronicon vetus annis superioribus à Theodoro Velio cum auctario Hornæ editum, anno scilicet 1414, primum saliendarum halecum atque in tonnas ad usum diuturniorem condendarum rationem adinvētam fuisse à quodam Guilielmo Beuckelsonio Biervlietēsi: Et simul circa idem tempus Busas primū ex his oris ad halecum capturam fabrefactas solvisse. De voce dubitant quoque docti an eo nomine eiusmodi piscis, cuiusmodi nobis in usu est, intellectus fuerit, quamvis Priscianus & Sosipater cum Martiale pro pisce, qui muria condiri solebat, accepisse videantur; & Isidoro halec dicatur Pisciculus ad liquorem salsamentorum idoneus. Proprio tamen an haringi nostris intellecti illis, nec ego asseverem. Pag. 122.

Quod & gliri usu venire Physici asserunt] De eiusmodi vide Plinium lib 8 cap. 57. ne quis, aliorsum trahat. Ita enim inter cetera verba eius habent: *Sorices & ipsos & glires hiems condit, eos censoriæ leges princepsque Scaurus in consulatu non alio modo cænis ademit, quam conchylia aut alio ex orbe convectas aves.* Pag. 137.

In patriam cum una ex navibus suis reversus est anno 1604] Omissus est ad marginem anni calculus. Simulque additum oportuit transvectos eadem tum classe legatos Iorhensis Indici regis, qui maximam partem una cum regis eiusdem filio in itinere morbis perierunt; ita ut octo tantum de viginti superstites Amstelodamum advenerint; ubi & postmodum ex ijsdem præcipuus & sanguine regi junctus obijt, sepultusq; est exequijs & pompa magnifica in lateris novi cathedrali templo. Pag. 206.

Nosti proverbium, Βατᾶυος ἱππεύς] Batavos equites omnesque Batavos equitandi laude præcipue inter Germanos inferiores antiquitus floruisse ex Plutarcho, Tacito, Dione & alijs patet. Ita ut hôc modo sumptum adagium Cannio non quadret, quem vult Erasmus Dicere Hollandum esse, & in mari quasi natum animal, ideoque & equestris rei atque equitandi omnino rudem; alludens scilicet ad familiare nobis, & in Hollandos propriè jactari solitum vernaculo idiomate, adagium; *een Holl under te peerdt*: quo uti nunc mos obtinuit cum ignarum & equitandi prorsus imperitum volumus intelligi. Pag. 141.

Atq; hæc est causa cur ad oram epistolæ Erasmianæ, adagium istud, Βάταυος ἱππεύς, reddiderimus non, *Batavus eques*, sed, *Hollandus eques*; adspicientes nimirum adagium Belgicum, quod recitavimus, *een Hollander te peerdt*. Quo & ipsum Erasmum respexisse omnino nobis persuasum habemus.

Pag. 22 in Animad. ad Bata. Haemrodij

Rhenolandia districtus is totus] Præterquam quod Rhinoburgense territorium late se eo loci pandat, memoratur solum istud limositate quadam, ut sic dicã, ad Rhinolandici agri naturam proximè accedere. Nam alias & propriè Rhinolandiam interius & strictius accipi constat.

In Animadversionibus porro ad Haemrodium, ubi de HARDEVICO, notavimus ex Gelriæ Chronico Aquilij Veluæ partem Henrico Comiti Gelriæ tertio dotis nomine cessisse, cum is Seynardam filiã Godefredi Ducis Brabantiæ in matrimonium sibi acciperet. Nunc addendum, quod magnum Chronicon Belgicum commemorat Gerhardum Gelrum, qui Henrico patri successit, in feudum recepisse ab Henrico Duce Brabantiæ huius nominis primo Veluam, quam idem Dux ab Episcopo Traiectensi in feudum tenuit: Vnde postmodum bella exorta. Ita ut existimem partem Veluæ à Godefredo Brabanto in dotem Henrico Gelro concessam tenuisse tunc Gelros; reliquum ad Trajectenses Episcopos pertinuisse eosque id alijs principibus in feudum concessisse. Vide hoc Chronicon Belg. ad annum 1187. Et Aquilium in Henrico Nassovio 1, Comite 3.

ORDO ET INDEX
RERVM AC CAPITVM
LIBRI PRIMI.

LIBER TERTIVS.

FINIS.

Errata Typographica Libri I.

Pag. 2 verſ. 35 lege, harpyias iſtas. Pag 7. verſ. 18. lege, molliſſima. Ibid. verſ. 23, leg. demonſtravimus. Ibid. verſ. antepenultimo, leg. detracta. Pag. 8 verſ. 2. leg. dicto audiens fuerit. Ibid. verſ. 6. leg. epiſcopatu. Ibid. verſ. 41 leg. eum præſertim. Ibid. verſ. 50 leg. exteras in oras. Ibid. verſ. 56. leg. Cukij. Pag. 10. leg. tum. Ibid. leg portum. Pag. 11 verſ. 1, leg. quadruplices. Ibid verſ. 8 leg. obſerata. Ibid. verſ. 12. leg. Apelles. Pag. 12. verſ. 9 leg. demonſtravimus. Ibid. verſ. 18. leg. pœnitentium. Ibid. verſ. 23, leg. ſororicellarum. Ibid. 54 leg. ignorarent. Pag. 18 verſ. 32 leg. collocatum. Pag. 19 verſ. 26, leg. armata. Pag. 20. verſ. 17 leg. vivis potiti. Pag. 25 verſ. 7. leg. prope portam Reg. Ibid. verſ. 38. leg. palis impoſitum. Pag. 27. verſ. 46. leg. auguſtiſſimus. pag. 30 verſ. 8. leg. poſſeſſiones. Ibid. 48, leg. eadem voluerint. Pag. 43 leg. paradoxa pepererint. Pag. 48 verſ. 14 leg. morum earundem. Pag. 50 verſ. 25, leg. totuſque. Pag. 52 verſ. ultimo, leg. & ſuis in terram. Pag. 55. verſ. antepenultimo leg. hoſtium opera. Pag. 57 verſ. 45. leg. autopta. Pag. 60. verſ. 47 leg. vel aquis. Pag. 61 verſ. 48. leg. in ſanguineum, Ibid. leg. gnaviter Pag. 62 verſ. 21, leg. Gemma Lovanienſis. Ibid. 48 leg. Albano igitur pag. 64. verſ. 3 leg. quamque degeneres. Ibid. verſ. 11, leg. veluti in exodio fabulæ.

Errata Libri ſecundi.

Pag. 65 verſ. 4., leg. PROOEMIVM. Pag. 66. verſ. penultimo, leg. parvæ. Pag. 70 verſ. 31 leg. appellari. Pag. 72 verſ. 29. leg. demandata. Pag. 75 verſ. 2. leg. Quod utrumque. Ibid. verſ. 33 leg. per ſe nullum. Pag. 80 verſ. 46, leg. libere profitentis: In univerſum denique animadvertendum. Pag. 82 verſ. ante penult. leg. volui animum. Ibid verſ. penult. leg. Vt bene. Pag. 83. verſ. 15 leg. miſerè ac perparcè. Ibid. 34 leg. contextis Ibid. 53 leg. quatuordecies C. libras. Pag. 84 verſ. 27 leg. ſimileque incommodum. Ibid. verſ. 34 leg. examinatum. Pag. 86 verſ. 23 leg. populum afflictum. Ibid. verſ 27. leg. celerrimo. Pag. 91 verſ. 29 leg. *by dinct naer de doorkiſt*. Pag. 92 verſ. 7 leg. ſuperſtitioſi. Pag. 100 verſ. 1. leg. Eaſque res veluti ſpolia. Pag. 113 verſ. 45, leg. habetque ſolarium in quo. Pag. 114 verſ. 10, leg. hæc rara. Ibid. 54 leg. Ait primo. Pag. 117 leg. Amſtelodamo ubi. Pag. 120 verſ. 39 leg. locus eſſet. Pag. 125 verſ. 19 leg. & autem vellit. Pag. 129 verſ. 8 leg. inſcenderant. Pag 137 verſ. 27 leg. Martiali in lemmatibus. Pag. 143 verſ. 18. leg. egreſſum. Pag 157. verſ. 51 leg. plurimum ſententijs. pag. 103 verſ. 1. leg. uni tantum navium malus leviter percuſſus. Ibid verſ. 2, leg. quæ erat. pag. 193 verſ. 45 leg. in Baly inſulam. pag. 203 verſ. 3 leg. manus conſerebat. pag. 205 verſ 19 leg. in procinctu eſſe, ac. Ibid. ſub finem, leg ipſe in urbem. pa. 216, verſ. 17 le. ſibi ius aut imperium pag 217 verſ ante penult leg. Auſtraliori Orbis parte. pag. 228 verſ. 32 le. ſe pandunt. pag. 229 ſub finem, le. poſtremo & foris. pa 233 verſ. 6 le. ſuperius dicere. pag. 233. verſ. 25. le. noſtrorum. pa. 234 verſ. 3 le. niſi aquam. Ibid verſ. 15 le. natalis opidi a viro pag. 236. verſ 17, le. ſed & charus fuiſſet. pa. 237 verſ. 24 le. magnus. Ibid. 27 le. dubio. Ibid. 29 le Rara. Ibid. 34 leg. Ioh. Seminius. Pag. 240 verſ. 28 leg. hinc abiſſes, habuiſſes facundum. pag. 244 verſ. 2. leg. Cancellarius ὁ μακαρίτης Ibid. le. Arnoldus Witfeldius. Ibid. verſ. 18 le. Theodoram Volcardum. Ibid. verſ. 19, leg. & ipſi grandævum, Ibid. verſ 21, leg. ætas jam eſſet.

Errata Libri tertij.

Pag. 247. verſ. 28 le. longo. Ibid. verſ. 36 le. Solon, Lycurgus. Ibid. verſ. 39 le. Sapientiæ titulo. pa. 249 verſ. 27 le. ambactu agri. Ibid. verſ. 43 le relinquitur. pag. 253 verſ 4 le. comprobatum. pa. 255 verſ. 40. le. polliee. pag. 256 verſ. 26 leg pretio. pag. 259. verſ. 9. leg. navigiaque cetera adhibentur, inſtitui. Ibid. verſ. 37. leg. Belgicis. pag. 260 verſ. 17, leg. etiam literarum ſacrarum autoritate. pag. 201 verſ. 13, leg. presbyteros, pag. 262 verſ 31 leg. æris.

Errata in Animadverſionibus.

Pag. 22. verſ. 18 obiecta leg. obiectam. pag. 23 leg. Hiſpanos. Ibid. leg ſphalmata. Ibid. ſub finem, leg. poſita memoratur in literis. Et ſtatim, item ibi leg. ita enim ibi. pag. 25 leg. Sanè id Strabo. Cetera benignus lector per ſe obſervabit, corriget atque operis feſtinantibus ignoſcet.

Collated Compl.

Collated/Norman

7 maps & plates (5 hand-colored, 2 from another copy)
Eng. title (lettering height.)
Sabin 64002

—/17

